


NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
ROMA
8
13 — K
24

SPECVLVM

ECCLESIASTICVM.

In quo plenè traduntur omnia, quæ ad Ecclesiasticos omnes tùm Seculares tum Regulares, & pręcipuè ad Animarum Pastores pertinent, tàm in ordine ad perfectionem propriam, quàm in ordine ad instructionem populorum.

Distinctum in tres partes.

QVARVM

Prima. Continet BONITATEM, seu Informationem Ecclesiasticorum interiorem.

Secunda. Continet DISCIPLINAM, seu Informationem Ecclesiasticorum exteriorem.

Tertia. Continet SCIENTIAM, seu Informationem Ecclesiasticorum in ordine ad alios, & præsertim ad Animas sibi commendatas.

Compositum à P. D. Pio Cassetta de Olibano Romani Districtus Cl. Reg. S. Pauli I. V. D. ac Theol. & Pænitentiario in Metropolitana Bononiensi.

SECVNDA PARS.



BONONIÆ M.DC.L.

Typis Io. Baptistæ Ferronij. Superiorum permissu.

EMINENTISSIMO
AC REVERENDISS. PRINCIPI
AC DOMINO
D. NICOLAO
LVDOVISIO
S. R. E. Card. Amplissimo

SS. D.N. Papæ Summo Pœnitentiario, & Bonon. Archiepiscopo vigilantissimo.

Don Pius Cassetta Cl. Reg. S. Pauli perpetuam felicitatem.



Rodit in lucem, Eminentissime Princeps, pars altera Ecclesiastici mei Speculi, quod vno volumine primum in Bohemia, deinde Bononiæ iterum edito absoluere prolixioris negotij fuerat. Arcanum diuinæ prouidentiæ consilium certè fuit, vt plura specula haberem, quæ pluribus obijcerem. Eminentiss. Domino Cardinali ab Harrach primùm obtuli, cui primò adhæsi cum in Pragensi Ciuitate operam nauaui, alia & alia munia, quæ instituti mei sunt, minus impigrè quàm potui obeundo. Idem

 quo-

quoque ſecundæ tamen editionis obtuli Eminentiſs. Domino Cardinali Sabello Bononiæ de latere Legato. Nunc verò cum in eam ſortem deuenerim, vt Eminentiæ tuæ in Paſtorali, qua maximè commendaris, ſolicitudine deſeruirem, certo tibi iure debetur aliud, quod expoliui Speculum ea mente vt purpuræ tuæ ſplendori oppoſitum nouæ adhuc lucis incrementa deſumat, diſcatq; vel mutuato tuo fulgore luceſcere. Nec deſunt mihi alij quoq; tituli, & quidem non inualidi, qui hoc tuo vouendum nomini Speculum ſatis ſuperq; ſuadent. Siquidem quocunq; mentis oculos conuerto; ſiue tuam celſitudinem ſuſpiciam; ſiue meam reſpiciam tenuitatem; ſiue opus ipſum inſpiciam, vndiq; ad id pręſtandum perurgeor. Et ſanè ſi quidpiam de tuis præclariſſimis meritis, tuæq; dignitatis amplitudine vellem in medium proferre (ni ſingularis illa tua vbiq; elucens modeſtia à tuis me laudibus deterreret) poſſem omni aſſentatione poſthabita conſtantiſſimè aſſeuerare maxima extare omnia, quæ in te conſpiciuntur; vel attendantur ea, quæ à cælo habes; vel quæ à tuis maioribus accepiſti; vel quæ tua tibi virtus propria comparauit. Quis enim (liceat mihi tua venia modicum quid prælibare) quis, inquam, non miretur illam vultus tui ad omnem humanitatem efformati ſpeciem? Quis non collaudet præclaram illam benignitatem, temperantiam, iuſtitiam, prudentiam, cæterarumq; virtutum omnium complexionem? Quis non extollat

per-

peruigilem illam ſolicitudinem paſtoralem, qua gregem tibi diuinitus concreditum corpore quamuis abſens, ſpiritu tamen certiſſimè præſens mira vigilantia gubernas, atq; ad vberrima æternæ vitæ paſcua perducere pro viribus adniteris? Quis illud conſtans, ac perpetuum in vitijs profligandis animi tui robur non prædicet? Quis deniq; eximiam illam in Deum pietatem, in Superos religionem, reuerentiam in ſacra loca laudibus non concelebret? Certè tot in te fulgere videntur collata cælitus ornamenta, quot in firmamento Cæli conſpicimus ſydera prælucere. Et quid mirum ſi totius Chriſtiani orbis ſummus, idemq; Sanctiſſimus, ac Sapientiſſimus Hierarcha Innocentius X. te purpuratorum numero Patrum primùm adſcripſit; deinde ampliſſimæ huic Bononienſi Eccleſiæ Archipræſulem præfecit; poſtmodum in ſacræ Pænitentiariæ munere ſupremum ſui Locumtenentem ampliſſimo diplomate declarauit. Quidni ergo tantum mihi Patronum ipſe deligam? Quod ſi meipſum reſpicio, non poſſum (quantum eſt ex hac parte) non idem præſtare. Illius enim ſum Congregationis alumnus, quæ cum à te non obſcuris beneuolentiæ ſignis quotidie complectatur, multiſque à te beneficijs in dies ſingulos exornetur, plurimùm ſe tibi deuinctam iure optimo profitetur. Nec prætereundum ſilentio eſt maximum illud in me collatum beneficium, quòd cum in Italiam ego è Germania remearem, vbi maximis iactatus perſecu-

tionum ab hæreticis in me excitatarum fluctibus absorptus planè, ac pænè extinctus remanseram, quando regia illa Ciuitas Pragensis (proh dolor) à barbara illa Suecorum colluuione Duce Kinismarcho fuit immaniter deuastata; tu placidissimo sinu tuo me excepisti, exceptum inter tuos Ecclesiæ Bononiensis Pœnitentiarios adnumerasti, adnumeratum tua benignitate & clementia recreasti. Sed venio ad opus, quod in lucem editur. Hoc si attentè inspiciatur, videtur manifestè loqui non alteri quàm tibi esse deuouendum. Inscribitur enim Speculum Ecclesiasticum, in quo sacra Deo capita propriæ imaginis simulachrum videant, teneantq; quibus se ad veram pietatem, solidamq; virtutem informent: at cuinam congruentius Speculum hoc (quod sanè inanime quoddam est, ac mutis characteribus efformatum) dicari debuit quàm tibi, qui Speculum Ecclesiasticorum es omnium animatum? In te enim tanquam in nitido speculo quilibet Ecclesiasticus potest semetipsum optimè contemplari; ibiq; proprias maculas, si quas habet, inspicere, inspectaq; tergere; ibi expressa videre magisteria probitatis; ibi quid corrigere, quid amplecti, quid cauere debeat, euidenter agnoscere. Ergo cum tot nominibus hoc tibi opus debeatur, illud tuo tibi veluti iure persoluo. Speculum est Ecclesiasticum: si quid perfectum in eo est, à te tanquam à perfecto Ecclesiasticorum Antistite, & exemplari desumpsit: si quid minus, à mea solummo-

do

do imperfectione contraxit. Suscipe igitur peramanter quod tuum est; & respice clementer quod meum est; & tàm meum quàm tuum benignissima fronte exceptum dignare tuo potenti patrocinio contutari; quod vt præstes & singularis pollicetur, quâ polles, benignitas; & peculiaris mea, meæque Congregationis vniuersæ in te obseruantia promeretur.

Faue. Vale.



Don Baptista Cribellus Congreg. Clericorum Reg. S. Pauli Præpositus Generalis.

CVm librum, cuius est titulus (Tractatus secundæ partis Speculi Ecclesiastici) compositum à P. Don Pio Cassetta Congreg. nostræ, Pœnitentiario in Ecclesia Metropolitana huius Ciuitatis, duo, quibus id commisimus, eiusdem Congreg. Theologi, & eruditi viri recognouerint, & probauerint, facultatem facimus, vt typis mandari possit, si & alijs, ad quos spectat, ita videbitur. Dat. Bononiæ in Coll. nostro S. Pauli die 23. Martij 1650.

Don Baptista Cribellus Præpositus Generalis.

OPus inscriptum Secunda Pars Speculi Ecclesiastici Admodum R. P. Don Pij Cassettæ Congregat. Clericorum Regularium S. Pauli, & in Eccl. Metropolitana Bonon. Pœnitentiarij, de mandato Eminentissimi, & Reuerendiss. Card. Ludouisij Archiepiscopi Bonon. & Principis, nec non SS. D. N. Papæ summi Pœnitentiarij, ego Ang. Mich. Castellarius Doctor Theologus, & moralis Theologiæ professor diligenter perlegi, accurateq; perpendi maxima illud eruditione elaboratum, & summa vtilitate refertum: quapropter vt typis ad eruditionem, & vtilitatem Ecclesiasticorum (prima huius Speculi parte perlustrata) summopere peroptantium demandaretur, tanti operis Authorem, summis laudibus extollendum, obsecraui.

Angelus Michael Castellarius.

Vidit Don Antonius Bonuicinus Pœnitent. pro eodem Eminentiss.

Ego Fr. Hieronymus Allè Bononiensis Ordinis S. Hieronymi de Fesulis in Regno Neapolitano Prouintialis Sacræ Theologiæ Magister, ac in Archigymnasio Bononiensi sacrarum litterarum publicus interpres attentè, & accuratè perlegi librum, cui est titulus. Secũda Pars Speculi Ecclesiastici in qua de informatione Ecclesiasticorum exteriori, seu de disciplina agitur *ab Adm. R.P.D. Pio Cassetta Cler. Reg. Cong. S. Pauli elaboratum, & compositum, quem non minus singularibus doctrinis ornatum reperi, quàm gemmatis eruditionibus condecoratum, nec non adamantinis clypeis armatum ad reprimẽda inimicorum sacerrimi, & Ecclesiastici ordinis tela, verè dignum, vt aureis typis ab Impressoribus genuflexis imprimatur, & impressum ab oculis catholicis legatur, lectũ & à Purpuratis Eminentiss. protegatur, & à quibuscunq; Ecclesiasticis colatur. Quare tale impressione, protectione, & cultu dignum iudico &c.*

Ego Fr. Hieronymus Allè qui supra.

Imprimatur. Fr. Casimirus de Cremona Lector Theol. & Vic. Generalis S. Officij Bononiæ.



De Speculo Ecclesiastico Adm. R.P. Don Pij Cassettæ Cler. Reg. S. Pauli I.V.D. ac Theologi, & in Metropolitana Bononiensi Pænitentiarij.

Alluditur ad persecutionem, qua Author ab hæreticis Suecis ob sanam, Catolicamq; doctrinam in suo opere contentam exagitatus fuit, & ad necem expetitus, quando Praga totius Regni Bohemiæ Metropolis ab ipsis fuit inuasa, capta, & deuastata, vbi Author tunc temporis morabatur.

O D E.

CASSETTA summi conscius ingeni,
PAVLI propago nobilis, integer
Mentis, domas dictis rebelles,
Nec pateris tumidi veneno
Oris sacratam Christiadum Fidem
Damnare, vibras dum fera fulmina,
Et cogis immanem Suecum
Sumere perdomitã Casurge
Mores Parentis cæliferi; necis
Temnis minantes tristia funera,
Trucesq; vultus, nec pericla
Sollicitant animum pauore.
Non sic cruentis terribilis Deus
Dextram sagittis Iupiter auream
Armatus in Terræ Gigantes
Sydereâ iaculatus arce.
Dum ausi superbis tollere montibus
Cælo micanti Regem hominum, Patrem &
Diuûm, decentes cum pararent
Sedibus æthereis triumphos.

Vt

Vt tu feroces, docte *PATER*, tuo
Nuper fugasti cum SPECVLO Duces,
Videre quo diri nefanda
Crimina, mortiferasq; culpas.
Cleri disertus tu hoc animas regis,
Normamq; morum conspicuam doces,
Iterq; pandis, quo pontenti
Barbara corda Deo reducas,
Si Ecclesiæ se conspiciant Duces,
Et qui fatentur flammiferam sedem,
Imago, te, mentis beatæ
Lucidior SPECVLO micabit.

Octosstichon alludens ad patrium Insigne.

DIuitias alij quærant, & munera Terris;
Et mare solicitent per vada salsa rate.
Persis, Arabs molles vrnis includat odores,
Paruaq; regales Arca flagellet opes.
Tu, *PATER*, æternum toto victurus in Orbe,
Includis CAPSA quidquid vbiq; boni est.
Nunc mutat natura vices, dum cernit, Auaros
Non, preciosa viros dona tenere Pios.

Aliud De Speculo.

ORbe Syracusius vitreo iam clauserat Orbem,
Monstrabatq; senex sydera celsa, polos.
Iupiter æternus torquebat fulmina dextrâ,
Seruabantq; suum cætera signa locum.
Tu *PIVS* in SPECVLO Cleri moresq; viasq;
Monstras, queis hominum dirigis omne genus.
Orbita fracta vitri destruxit sydera, Mondum,
Nunc tua seruabit Machina, nobile Opus.

Aliud De Speculo

Ad Lectorem.

TV quicunq; cupis nitidos perducere Soles,
Et purâ æthereo mente placere Deo.
Acta *PII* SPECVLO specta, tua verba; videbis,
Quæ bonitas animos edocet alta tuos.
Tradere si cupias alijs documenta, tibiq;
Sumere; id impensè nobile præstat Opus.
Lucida spectantem speculo iam fallit Imago,
Qui se non spectat, fallitur, hoc SPECVLO.

Michael Bonuicinus S.T.D. Colleg. & in Bonon. Vniuersit. humaniorum publicus Professor.

PATER PIVS CASSETTA

Anagramma.

ARTE FACTVS EST APIS.

Distichon.

MElliferum miraris opus dulcedine tanta?
FACTVS iam nobis EST APIS ARTE *PIVS*.

Clemens de Iacobis.

In

In lode della somma dottrina dell' Autore, & del suo Specchio, che per esser mirabile, & di gran giouamento al Mondo, merita d'esser consegnato all'immortalità della fama.

Di D. Gio Battista Giacomelli, Confessor delle Suore di S. Agostino in Bologna.


EVterpe hor studi à far corone, e Clio
Co'più lodati fior di versi, e rime;
Perch'orni, e fregi il Nome alt'e sublime
Di questo gran Scrittor leggiadro, e PIO.

Come si vinca il Mondo infido, e rio,
C'honor promette, e poi schernisce, e opprime:
Come del Ciel si salga à l'alte cime,
N'insegna mè, di quel, che mai s'vdio.

Scriue dottrina così pura, e chiara,
Ch'esser celeste sembra, e non di lui,
C'hà'l vel soggetto à la gran Parca auara.

Quest'opra è vn SPECCHIO veramente, in cui
Senza fatiche, e spese il Clero impara
Regger se stesso, e gouernar'altrui.

La




LA fama hà PIO cotanto ſparſo homai
Il dolce ſuon della tua eccelſa loda,
Che toſto fia, che ne rimbombi, e s'oda
Douunque col penſier volar tu ſai.

Non pria, che'l Mondo, i tuoi gran fregi mai
Hauranno fine; ancorche'l tempo roda
Macigni, e bronzi, e ponga inſidie, e froda
L'Inuidia al vanto, ch'acquiſtando vai.

Han da parlar di te le proſe, e i carmi:
Sarà'l tuo Nome inciſo à far memorie
Ne'ſecoli futuri in bronzi, e'n marmi.

Tù frà moderni haurai l'antiche glorie,
Che mai del tempo non temetter l'armi,
Che più inuecchiando fanſi più notorie.



Del-


Dell'Istesso al Lettore.

(presso
FRà quanti hà Specchi il Mondo, il vero es-
Che più di questo mostri, alcun non troui;
E che consigli meglio, e più ti gioui
Facendoti conoscer ben te stesso.

Quei, ch'emendar tu dei, ne scorgi in esso,
E ciò ch'è ben, che dal tuo cuor rimoui;
E doue ornar ti deui iui ritroui,
Per farti grato al Mondo, e al Cielo istesso.

O come essorta al ben, come riprende!
Mentre ti scopre il tuo deforme errore;
Perche t'en penti, e'l pianghi, e che l'ammende.

E se'l cristall'opposto al bel splendore
D'Apollo, infiamma l'esca; anch'esso accende,
S'entro vi guardi, di celeste amore.




TE-

TETRASTICHON.


Eiusdem Iacomellij ad Authoris Cognomen.

QVòd Mare tot fluctus capiat, tot lumina cælum,
Quis stupet? en mirum. Capsula plura capit.

Mente capit Cælum, ac Terram capit, atque Profundum
Ergò dic stupidus; Capsula cuncta capit!



BONITATEM, ET DISCIPLINAM, ET SCIENTIAM DOCE ME. Psal. 118.



SECVNDA PARS
Speculi Ecclesiastici,

In qua de Disciplina, seu de ijs quæ pertinent ad exteriorem Ecclesiasticorum informationem agitur.

SVMMA TOTIVS PARTIS.



CVm Disciplina iuxtà D. Bonauenturam *in spec. discipl. par.* 2. *cap.* 1. sit conuersatio bona, & honesta, cui parum est mala non agere, sed studet etiam in his quæ benè agit, per cuncta irreprehensibilis apparere. *Item.* Disciplina est omnium membrorum motus ordinatus, & dispositio decens in omni habitu, & actione. Hinc est quòd sæpe in sacris literis commendatur; nam *Psal.* 2. *dicitur* Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus. *Et Prou.* 1. Audi fili mi disciplinam patris tui, *& ibid.* 3. Inuenies gratiam, & disciplinam bonam coràm Deo, & hominibus. *& ibid.* 4. Tene disciplinam, ne dimittas eam; custodi illam quia ipsa est vita tua. *Et ibid.* 13. Egestas, & ignominia ei qui deserit disciplinam. *Et ad Heb.* 12. Fili mi noli negligere disciplinam. *Item.* In disciplina perseuerate. *Item.* Si extrà disciplinam estis; ergo adulteri, & non filij estis. Et alibi sæpius. Porrò hæc disciplina quod attinet ad Ecclesiasticos considerari potest vel circa Personam propriam; Vel circa Personas aliorum; Vel circa Loca, Res, & Actiones, quæ ad Ecclesiasticos pertinet. Erit igitur hæc tractatio tripartita itaut prima Distinctio sit de Disciplina Eccle-

fiasticorum in ordine ad Personam propriam. Secunda de Disciplina in ordine ad Alios. Tertia de Disciplina in ordine ad Loca, Res, & Actiones Ecclesiasticas. Et ex his habebitur completa tractatio huius argumenti quantum ex ingenioli mei tenuitate haberi, vel expectari potest.

DISTINCTIO PRIMA.
De Disciplina Ecclesiasticorum in ordine ad Personam Propriam.

Summa totius Distinctionis.

ACturi de Disciplina Ecclesiasticorum non aliundè congruentius exordiri possumus quàm à disciplina circa propriam met personam; intrinseca enim priora sunt quàm extrinseca, & absoluta per prius se habent quàm relatiua; sicut propria magis ad nos pertinent quàm aliena. Hanc autem disciplinam circa personam propriam satis apertè quamuis paucissimis verbis insinuauit Apostolus 1. *Timo.* 3. dum ait *Ornatum*, *Modestum*, & Tit. 1. *Sobrium*, *Continentem*. Est enim *Sobrietas* Virtus quædam, quæ apponit mensuram actionibus humanis, & quamuis specialiter sumpta dicat moderationem in potu, genericè tamen accepta importat moderationẽ in omnibus alijs actionibus; est enim *Sobrietas* nomen Græcum, & idem sonat ac latinè *cum mensura*. Idem autem prorsus significat nomen Disciplinæ, quæ nihil aliud est quàm quædam regula, mensura, & moderatio in omnibus actionibus humanis externis; Igitur agemus de Disciplina 1. circa Visum. 2. Circa locutionem. 3. Circa Auditum. 4. Circa Olfactũ. 5. Circa Cibum, & potum. 6. Circa Tactum. 7. Circa Habitum. 8. Circa Incessum, & Conuersationem. 9. Circa quotidianas actiones. 10. Circa Solitudinem, & Silẽtium. 11. Circa Vigilantiam. 12. Circa varios huius Vitæ casus, & euentus.

CA-

CAPVT I.

De Disciplina Circa Visum, seu de custodia Oculorum.

QVinq; esse Corporis sensus videlicet *Visum, Auditum, Gustum, Olfactum, & Tactum*, nemo est qui ignotet. Dicuntur autem sensus Corporis, non quia Corpus per se, primò, & principaliter videt, audit, gustat, olfacit, & tangit: sed quia Anima exercet tales operationes in Corpore, & per Corpus tanquam per instrumentum. Inter hos autem sensus principem sibi locum vendicat Visus, cuius instrumentum sunt oculi. Ab huius igitur disciplina incipiamus videndo. 1. de Motiuis ad disciplinam Visus. 2. de Modo comparandi dictam Disciplinam, & custodiendi oculos. 3. de Exemplis eorum, qui in custodia oculorum excelluerunt.

§. Primus.

De Motiuis ad Disciplinam Visus, & ad Custodiam oculorum.

PRimum, idq; efficax motiuum ad compescendum oculos, moderationemq; adhibendam circa sensum Visus, erit Consideratio malorum, quæ ex inordinato, & effrænato aspectu oriuntur. Peccata enim ferè omnia inde proueniunt. Vnde meritò Spiritus Sanctus per Ieremiam Prophetam cap.9. vocat oculos fenestras mortis, *(iuxtà intellectum Diui Gregorij lib.21. Mor.cap.2.tom.2.)* dum ait *Ascendit mors per fenestras.* Etenim mediantibus oculis peccatum, quod est mors Animæ, ad nos ingreditur. *Sic autem Gregorius ait* [Cum sit inuisibilis Anima, nequaquam corporearum rerum delectatione tangitur, nisi quod inhærens Corpori, quasi quædam egrediendi foramina eiusdem Corporis sensus habet. Visus quippe, auditus, gustus, odoratus, & tactus, quasi quædam viæ mentis sunt, quibus foras veniat, & ea, quæ extrà eius sunt substantiam, concupiscat. Per hos enim corporis sensus quasi per fenestras

quasdam exteriora quæq; Anima respicit, respiciens concupiscit. Hinc etenim Ieremias ait: Ascendit mors per fenestras, ingressa est domos nostras. Mors quippe per fenestras ascendit, & domum ingreditur cum per sensus Corporis concupiscentia veniens habitaculum intrat mentis.] *Ita Gregorius*.

Apud Hebreos erat hoc prouerbium. *Oculi & Cor proxenetæ peccati*. Valdè quidem appositè. Appellabant Oculos peccati proxenetas, quia quemadmodum proxenetæ eunt, redeuntq; currunt & discurrunt inter emptores & venditores; & hinc inde deferunt tractatus; nec omnino quiescuut donec absoluerint, & ad finem contractum perduxerint; ita prorsus oculi currunt & discurrunt, aduolant reuolantq; vt species obiectorum visibilium deferant Animæ; & vniuersa Animæ desideria deferant ad obiecta, nec vnquam quiescunt donec peccatum per consensum in ipsam Animam introduxerint. Id optimè prospiciens Sanctus Iob dicebat se pactum quoddam inijsse cum suis oculis, vt ne cogitaret quidem de Virgine *Iob. 31. Pepigi fœdus cum oculis meis vt ne cogitarem quidem de Virgine*. quæ verba expendens *Diuus Gregorius sic inquit*. [Sanctus vir, qui acceptis corporis sensibus velut subiectis ministris quidam æquissimus iudex præerat, culpas conspiciebat antequam venirent, & veluti insidianti morti fenestras corporis claudebat dicens: Pepigi fœdus cum oculis meis vt ne cogitarem de Virgine. Vt enim cogitationes cordis castè seruare posset, fœdus cum oculis pepigit; ne prius incautè aspiceret, quod postmodum inuitus amaret. Valde namq; est graue, quòd caro deorsum trahit, & semel species formæ cordi per oculos alligata, vix magni luctaminis manu soluitur. Ne ergo quædam lubrica in cogitatione versemus, prouidendum nobis est; quia intueri non decet quod non licet concupisci. Vt enim munda mens in cogitatione seruetur; à lasciuia voluptatis suæ deprimendi sunt oculi quasi quidam raptores ad culpam. Neq; enim Eua lignum vetitum contigisset, nisi hoc prius incautè conspexisset. Scriptum quippe est, Vidit mulier

quod

quod bonum esset lignum ad vescendum & pulchrum oculis aspectuq; delectabile, & tulit de fructu illius & comedit. Hinc ergo pensandum est quanto debeamus moderamine erga illicita visum restringere nos, qui mortaliter viuimus; si et mater viuentium per oculos ad mortem venit.] *Hæc Gregorius*.

Et sanè si Regius ille Propheta (alioquin pijssimus, sapientissimus, necnon strenuissimus Dux) simile cum oculis suis fædus pepigisset, quale Sanctissimus Iob, vtiq; in adulterium illud, & homicidium omnibus notissimum minimè prolapsus esset sicut habetur in libro 2. Regum 11. Sic enim ait Scriptura sacra. *Accidit vt surgeret Dauid de strato suo post meridiem, & de ambularet in solario domus regiæ; viditq; mulierem se lauantem ex aduerso super solarium suum: erat autem mulier pulchra valdè. Misit ergo Rex, & requisiuit quæ esset mulier nunciatumq; est ei quod ipsa esset Betsabea filia Eliam vxor Vriæ Hethai. Missis itaq; Dauid nuncijs tulit eam. quæ cum ingressa esset ad illum, dormiuit cum ea: & reuersa est domum suam concepta fæto*. Et ecce adulterium consumatum. Deinde paulò post eadem Scriptura subdit. *Factum est ergo mane, & scripsit Dauid epistolam ad Ioab, misitq; per manum Vriæ, scribens in epistola; Ponite Vriam ex aduerso belli, vbi fortissimum est prælium; & derelinquite eum vt percussus intereat*. Et ecce homicidium patratum. Quæ res ad amussim successit sicut Dauid imperarat. Addit enim Scriptura. *Egressiq; viri de Ciuitate bellabant aduersum Ioab, & ceciderunt de populo seruorum Dei, & mortuus est etiam Vrias Hethæus*. Vnde autem tanti facinoris initium? Ex incauto oculorum aspectu.

Quis posset enumerare damna quæ ex indisciplinato oculorum vsu, & inordinato visu omni tempore promanarunt? Princeps ille Ciuitatis Sichem ob lasciuum Dinæ filię Patriarchæ Iacob aspectum nonne simul cum Ciuitate vniuersa interijt? Ammon filius Dauid ob incestuosos in Thamar sororem suam oculos nonne proprij sanguinis violator extitit, sibiq; necem à fratre Absalone paratā acquisiuit? Illi duo falsi senes

nimia

nimia oculorum suorum & concupiscentiæ intemperantia abrepti honestissimæ Susannæ castitatem maculare tentantes nonne saxorum procella obruti infeliciter periere? Holophernes princeps militiæ Regis Assiriorum captus in suis oculis ex pulchritudine Iudith nonne proprio pugione, abscisso per eam capite miserrimè interijt, & ex eius cæde vniuersus exercitus perterrefactus persequentibus Hebreis in fugā se dedit? Quid plura? Magnum illud Vniuersi orbis aquarum diluuium, quo Vniuersa animantia cum hominibus excepto Noe & filijs eius periere vt refert Scriptura, nonne ab inordinato aspectu, & lasciuientibus oculis originem duxit? Inquit enim Scriptura Sacra Gen. 6. *Videntes Filij Dei filias Hominum quod essent pulchra acceperunt sibi vxores ex omnibus quas elegerant*. Deinde subdit. *Dixit Deus: Non permanebit Spiritus meus in homine in aeternū, quia caro est*: Et paulò post *Videns autem Deus quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pænituit eum quòd hominem fecisset in terra. & tactus dolore cordis intrinsecus. Delebo, inquit, hominem quem creaui à facie terræ ab homine vsq; ad animantia, à reptili vsq; ad volucres cæli, pænitet enim me fecisse eos*. Deinde Scriptura Sacra Gen. 7. enarrat ipsum diluuium dicens *Aquæ diluuij inundauerunt super terram. Et aquæ praualuerunt nimis super terram, opertiq; sunt omnes montes excelsi sub vniuerso cælo, consumptaq; est omnis caro quæ mouebatur super terram*. Tanta nimirum concupiscentiæ flamma ex libidinosis hominum aspectibus excitata erat, vt ad illam extinguendam vniuersum terrarum orbē cataclysmo obruere Deus decerneret. O infelix oculorum licentia. ò detestanda videndi libido. Hinc meritò Spiritus Sanctus in Prouerb. 10. ait. *Qui annuit oculo, dabit dolorem*, & in Eccles. 31. *Memento quoniam malus est oculus nequam: Nequius oculo quid creatum est?* & Serenissimus Rex & Propheta Dauid iam expertus quantum sibi mali ex incauto aspectu obuenerat, rogabat Deum dicens. Psal. 118. *Auerte oculos meos ne videant vanitatem*.

tatem. Debemus igitur custodire oculos & disciplinam circa illos adhibere, modumq; apponere nostris obtutibus ne incurramus mala, quæ inde homines incurrere solent: & seruemus consilium nobis à sapiente datum in Prouerbijs cap. 4. in illis verbis. *Oculi tui recta videant, & palbebra tua praecedant gressus tuos.*

§. Secundus. *De Rebus quae aspici licitè, vel non licitè possunt.*

SIt hæc prima vniuersalis conclusio. Omnia quæ non sunt nata excitare in nobis illicitam concupiscentiam; immo potius virtute sua naturali recreant, confortant & corroborãt aciem oculorum; omnia hæc possunt licitè & absq; peccato videri. Ideo licitum est videre lapillos pretiosos presertim smaragdos talem virturem recreandi visum habentes: Item prata virentia, herbulas recentes, easq; aromaticas, fontes aquarum pellucidarum, specula vitrea præsertim crystallina & ad refocillandum oculos artificiosè confecta. Vnde illud.

Fons, speculum, gramen dant oculis alleuiamen.

Item peristromata, & aulæa varijs coloribus depicta; & serica omnia variè colorata, nam color recreat visum (præsertim si sit medius inter album & nigrum, qui duo sunt extremi omnium colorum; album enim disgregat & dissoluit visum; nigrum autem congregat nimium, immo potius comprimit & opprimit visum) Item picturæ omnes & præsertim eæ, quæ deuotionem præseferunt, & ad pietatem excitandam sunt elaboratæ & similia.

Sit secunda Conclusio. Omnia quæ sunt Vel legibus prohibita vt duellum, torneamenta &c. Vel detrimentosa proximo, vt morbus eius quem auersamur; Vel delectationem mouent inconcessam, ad quam scilicet ius non habemus. Omnia hæc inquam, non possunt licitè conspici. Huius generis est delectatio venerea quam nisi accenderet aspectus curiosus formosarum mulierum, & virorum, non exarsisset vxor Putipharis

ris in concupiſcentiam Ioſeph; nec Suſannam deperijſſent illi duo ſenes apud Danielem; nec emolluiſſet viſa Bethſabea Dauid Regem, nec Holofernem Iudith, nec Ammonem Thamar. Nihil mali habet fateor in ſe conſiderata viri ſpecies aut fæminæ; immo Dei donum eſt; & aſpectu digna; ſed in ſtatu naturæ lapſæ obſtat vt plurimum fragilitas noſtra, & vix poſſumus oculos in illam intendere abſq; periculo. Quid prodeſt tentationis cauſam quærere? quid euagationẽ mentis Deo vacaturæ venari? Cur pudet nos ſputum putidum, ſtercora, cadauera, & ſimilia fætida cernere (quod abſq; culpæ diſcrimine facere poſſumus); & non multò magis obſcæna vel affinia intueri, quorum viſu conſcientia ſauciatur? Mulierem ſi nunquam vidiſſemus, excuſationem aliquam haberet curioſitas; iam verò cum tot frontes, tot oculos, tot naſos, & auriculas, tot menta & genas pluries ac pluries viderimus, quid eſt quod tanto ardore & leuitate adhuc ferimur ad id conſpiciendum, quod nihil continet præter antedicta? Meminerimus frequẽter illius prouerbij. Eccl. 1. *Non ſaturatur oculus viſu, nec auris auditu impletur*. Neſcio qua conſtantia ſuſtinebimus in die iudicij cenſuram Sanctorũ illorum Patrum, qui totis quadraginta annis interdicentes ſibi aſpectum omnium prorſus fæminarum, oſtenderunt etiã quid facere nos poſſimus auxiliante Deo, niſi vecordes eſſe velimus. Cum audiſſet Ioannes Abbas à Tribuno quodã plebis. *Permota vxor mea rumore ſanctitatis tuæ, videre te percupit, rogo vt te ei videndum præbeas*. Poſtulauit inducias, quibus impetratis obnixè Deum rogauit. *Domine Deus ſi fieri poteſt oſtende ei in ſomnis ſpeciem meam, qua plenè ſatietur eius curioſitas, meq; alias non videat*. Dictum factum, ſatiata eſt illius imagine, nec vltrà vriit vel appetijt videre eum. Alterius item Monachi ſoror pene decrepita ipſum poſt exactos in ſolitudine annos quàmplurimos videre expetijt, quod cum obtinere ab ipſo nequiret, ab ipſius Abbate impetrauit, cuius iuſſu adactus monachus vtriuſq; ſatisfecit voluntati, nec tamen ſuum læſit inſtitutum. Venit

ad

ad fores, se adesse significauit sorori, illa in fratrem senem incidit claudentem oculos, & dicentem. *Ecce me soror mea, fruere aspectu meo vt lubet, & permitte me redire ad patriam meam,* dixit & mox cellam suam repetijt.

Nouerimus tandem impudicum oculum impudici cordis esse nuntium, & Magorum, aut Veneficorum fascino persimilem, de quo quidam

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

Sicut enim venefico Magi aspectu Diabolus ad nocendũ Corpori illius, qui veneficio petitur; ita venereo aspectu ad inflammandam personæ, quæ impudicè aspicitur, concupiscentiam, vtitur. Hinc graui nos *Diuus Ambrosius lib. 1. de panit.* commonitione exhortatur vt oculos suspectos habeamus & tanquam animæ laqueos arbitremur. [Ipsi nobis oculi nostri *inquit* retia sunt, & ideo scriptum est neq; capiaris oculis tuis; ipsi ergo nobis tendimus retia, quibus inuoluimur & implicamur; ipsi nobis vincula nectimus].

De lasciuis picturis nihil est quod multa dicamus; eadem illarum est, quæ rerum pictarum, ratio. *Cum verò dicere quicquam interdixerimus.* (Sunt verba Aristotelis in politicis lib. 7. cap. vlt.) *clarum est quod & aspicere aut picturas, aut actus deformes prohibemus; Sit igitur cura Magistratibus nullam neq; picturam, neq; statuam esse talium rerum imitatricem.* Immo sicut scriptura quamuis inanimis maius nocumentum affert quàm viua vox, quia hæc transit, illa verò constantior permanet, in otio sæpe sæpius legitur & attentius contemplatur: ita pictura longè maius nocumentum affert, quàm res ipsæ, quæ citò procul absunt, & subducuntur. Concilium Constantinopolitanum sextum agnoscens lasciuientium imaginũ picturas magnum intuentibus nocumentum inferre sub grauissimis pœnis prohibuit effigies depingi quæ turpitudine sua inspectantium animis prauas possent excitare cogitationes.

§.3. *De modo exercendi Disciplinam Visus, & custodiendi oculos.*

IPsamet Natura docuit nos exercere huiusmodi disciplinam, & custodire oculos. [Nonne ipsa natura *inquit Chrisologus ser.* 139. in custodiendis oculis sollicita fuit, cum eosdem & superciliorum tegminibus, extremoq; superioris genæ ambitu occluserit, & illius vsum in centro pupillæ cælarit?] Debemus igitur nos sequi matrem naturam, nostrosq; oculos nonnisi alicuius necessitatis, aut charitatis, aut vtilitatis, aut honesti officij causa leuare, conuertere, adhibere. *Diuus Bonauentura in speculo disciplinæ par.* 3. *cap.* 7. paucis sed ponderosis verbis docet nos hanc disciplinam *sic inquiens.* [*Amatores honestatis oculos ab inordinata euagatione, & exaltatione custodiant. Scriptum est enim. Oculi stultorum in finibus terræ. Et dilatatio Cordis est exaltatio oculorum. Leuat quidam propheta oculos vt petat auxilium, Dominus vt impendat. Tu quoq; si locum, causam, & tempus consideras, tua vel fratris necessitate oculos leuas, non solum non culpo, sed plurimum laudo; hoc enim excusat miseria, illud commendat misericordia. Sin aliàs non Prophetæ, non Domini; sed Dinæ vel Euæ; immo ipsius Sathanæ te imitatorem dixerim*] *Ita Bonauentura.* Nec minus eleganter & grauiter idem docet. *Isidorus Pelusiota lib.* 2. *epistola* 284. modum tradens, quo debemus cum mulieribus conseruari. *Sic enim inquit.* [*Mulierum congressus quantum potes fuge, quod si etiam vt cum ipsis congrediaris necessitas aliqua te obstringat, oculos humi deiectos habe; cumq; paucis, quæ ad eas iuuandas spectabant, proposueris quàmprimum hinc te proripe.*] Et sanè inter veræ disciplinæ ac reformationis characteres oculorum demissio primum semper est visa tenere locum, & præsertim in Ecclesiasticis. Hinc dicebat Diuus Bernardus plurimùm prodesse ad custodiam Castitatis custodiam oculorum. Et verissimum dicebat, atq; ita rem se habere experientia plusquam satis testatur. [Ne dicatis *inquit S. August. relat.* 32. *q.* 5. *cap. nec solo.* vos animos habere pudicos, si habeatis

ocu-

oculos impudicos, quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius: & cum se inuicem sibi etiam tacente lingua conspe-ctu mutuo corda nutiant impudica, & secundùm concupi-scentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab immunda violatione Corporibus fugit castitas ipsa de mori-bus] Hæc Augustinus.

Si Sanctorum & præcipuè Sancti Sanctorum Christi Do-mini imitatores essemus, in hoc maximè illum imitaremur, cuius tàm rara, tàm insignis, tàm singularis fuit oculorum mo-destia, vt quoties illos eleuarit, toties & Euangelistæ adno-tarint. Quater eos eleuasse vt rem insolitam, & admirabilem referunt. Prima vice fuit in monte, cũ discipulis suis beatitudi-nes prædicaret. *Eleuatis oculis*, inquit S. Lucas cap. 6. *in di-scipulos suos dicebat Beati pauperes &c.* Secunda in resu scita-tione Lazari: *Iesus autem*, inquit S. Ioannes cap. 11. *eleuatis oculis sursum dixit. Pater gratias ago tibi quoniam audisti me.* Tertia in vltima Cęna, dum corpus suum sacratissimum & san-guinem consecrauit: quod etsi ab Euangelistis expresse non traditur, vt rem tamen certissimam antiqua traditione deter-minauit Innocentius Papa in cap. cum Marta de celebr. Miss. Quarta dum morti proximus: *Subleuatis oculis in cælum*, vt inquit S. Ioannes capit. 17. *dixit: Pater venit hora clarifica filium tuum.*

Quomodo oculos custodire, quaue ratione illis vti debe-rent hoc ænigmate Fratres suos Diuus Franciscus docebat. Quidam, inquit, Rex præpotens sed pius duos ad Reginam nuntios successiuè legauit. Horum prior reuersus verbis pro-positis verba reddidit solummodo; & de Reginæ persona pla-nè retulit nihil (siquidem oculos cautè tenuerat, ne in Regi-næ faciem prosilirent) Rediit alter, & post pauca quæ ad le-gationem pertinebant. Verè, inquit, Domine mi Rex vidi pulcherrimam mulierem. Felicem te reputo, cui illa Coniux obtigerit; Serue nequam, inquit Rex, verè impudicitiam tuam prodis: quid superest nisi vt concludam, te prospectam

impudicis oculis opprimere animo cogitasse. Priori verò nuntio adscito. quid, ait Rex, de Reginæ tibi persona videtur? optimè respondit; nam & patienter me audiuit, & sapienter respondit. Sed quid de forma & pulchritudine eius censes? Tuum id esto, ait, ò Rex & videre & iudicare. mei muneris fuit verba eius audire ac referre. Tum Rex de vtroq; ferens sententiam, illum palatio expulit, hunc verò à cubiculis constituit. Ne, inquit, ille thalamum meum polluat; tu verò illum constituas. Quibus Franciscus subijciebat. Quis non deberet vereri in Christi sponsam prophanos oculos conijcere.

At inquiet aliquis quomodo possum continere oculos ne aspiciã formosos viros, mulieres, adolescentes, & adolescentulas cum mihi sit opus perambulare, conuersari, affari, & negotia pertractare; immo sacramenta administrare? Vnde passim & ad horam mihi similes obuij fiunt. Respondeo. non prohibetur visus sed prohibetur fixus intuitus. Fieri non potest vt obuios non videas; sed fieri potest vt illos fixis obtutibus non respicias. Licitum est quodammodo per transitum videre; sed non licet attentè formam contemplari ad instar pictoris alicuius qui velit exemplar & imaginem à vultu transumere. Vnde benè monebat Diuus Augustinus inquiens. *Oculi tui si conuertantur in aliquem, figantur in neminem.*

§. 4. *De Exemplis eorum qui in custodia oculorum excelluerunt.*

ET Primo se offert nobis magnus ille Arsenius, qui dum in eremo viueret, à mulierum aspectu alienus omnino fuit. Atq; inter cætera, quæ de suorum oculorum custodia referuntur, hoc est singulare quod aliquando cum quædam non obscuri generis fæmina illum videre cupiens de improuiso in hospitiolum eius ipsi occurrisset repentè auertit sese, & muliebrẽ audaciam gestu pariter & verbis incusauit. Rogo, dicebat illa, ne indignè feras aduentum meum, quæ sincera mente & pio affectu hùc veni; aut si eo quidquã offensus es veniam da, ac pro me Deum, cui soli seruis, deprecare. Precabor Deum, respon-

respondit ille, & quidem multum ne tui vnquam meminerim.

De Diuo Carolo Borromæo Præsulū exemplari fertur tātæ fuisse continentiæ oculorum, vt cum negotia tractaturus sæpe stans fenestræ cuidam adhæreret quæ respiciebat forum & viā publicam vbi frequens omni tempore euntium & redeuntium & transeuntium concursus causa nundinarum fiebat, nihilominus nunquam ad Curiositatem pascendam oculos per dictam fenestram conuerteret ad aspiciendum. quod non exiguum illius sanctitatis argumentum fuit.

Nec minor magni illius Eremitæ Pauli fuit oculorum custodia. Is, vt refert Cassianus, non solùm præsentium fugiebat mulierum aspectum: sed illarum depictam etiam elegantiam, formositatem, & habitum. Intelligebat enim vir Dei Spiritu Sancto edoctus Demonem sæpenumero non minus vmbra, quàm Corpore; nec minus phantasmate ac imaginatione, quàm rei veritate homines oppugnare, & sæpe sæpius expugnare, & sui captiuos efficere.

Sed quid miramur Sanctos Episcopos & Eremitas aliosq; diuino cultui mancipatos in oculorum custodia excelluisse, cum id ipsum de viris in seculi huius fluctibus commorātibus; immo negotiorum molæ præpeditis;& inter populorum agmina versantibus perlegamus. Carolum Imperatorem huius nominis Quintū Principum sui sæculi tum belli tum pacis artibus verè Principem, adhuc vxorem habentē referunt sæpe ipsummet clausisse fenestras ne inspiceret speciosiores mulieres tempore, quo eas ex eadem fenestra eminus aduentantes aut prætereuntes fortè conspexisset, aut præterituras inaudisset.

Quòd hoc viri lumine fidei imbuti præstarint satis mirandū est stante humanæ naturæ post lapsum imbecillitate; proni enim sunt sensus hominis ad malum ab adolescentia sua. Sed quod idem perfecerint etiam prisci illi gentiles solo naturæ lumine ducti, hoc longè mirabilius certè est. Tullius refert Periclem grauiter commonuisse Sophoclem eò quod aspiciēs adolescentem laudauerit illum a sua pulchritudine inquiens

O pue-

O puerum pulchrum Pericle. Monuit igitur illum dicens. *Prætorem non solum manus; sed etiam oculos debere continentes habere*.

Cælius item Rhodiginus narrat quod cùm Rex Antiochiæ tertius die quodam in templo Dianæ Ephæsinæ Sacerdotissam extremæ pulchritudinis videret, pertimescens ne formæ illius amore caperetur, continuò è templo aufugit.

Vegetius quoq; de continentia Alexandri Magni recenset, quòd obtenta quadam victoria dum ei omnium pulcherrimam ab hostibus captam fæminam esse denunciaretur, illam ad sui præsentiam adduci neutiquam passus est, ne captus à captiua ipse fieret captiuæ captiuus: Tanta laude digna fuit hæc Alexandri continentia, vt Diuus Basilius in eius commendationem longam texuerit orationem.

S. Hieronymus tradit Cyrum Regem eò adduci minimè potuisse vt dum Reginam Pantheam summæ venustatis fæminam bello cæpisset, eam intuendam sibi obijci permitteret.

Non pauci etiam Historiographi illius matronæ Armeniæ modestiam narrauere, quæ à splendido Cyri Regis conuiuio domum reuersa, marito percontanti quid sibi de Rege eiusq; elegantia videretur respondit. *A te mi vir oculos nunquam deflexi, ideoq; qualis alieni visi forma sit prorsus ignoro*.

CAPVT II.

De Disciplina circa Linguam & Locutionem.

GVbernatio linguæ valdè conducit ad proficiendum in virtutibus & ad vitæ perfectionem comparãdam. Vnde S. Iacobus in sua Catholica, cap. 3. ait. *Si quis in verbo non offendit hic perfectus est vir*. Quemadmodum loquacitas & linguæ libertas non modicè impedit profectum. *Si quis enim*, inquit idem Apostolus 1. *putat se religiosum esse non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana*

na

na est religio. Immo non solum impedit profectum; sed magnum defectum inducit, & ad innumera peccata perducit. Nam *lingua est vniuersitas iniquitatis* vt idem ait 3. quapropter circa disciplinam linguæ & locutionem hæc videnda. 1. Motiua quibus inducimur ad hanc disciplinam arripiendam. 2. Verba à quibus debemus abstinere; & ea in quibus versari debemus. 3. Modum & rationem gubernandi linguam, & circumstantias rectæ locutionis. 4. Varia exempla ad id facientia. Sed hic præmonitum lectorem volo, me in dicendis non determinaturum quando & quomodo verba sint vitanda, (vt detractoria, adulatoria, mendosa & similia,) neq; an sint peccata venialia, aut mortalia nec ne? De hac .n. re tractant summistæ, & qui tradunt casus quos dicunt conscientiæ vt Nauarrus, Toletus & alij. Cum enim hic intendamus instruere Ecclesiasticos & manuducere ad perfectionem, supponimus illos non solum satagere vt peccata deuitent sed niti ad id quod perfectum est, Sat igitur nobis erit Verba mala detestari.

§. 1. *De Motiuis quibus inducimur ad disciplinã circa linguam.*

VT discamus linguam moderari, & cautionem adhibere circa locutionem satis esset dicere linguam fræno disciplinæ gubernatam causam esse multorum bonorum, & è contra linguam effrænem innumera propemodum mala in orbem terrarum inuexisse & in dies inuehere. Vnde benè cecinit quidam.

Nil melius lingua, lingua nil peius eadem
Tristia cum dulcis toxica melle gerit.

nihilominus quia particularia magis mouent quam vniuersalia; ideò afferemus quædam specialia motiua, quibus benè pensatis hanc linguæ disciplinam arripiemus.

Primum igitur motiuum sit; quia ex lingua benè vel malè gubernata agnoscitur qualis quisq; sit bonus an malus. Quod sic ostenditur. Exteriora indicant interiora (& hoc est principium communissimum. Vnde ait Philosophus 2. prior. *Per*

signa

signa Corporis nota sillogizamur dispositiones animę nobis ignotas) Maximè autem hoc fit per verba, quæ sunt signa earum, quæ sunt in anima, passionũ, vt inquit idem 1. Periherem. & auctor in libris sex principiorum. Bonus ergo sermo bonam conscientiam ostendit. Et è contra, Qui male loquitur detrahendo, blasphemando &c. malam se ostendit habere conscientiam. Vnde *S Ambrosius serm. de mor. & vit. honest.* [Morem hominis lingua pandit, & qualis sermo ostenditur talis animus comprobatur] *Et Augustinus.* [Vanus sermo vanæ conscientiæ est index.] Quia qualis in mente talis verbositas depingitur in ore. Et Isaias 32. *Fatuus fatua loquitur.* Et in Ecclesiastico 21. *Labia imprudentum stulta narrabunt.* Sicut enim per loquelam cognoscitur quis an sit Theutonicus, vel Italus, vel Gallus & huiusmodi: Ita per verba, & per locutionem cognoscitur vtrum quis sit ciuis regni cælestis, an inferni.

Secundum quia ex moderatione linguæ & ex silentio debitis temporibus seruato homo sapiens habetur itaut etiam stulti reputentur sapientes. Hinc Salomon in Prou. 17. *Stultus quoq; si tacuerit sapiens reputabitur, & si compresserit labia sua intelligens.* Et hoc patuit per exemplum cuiusdam stulti Romani, quod refert *Glosa legalis in l. 2. circa princ. ff. de orig. Iur.* & est huiusmodi. [Cum Romani petissent ab Atheniensibus sibi concedi legem 12. tabularum, ipsi Athenienses miserunt Romam quemdam sapientem vt exploraret an digni essent Romani legibus, qui cum Romam venisset, Romani cogitantes quid poterat fieri, quemdã stultum ad disputandum cum Græco posuerunt; vt si perderet, tantum derisio esset Græcis: qui sapiens nutu disputare cæpit, & eleuauit vnum digitum, vnũ Deum significans; stultus credens quod vellet eum vno oculo excæcare eleuauit duos, & cum eis eleuauit etiam pollicem sicut naturaliter euenit, quasi excæcare eũ vellet vtroq; Græcus autem credidit quod Trinitatem ostenderet. Item Græcus apertam manum ostendit, quasi ostenderet omnia nuda & aperta Deo: stultus autem timens maxillam sibi dari, pugnũ clau-

clausum quasi repercussurus leuauit. Græcus intellexit quòd Deus omnia clauderet palma, & sic credens Romanos dignos legibus recessit. *Ita Glos.* & ille stultus quia tacuit ab Atheniẽsibus sapiens, ac doctus est habitus. Ideò Iob dicebat amicis suis qui venerant eum visitare, & nimis loquebantur. *Vtinam taceretis vt putaremini sapientes.* Contrà autem verbosos. *S. Augustinus Ser. ad erem.* O verbose erubesce: nam omnino cognosceris quid agis: tua enim conditio est occulta manifestare, nota in conuentibus prædicare. Sed si nescis sumis inaudita. Fingis scire, quod non scis vt libenter audiaris à cunctis. *Et idem ibidem.* Loquentes laudare non audeo; sed tacentes beatos prædicare præsumo.

Tertiũ; quia lingua est labilis: est membrũ facile ad motum, & magna difficultas reperitur ad illam compescendam. Quapropter tantò maior diligentia adhibenda est ad illam custodiendam, & optimum consilium datur ad silentij arcem confugere. Lingua enim, *vt inquit, S. Augustinus Ser. 10. de ver. Dom.* facilitatem habet motus, in vno posita est, facilè labitur in lubrico; quantò citius illa, & facilius mouetur, tantò inaduersus, illã fixus esto. *Et Diuus Bernardus Ser. de tripl. custod. Melifluo illo suo eloquio sic inquit.* [Leuis quidem res est sermo quia leuiter volat, sed grauiter vulnerat; leuiter transit sed grauiter vrit; leuiter penetrat animum sed non leuiter exit. tenerum membrum lingua; attamen vix teneri potest.] Tanta est difficultas in edomando linguam vt cum Dauid Deum rogauerit dicens *Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam.* Postea instantissimè deprecatur dicens. *Pone Domine custodiam ori meo & ostium circumstantiæ labijs meis.* Quare illic a Deo petit vt os suum aperiat, alibi vero vt illud claudat? Hoc dixit vt ostẽderet quod ex manu Dei expectãdum est & benè tacere, & benè loqui: nam scire loqui, & scire tacere opportunè & sicut decet donũ est altissimi. S. Augustinus explicãs illud dictum Iacobi Apostoli. *Linguam nullus hominum domare potest.* Inter alia *lib. de nat. & grat. con. Pelagianos*, dicit hoc [Non ideò Apostolus hoc dixit vt huius in nos mali domina-

tionem per negligentiam permanere patiamur: sed vt ad domandam linguam diuinæ gratiæ poscamus auxilium. Non enim ait linguam nullus domare potest; sed nullus hominum domare potest, vt cum domatur, Dei adiutorio, Dei misericordia, Dei gratia fieri fateamur. Conetur ergo Anima domare linguam, & dum conatur poscat auxilium, & oret lingua vt dometur lingua. Itaq; præcepto commonemur quod conantes, & nostris viribus non valentes, adiutorium diuinum præcemur] *Ita S. Augustinus.*

Quartum quia lingua instrumentum est, quo dæmon multos homines capit; nam modo ad blasphemias, modò ad periuria, modò ad detractiones, modò ad turpia, ad scurrilia, ad otiosa verba innumera incautos inducit. Atque vt vno verbo dicam & omnia complectar. Lingua maximus est laqueus, quo homines ligantur et destruuntur. Vnde B. Iacobus inter alia, quæ de lingua affirmat, vt vno verbo multa compræhendat, ait. *Lingua nostra ignis est. vniuersitas iniquitatis.* Quo in loco Glosa inquit. Vniuersitas iniquitatis lingua vocatur quia per eam cuncta facinora aut conantur (vt latrocinia & stupra) aut patrantur (vt periuria, & falsa testimonia) aut defenduntur (vt cum quilibet scelus suum excusat quod commisit) Ideò in Ecclesiastico 14. dicitur. *Beatus vir qui non est lapsus verbo in ore suo.* Igni etiam B. Iacobus linguam comparat; ignis enim inter omnia alia elementa potentissimus est ad omnia destruẽda. Comparantur quoq; homines linguam non custodientes equis absq; fręno, & nauibus absq; gubernaculo ab eodem Apostolo ibidẽ. Vnde nõ sine causa Spiritus Sãctus in linguis apparuit potius, quàm in manibus, aut in alijs Corporis membris vt insinuaret membrum hoc maximè inflammatum esse infernali igne, quare necesse erat vt igne cælesti inflammaretur.

Quintum quia ex lingua immoderata & effręnata innumera propè mala proueniunt. Adhoc probandum (quia studemus breuitati) sufficiat afferre verba *Diui Bernardi Serm. de tripl. custodia manus, lingua, & cordis, qui sic ait.* [quis numeret quãtas modicum linguæ membrum contrahat sordes, quàm multiplex

plex in labijs incircūcisis immūditia copuletur, quàm sit grauis pernicies oris incircumspecti? Est enim lingua dissoluta in sermonibus otiosis, est lingua impudica, est & magniloqua, quarum prima lasciuiæ, sequens arrogantiæ famulatur. Est etiam lingua dolosa, & item lingua maledica, quarum altera in falsiloquam, & adulatoriam subdiuiditur: altera verò nunc in facie cōtumelias irrogat, nunc detrahit in oculto. Quod si de omni vel ocioso verbo quodcunq; locuti fuerint homines Deo reddituri sunt rationem in die iudicij, quantò districtius de verbo mendaci & iniurioso, de elato, vel lasciuo, de adulatorio, aut detractorio iudicabuntur? Quàm vera sententia fratres in multiloquio non effugiendum peccatum. Nemo vestrum fratres parui æstimet tempus quod in verbis consumitur otiosis. Volat verbum irreuocabile, volat tēpus irremeabile: nec aduertit insipiens quid amittat. Libet confabulari, aiunt, donec prætereat hora. O donec prætereat hora, ò donec pertranseat tempus. Donec hora prætereat, quam ad agendam pænitentiam, ad acquirendam gratiam miseratio conditoris indulget] *Et infra*. Lingua maledica vipera est. Ferocissima planè quæ tàm læthaliter tres inficiat flatu vno illum, qui loquitur, & de quo loquitur, & quē verbis suis scādalizat. Nunquid non lancea est ista lingua? Profecto & acutissima, quæ tres penetrat ictu vno. Lingua, inquit, eorū gladius acutus. Gladius quidem anceps, immo triceps est lingua detractoris. Nec verò eiusmodi linguam ipso etiam mucrone quo Dominicum latus confossum est crudeliorem dicere verearis. Fodit enim hæc quoq; Christi corpus, nec iam exanime fodit, sed facit exanime fodiendo. Ipsis quoq; nocentior est spinis, quas illi tàm sublimi capiti furor militaris imposuit, seu etiam clauis ferreis, quos sanctissimis manibus illis, & pedibus consumatio Iudaicæ iniquitatis infixit. Nisi enim huius, quod nunc pungitur & transfoditur, corporis sui vitam, illius vitæ Corporis prætulisset, nunquam illud pro isto, mortis iniuriæ, Crucis ignominiæ tradidisset. Modicum membrum lingua est, sed nisi caueas, magnum malum. Vilis res est musca moriens, sed ex-

terminat Dei ſuauitatem. Tenuis eſt & lata lingua aptiſſimum vacuandis cordibus inſtrumentum, ſicut multorum mihi inter vos conſcientias arbitror atteſtari. *Hæc Bernardus*.

§. Secundus. *De Verbis à quibus debemus abſtinere*.

VErba, in quę frequentius Eccleſiaſtici nōdum perfectionem aſſequuti labi poſſunt ac ſolent ſunt Aut Turpia, & Scurrilia: Aut Detractoria: Aut Suſurratoria: Aut Adulatoria: Aut Iattatoria: Aut Doloſa ſeu Mendoſa: Aut Iocoſa: Aut ſaltem Vana. Ideo breuiter de ſingulis dicendum eſt a liquid.

De Verbis Turpibus, obſcænis & ſcurrilibus.

DIuus Apoſtolus Paulus volens ad linguæ moderationem Epheſios ad hortarè ſic inquit. *Fornicatio & omnis immunditia, aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas non nominetur in vobis &c.* additq; rationem. *Corrumpunt bonos mores colloquia praua*. Magna enim ſunt luxuriæ & libidinis incentiua. Quamobrem *S. Ambroſius de Pænit. lib. 1. cap. 14.* cum dixiſſet libidinem conuiuijs paſci, delicijs nutriri, tandem ſubijcit [Grauiora ſunt his fomenta verborum] Et ſanè obſcæna verba, etiam ad animos caſtos, non ſine labe penetrare nemo eſt qui neget. Nec inelegans eſt *S. Baſilij lib. de Virgin.* ſimilitudo. Sic enim ait [Veluti lapis in aquam ciſternæ coniectus non ſolum adiacentem aquæ partem, in quam decidit, agitat; verum & orbes alios perpetuis vicibus excitans, eos interdum ad vltimos laciniæ margines producit: ita ſermo laſciuus in animam caſtam velut in vndam puriſſimam vehementer coniectus alias poſt alias amatorias cogitationes excitat totamq; animā voluptatis fluctibus agitat.] *Hæc Baſilius.* Nempe ſicut oleum veſti ſuperincidens facilè ſe dilatat, & maculam relinquit; ſic planè contingit de verbis impudicis & obſcænis; vbi enim in animam penetrauerint facilè, illam commaculant

ni

ni statim sedulitate magna excutiantur, & abijciantur. Propter hoc vocantur etiam tędæ Diaboli omnia comburentes et deuastantes. Vnde in Iob 31. habetur. *De ore eius lampades procedunt velut tedæ ignis accensæ, halitus eius prunas ardere facit. Et in Ierem.* 11. *Ad vocem loquelæ grandis exarsit ignis in ea, & combusta sunt frutetæ eius.*

Persimile est interdictũ illud Aristotelis in Politicis lib.7.cap. vlt. *Omnis obscænitas verborum per legislatorem exterminanda est de Ciuitate. Ex turpiter enim loquendi licentia sequitur & turpiter facere. Si quis dicere aut facere prohibitorũ quicquam deprehensus fuerit honore priuetur, & verberibus castigetur; sed si sit maioris ætatis seruili afficiatur infamia.* Nempe vidit vno prohibito id omne prohibitum videri, per quod ad illud peruenitur; turpiloquijs autem promouetur in primis negotium libidinis. Sed & verba nostra dedecet minus pudica esse quàm Iudæorũ: hi autem vt narrat Iosephus vsque adeò abhorrebant à turpiloquijs, vt etiam horrerent animalia valdè sordida proprio appellare vocabulo; sed per periphrasim. *Nefanda animalia.* Ridiculum deniq; est religiosè abstinere à commemoratione excrementorum Corporis, vel partium obscęnarum per quas egeruntur; & non etiam ac multò magis à quauis libidinosa locutione, cum illa nullum vehant secum culpæ periculum, hæc verò quàm maximum. sic excolatur culex & camelus deglutitur?

De Verbis Detractorijs.

DEtractio *est ablatio famæ per verba cum intẽtione nocendi.* Dicitur *ablatio*, quia detrahere est auferre aliquid à proximo: vnde constat detractionem esse contrà iustitiam, quæ prohibet auferri alteri quod suum est.

Dicitur *fama.* Est autẽ fama *notitia & opinio, quam aliquis habet apud Homines.* Quando bona est, dicitur bona fama: cũ verò mala, dicitur mala fama. Differt ab honore; nam honor *est reuerentia quæ exhibetur alicui in signum alicuius excellẽtiæ:*

tamen



tamen tàm honor quàm fama sunt bona hominis externa, Quando igitur aliquis aufert bonam famam & opinionem, quam alter apud homines habet, dicitur detrahere; ob id detractio dicitur ablatio famæ; in quo differt à contumelia *quæ est ablatio honoris*.

Dicitur, *per verba*. Dupliciter enim potest quis bonam alicuius famam auferre. Vno modo apud se solùm, vt cum Petrus habens in se bonam opinionem Pauli, mutat eam, & concipit malam; tunc aufert in se famam Pauli; & si talis mala opinio concepta fuit absq; rationabili causa tunc pertinet hoc ad iudicium temerarium. Altero modo potest quis auferre famam alterius non solùm apud se, verum etiàm apud alios, & hoc pertinet ad detractionem. Et quia Homo per verba manifestat suos conceptus; ideo per verba fit detractio, ob idq; talis particula posita est in definitione. Aduerte tamen per verba intelligi etiam nutus, & signa, & scripturas, quibus libelli infamatorij fiunt. Rursus intelligi ista tùm formaliter, tum virtualiter. Verbum formale est cum quis verè verbum edit, vel signum, vel scripturam. Virtuale cum ex taciturnitate verbum insinuatur; quando enim quis tacet cum loqui deberet tunc virtualiter loquitur aliquid approbando vel reprobando.

Dicitur deniq; *cum intentione nocendi*: nam cum quis iuridicè aliquem accusat, vel condemnat, famam quidem aufert non tamen detrahit; nam detractor famam aufert intentione nocendi. Quod dupliciter potest contingere. Vno modo directè, cum verè habet talem intentionem nocendi. Altero modo indirectè, cum licet non habeat talem intentionem expressè, famam tamen aufert ob alium finem puta ob ludum, & iocum, vel etiam nullo fine præstituto; aut etiam ob finem bonum, tamen non seruatis debitis circumstantijs. Qui igitur sic famam alterius aufert, dicitur indirectè habere intentionem nocendi. Et ex his patet Detractionis definitio.

Modi Detractionis, sunt octo de quibus S. Thomas 2. 2. q. 73. quem sequuntur communiter Theologi. Qui modi in duas

partes diuiduntur. Quidam sunt, in quibus detractio versatur circa malum. Quidam circa bonum.

Circa malum quatuor sunt modi detrahendi sequenti carmine comprehensi.

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens.

Imponens dicitur qui infamat alterum imponendo crimen, & vitium quod non habet; & hic est pessimus detractionis modus. *Augens* est qui alterius crimen verum auget narrando, amplificando, & exaggerando vt maius appareat. *Manifestans* dicitur, qui crimen occultum alicuius propalat, & manifestat alijs famam illius auferre intendendo. *In mala vertens* dicitur qui factum alterius bonum in malam partem interpretatur coràm alijs illius famam imminuendo. Ille autem dicitur in malum conuertere bonum alicuius, qui id, quod ex se bonum est, leui ratione motus & absq; causa rationabili vt malum iudicat.

Circa bonum; sunt etiam quatuor modi altero consimili carmine comprehensi.

Qui negat, aut minuit, tacuit, laudatuè remissè.

Ille dicitur negare qui virtutem alterius, ex qua famam apud alios habet, coràm illis negat. *Ille minuit*, qui quamuis non neget; minorem tamen suis verbis aut signis reddit. *Ille tacendo detrahit*, qui cum de fama alicuius periculum est, cui potest ipse subuenire, nihil dicit: Vel cum laudantibus alijs aliquem ipse tacet dans intelligere se aliorum laudi non consentire. *Ille deniq; plaudat remisse*, qui quod magna laude dignum est, parum laudat aut verbo, aut signo. Hic modus ad secundum reducitur.

Cæterum detractio reprobata est atq; damnata per Rationes naturales: per Auctoritates Sacræ Sripturæ: Iuris Pontificij: Sanctorum Patrum: Philosophorum: & Poetarum.

Primo per rationes naturales. Nam detractio est contrà ipsam met rationem naturalem & ratione insidiationis: & ratione proditionis. Ratione quidem insidiationis, quia detractor assimilatur cani in Ecclesiastico 19. *Sagitta infixa femori canis,*

sic

sic verbum in corde stulti. Canis enim habens sagittam infixam femori nunquam quiescit donec illam abstulerit; sic nec stultus quiescere potest donec malum, quod de proximo audiuit, alteri referat. Est canis non solum carnes comedendo, de carnalibus scilicet hominibus obloquendo; sed etiam ossa ipsa rodendo, vitam scilicet spiritualium hominum sua lingua peruertendo, & contingendo; quod sumopere detestās B. Augustinus, & volens huiusmodi canes detractores a sua mensa intelligi exclusos iussit in pariete refectorij sequentia carmina apponi.

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam.
Hanc mensam indignam nouerit esse sibi.

Ratione autem proditionis; quia detractor est etiam veluti serpens. habetur enim Ecclesiast. 10. *Si mordeat serpens in silentio; nihil eò minus habet, qui occultè detrahit*. Nam serpens est animal proditiosum in silentio mordens; sic detractor est proditor; quia illos mordet, quos amare se simulat quando sunt præsentes: ibi autem detrahit vbi de silentio & absentia confidit: & sicut serpens verbis & tumultibus hominum detinetur; sic detractor timet quando videt eum venientem, cui detrahit: & sicut serpens tortuosè incedit; sic detractor incipit à laude eius, cui vult detrahere; deinde subdit *sed tamen*, quę est coniunctio attenuatiua, vel aduersatiua: & sicut serpens manducat terram; sic detractor quod terrenum & vile est in homine, versat in ore. Hinc benè in sacris literis detractores vocantur serpentes. In psal. 140. *Acuerunt linguas suas sicut serpentis*. In Ierem. 8. *Ecce ego immittam in vobis serpentes regulos quibus non est incantatio*.

Secundò per Auctoritates Sacræ Scripturæ tum veteris tum noui testamenti.

In testamento veteri. In Num. 12. Maria soror Moysis eo quod detraxerit fratri modica occasione sumpta, pœna lepræ punita est. Vnde dictum est ei. *Quare non timuisti detrahere seruo meo Moysi*. Et ibidem. Omnes Iudæi qui egressi sunt de Aegipto, mortui sunt peste in deserto ob peccatum detractionis & murmurationis. Ideò ibi scriptum est cap. 14. *Omnes homines*,

mines, qui viderunt Maiestatem meam in Aegipto non videbunt terram pro qua iuraui patribus eorum, nec quisquam exillis qui detraxit mihi intuebitur eã. In leuit. 19. *Non maledices surdo:* Glosa explicat. Surdo maledicit qui absenti detrahit: absens enim minus pot est audire detrahentem quàm si surdus esset. In exod. 23. *Inimicorum tuorum coram te terga vertam; emittam crabrones prius &c.* Detractor comparatur crabroni, quia quemadmodum crabro non quiescit nisi in stercoribus; ita detractor non nisi in alienis peccatis quiescit. In Prou. 24. *Cogitatio stulti peccatum est, & abominatio hominum detractor.* Et in Psal. 101. *Detrahentem secretò proximo suo hunc persequebar.* In Iob 19. *Stulti quoq; despiciebant me, & cum ab eis recessissem detrahebant mihi.* In Ezech. 22. *Viri detractores fuerunt in te ad effundendum sanguinem; scelus operati sunt in medio tui.*

In testamento nouo: In Epistola S. Iacobi 4. *Nolite detrahere alterutrum, qui detrahit fratri aut qui iudicat fratrem suum detrahit legi,* & 1. Petri. 2. *Conuersationem vestram inter gentes habentes bonam, vt in eo quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum in die visitationis.* Et ibidem. *Non reddentes malum pro malo vel maledictum pro maledicto; sed è contrario benedicentes; quia in hoc vocati estis vt benedictionem hereditate possideatis.* Et Diuus Paulus ad Romanos 1. *Tradidit illos Deus in reprobũ sensum vt faciant ea qua non conueniunt. repletos omni iniquitate, malitia, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores &c.*

Tertiò per auctoritates Iuris Pontificij. Nam 6. *q. p. cap. ex merito habetur* [Caueat vnusquisque ne aut linguam aut aures habeat prurientes. id est. ne aut alijs ipse detrahat, aut alios detrahentes audiat. Sedens, inquit, aduersus fratrem tuum loquebaris detrahendo, & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum. Parcant singuli detractioni linguæ, custodiantq; sermones suos, sciantq; quia cuncta quæ de alijs loquuntur sua sententia iudicabuntur.] Et 3. *q. 4. cap. detractores.* [Detractores qui diuina auctoritate eradicandi sunt, & auctores inimico-

micorum ab Episcopali submouemus accusatione vel testimonio.] Item 2.q.7. *cap. accusatio.* [Si detractores quorumcunq; grauiter vindicantur, & in perditionis laqueum cadunt; multo magis laceratores & detractores atq; accusatores famulorum Dei damnantur, & in baratrum nisi se correxerint, & per eorum satisfactionem condignam egerint pœnitentiam, indubitanter cadunt, & vindicibus flammis exuruntur.]

Quartò per Auctoritates Sanctorum Patrum. *D.Greg.14.moral. sic inquit.* [Per Salomonẽ dicitur Noli esse in conuiuijs potatorum, neq; comedas cum eis, qui carnes ad vescendum cõferunt, carnes ad vescendum conferre est in collocutione detrogationis viciſſim proximorum vitia dicere] *Et Diuus Hyeronimus epist. ad celant.*] Nulli vnquam omnino detrahas, vt aliorum vituperatione te laudabilem videri velis. Magis tuam vitam ornare disce, quàm alienam corpore. Memor esto scripturæ dicentis: Noli diligere detrahere ne eradiceris.] *Et Diuus Augustinus in Gloſ. super illud. Pro eo vt me diligerent detrahebant mihi, dicit* [Plus nocent in membris detrahentes Christo, quia animas creditorum interficiunt; quàm qui eius carnem mox resurrecturam premerunt.]

Quintò per Auctoritates Philosophorum moralium, & Poetarum. Quantũ igitur ad Philosophos *Val.Mag.lib.4 sic ait.* [Nulla tã modesta fælicitas est, quę malignitatis dentes uitare possit. Qui alienis malis sicut suis bonis lætantur: diuites sunt alienis iacturis, locupletes calamitatibus, immortales funeribus.] *Et Tullius contrà Sallustium.* [Sæpe uidi grauius offendere animos auditorum eos; qui aliena uitia apertè dixerunt, quam eos qui commiserunt.] *Idem de officijs.* [Arbitrari debemus magis esse contrà naturam hominem homini detrahere sui commodi causa, quàm omnia incommoda subire uel externa, uel Corporis.]

Quantum ad Poetas. *Claudianus in maior.*

——— ne cunctos paucorum crimine damnes.

Et Ouidius de art. aman. lib. p.

Parcite paucorum crimen diffundere in omnes.

Et

Et Auianus in metalogia.

Qui benè proloquitur coràm qui postea prauè
Hic erit inuisus bina quòd ora gerat.

De Verbis Susurratorijs.

SVsurratio *est manifestatio defectus alterius ad seminandas discordias inter amicos.* Est peccatum graue contra iustitiam; & ex genere suo grauius quàm detractio, & contumelia, quod probat *Diuus Thomas 2.2.q.74.art.2.* [quia peccatum in proximum tantò est grauius, quãtò per ipsum maius proximo nocumentum infertur. Nocumentum tantò maius, quantò maius est bonum quod tollitur. Inter verò exteriora bona præeminet amicus, quia sine amicis nullus viuere posset, vt patet per Philos. 8 ethic. Vnde dicitur Ecclesiast. *6. Amico fideli nulla est comparatio.* Fama autem ipsa quæ per detractionem tollitur ad hoc maximè necessaria est vt homo idoneus ad amicitiam habeatur. Et ideò susurratio est maius peccatum quàm detractio, & etiam quàm contumelia, quia amicus est melior quàm honor, & amari quàm honorari, vt in 8. ethic. Philosophus dicit. Adde quòd multoties in susurratione includitur detractio & contumelia; quia ad disseminandas discordias sæpe refertur crimen alterius falsum, vel verum sed occultum in absentia aut in præsentia. [*Ita D. Thomas.*

Hinc est quod tantopere in sacris literis damnatur susurratio; nam leuit.19. dicitur. *Non eris criminator nec susurro in populis.* Et Eccles. 5. *Non appelleris susurro.* Item 28. *Susurro & bilinguis maledictus erit; multos enim turbauit pacem habentes.* Et in Prouerbijs 26. *Susurrone ablato iurgia conquiescunt.* Etenim susurro talia de proximo profert mala, quæ possunt contra ipsum commouere animum audientis secundum illud Ecclesiastici 28. *Vir peccator conturbabit amicos, & in medio pacem habentium immittit inimicitias.*

Cœterum miræ sunt artes susurrorum vt virus suum euomant efficaciter: Nam persæpe ita sua dicta colorant, vt videantur ad bonum finem quæ ab ipsis dicuntur referri: vnde

appositè dixit Propheta. Molliti sunt sermones eorum super oleum, & ipsi sunt iacula. Et sapiens. Verba susurronis quasi simplicia, & ipsa penetrant vsq; ad intima ventris. Sub specie simplicitatis columbinę multa susurro enarrat quasi cōpatiens, interim interficit more serpentino, caudaq; venenata infigit aculeū. Atq; vt iterū sapiēs Eccl.12.dicit. In labijs suis indulcat, & in corde suo insidiatur; in oculis lachrymatur & quasi adiuuans suffodiet plantas tuas: caput suum mouebit, & multa susurrans commutabit vultum suum. Nempe quia lætum in aduersis, tristem in prosperis, hilarem in occulto, compositum in aperto se ostendit. Instabilis est vt permaneat, fallax vt blandiatur, sagax vt insidietur, procax vt noceat, concors alijs vt persequatur, admiratur & insultat cadenti, applaudit et obloquendo malignatur; nam falsa in aure locutione nititur se amicitiæ illius, cuj loquitur, insinuare, & alium de quo susurrat in odium adducere. Meritò igitur à Deo maledictus dicitur. *Susurro & bilinguis maledictus*. Meritò maledictus sicut Dæmon; quia susurro similis est Dæmoni, qui primus discordias seminauit & pacem turbauit in cælo inter Deum & Angelos; in paradiso inter Deum, & hominem; in mundo inter fratrem & fratrem nempe inter Cain & Abel; inter Esau & Iacob: immo inter Patrem & Filium, videlicet inter Dauid & Absalonem. Est ergo susurro membrum Diaboli & instrumentum illius. Quod apertè insinuat Diuus Gregorius in suo pastorali his verbis. Admonendi sunt, inquit, qui iurgia seminãt vt cuius sint sequaces agnoscant: nam de apostata Angelo scriptum est, cum bonę messi inserta esset Zizania. Inimicus homo hoc fecit.

Sed attendant benè susurrones: quia susurratio & calumnia frequentissimè in eorum caput recidit; & tandem veritas in eorum confusionem elucescit vt satis apertè constat ex facto eorum qui Danielem criminabantur apud Regem, eiusq; perniciem intentabant vt in libro Danielis. Et ex facto Aman qui exitium Mardochæo & populo Iudæorum parabat, vt in libro Hester. & frequētissimè hoc videtur in aulis Principum.

Nimi-

Nimirum; quia verum est quod scripsit Petrarcha. *Vt enim immortalis est veritas, sic fictio & mendacium non durant; simulata illicò patescunt, & magno studio compta cæsaries vento turbatur exiguo. Nemo sub aquis diu viuit, erumpat oportet, & frontem, quam celabat, aperiat.*

De Verbis Adulatoriys.

ADulatio *est sermo laudis alteri suprà debitum virtutis modum exhibitus intentione placendi*. Ita Diuus Thomas. 2.2. q.115. art.1. Illud igitur blandiendi genus, quo aliquis in familiari consuetudine alterum oblectare vel dictis vel factis studet, idq; contrà decorum & rationis regulam, adulatio nominatur. Hoc vitium maximè in aulis magnatum dominatur; vbi non desunt qui vt gratiam Principis sibi concilient, atq; ad officia publica & magistratus sibi viam aperiant, loquuntur placentia, de quibus disertè dixit *Alanus. lib. de complanc. naturæ*. [Hi sunt, *inquit*, qui magniloqua commendationis tuba in diuitum auribus citharizant; qui vt emungant munera caput diuitis oleo inungunt, Prælatorum auribus puluinaria laudum subijciunt.] Hæc aduertens & benè perpendens *Seneca, scribebat sic ad amicum*. [Monstrabo tibi cuius inopia laborant summa fastigia: & quid possidentibus omnia desit, scilicet ille qui verum dicat. Vna contentio ibi est qui blandissimè fallat. Si in clientela alicuius potentis veneris, Veritas aut Amicitia perdenda est.] Hoc benè cognouit Ludouicus. 12. Galliæ Rex, qui solitus conqueri perhibetur, quod cum in suo palatio rerum omnium abundantia floreret, vna tamen Veritas abesset, quæ vel non ingreditur ad Principes; vel si quandoq; ingreditur, varijs est induta coloribus & ministrorum arte fucata, qui ita se gerunt ne gratiam Principis amittant: sæpissime enim accidit vt qui veritatem merè nudam & sine fuco aperire volunt, gratia & aula excidant. O tempora ò mores. Quod detestans summoperè alter ille Galliarum Rex Ludouicus inter Sãctos relatus, cum morti proximus filio documenta relinqueret, sic illum est affatus. Ita te gerito ò fili

vt

vt Confessarij, necessarijq; & familiares possint te admonere mali quod feceris, & docere quid faciendum sit. Monebat scilicet prudenter vt veritatem amaret, & adulatores fugeret Palatij pestem, vel vt Constantinus eos vocare solebat (teste Nicephoro) Palatij tineas & Sorices.

Graue profectò & perniciosum est adulationis malum multiplici de causa.

Primò quidem, quia adulatorem bilinguem reddit, & duplicem corde ob mendacium, quod adulationi commisceri solet. Nam, vt inquit Alanus vbi supra, frequenter exterius applaudendo collaudant, quos interius derisione vituperant; foris vultu applaudunt virgineo, intus scorpionis pungunt aculeo; & à voluntate vultum, ab animo verbum, à mente linguam, ab intellectu loquelam amplo dissensionis interuallo diffibulant.

Secūdò qa frequēter ad peccādū inducit adulatio, vel hominē iam in peccatis inuolutū impedit ne resurgat, eumq; in vitijs enutrit. Propterea dixit. *S. Augustinus explicans illud Psalmistæ. Laudatur peccator in desiderijs animæ suæ.* sic *inquit.* [Adulātium linguæ hominem in peccatis ligant; delectat enim ea facere in quibus non solum non metuitur reprehensor; sed etiam laudatur operator] Propterea etiam monebat Sapiens. *Fili si te lactauerint peccatores non acquiescas eis* q.d. si te blādis sermonibus vt quodam quasi adulationis lacte ad peccatū ducere voluerint, vel in peccatis enutrire, caue lac venenatū & lethiferum, quod letargicū soporem inducit ne exciteris ad vitam. Grauissimè hoc peccato peccant qui per adulationem Principibus suadent licere eis plenitudine potestatis vectigalia & tributa pro libitu imponere; ipsos esse dominos rerū, agrorum, & bonorum omnium sui regni; & similia.

Tertiò quia adulatio impedit ne quis rectum de se iudicium habeat dum malefacta laudantur; Vel nimis laudantur quæ laude digna non sunt. Citò nobis placemus si quis nos viros bonos affirmet, si prudentes, si sanctos: nec sumus modica laude contenti, quicquid in nos adulatio sine pudore congesserit

ferit quasi debitum prehendimus, naturali quodam ducimur malo. Et quamuis respondeamus nos indignos, & calidus rubor ora perfundat; ad laudem tamen suam anima intrinsecus lætatur. Hinc *Diuus Gregorius relatus cap. inter crebra* 11. *q* 3. *monet inquiens.* [Inter verba laudantium siue vituperantium ad mentem recurrendum est; & si in ea non inuenitur bonum quod de nobis dicitur, magnam tristitiam generare debet: Et rursum si in ea non inuenitur malum quod de nobis homines loquũtur, in magnam debemus lætitiam prosilire. Quod si non omnes laudant; & conscientia liberos nos demonstrat, habemus Paulum dicentem. Gloria nostra hæc est testimonium cõscientiæ nostræ.] Alexandro Magno ita eius aulici mentem ademerant, vt cum filium Iouis illum esse dicerent, iam etiam ex parte suaderent. Verùm cum ipse in vrbis cuiusdam obsidione sagitta percussus esset, sanguinemq; fluentem aspiceret, ad mentem rediјt, ac dixit. Quamuis omnes iurent me Iouis filium, vulnus tamen hoc me hominem clamat.

Hoc adulationis vitium ab omnibus est fugiendum; sed præcipuè ab illis, qui ex officio tenentur vitia in Ecclesia Dei corrigere. Vnde Propheta Ezechiel. cap. 13. illis væ inclamat, qui consuunt puluillos, & eos sub cubito aut sub capite omnis ætatis constituunt vt sine anxietate obdormiant. Quod explicans Diuus Gregorius & aliј Patres dicunt ad illos sermonem dirigi, qui cum ad hoc in Ecclesia Dei sint constituti vt contrà vitià clament, loquuntur tamen placentia: populiq; vitia & præsertim magnatum excusant, colorant blandis sermonibus, & eos in illis obdormire & quiescere sinunt. Væ Episcopis, væ Prælatis, væ Pastoribus qui parietem malè constructum liniunt, & dealbant (vt idem Propheta loquitur) turpitudinem exterius colorant, quàm detergere deberent, blandimento linguæ apud nobiles & diuites sic se gerunt, vt vitia eorum potius fouere censeantur quàm corrigere, gratia eorum veritè excidere potius quàm gratia Dei. Non ita se gessere Sancti Dei viri circa Reges & Principes. Non adulatorio sermone eis obsecundarunt sed liberè increparunt. Elias liberè increpauit

Achab

Achab Regem: Eliſeus Ioram: Natan Dauidem: Iſaias Manaſſen: Daniel Nabucdonoſor & Baltaſarem: Ieremias Ioachim & Sedechiam: Ioannes Herodem: Baſilius Valentem: Chryſoſtomus Eudoxiam: Hilarius Conſtantium: Ambroſius Theodoſium & Valentinianum. Quid enim reſponderit hic Theodoſio poſt cædem Theſſalonicæ factam, ſatis notum eſt: & quomodo eum ab eccleſiæ ingreſſu prohibuerit, pænitentiæq; ſubiecerit. Quid etiam reſponderit Valetiniano iubenti vt Eccleſiam traderet Arianis dignum eſt memoratu [quę Dei, *inquit*, ſunt imperatoriæ poteſtati non ſunt obnoxia. Si patrimonium affectatis inuadite; ſi Corpus accurrite. Vultis in vincula ducere! vultis ad necem? ludus eſt. Non ego me vallabo ſtipulatione populorum, nec altaria tenebo vitam deprecans; ſed pro altaribus victimam me præbebo.]

De Verbis Iactatorijs.

IActantia *eſt manifeſtatio excellentiæ propriæ ſuprà id, quod vel in ſe, vel in aliorum exiſtimatione eſt, verbis inordinatè facta*. Ex Diuo Thoma 2. 2. q. 112. Cuius definitionis ſufficientia ex hoc apparet, quia Iactantia, propriè importare videtur extollentiam quandam; quæ enim homo longè iactare vult, in album eleuat. Tunc autem propriè aliquis ſe extollit, quando de ſe ſupra ſe aliquid dicit. Quod quidem contingit dupliciter. Quandoq; enim aliquis loquitur de ſe non quidem ſuprà id, quod in ſe eſt; ſed ſuprà id quod de eo homines ópinantur (quod Apoſtolus 2. Cor. 12. refugiens dicebat. Parco, ne quis me exiſtimet ſuprà id, quod uidet in me, aut audit aliquid ex me) Alio modo aliquis per verba ſe extollit, loquens de ſe ſuprà id, quod in ſe eſt ſecundum ueritatem. Et quia magis eſt aliquid iudicandum ſecundùm quod in ſe eſt, quàm ſecundùm quod eſt in opinione aliorum; ideò magis propriè dicitur Iactantia quando aliquis effert ſe ſuprà id quod in ipſo eſt, quàm quando effert ſe ſuprà id, quod eſt in opinione aliorum quamuis utroq; modo Iactantia dici poſſit.

Con-

Contrà vitium istud dat sapiens monitum in Prou. 27. dicens: *laudet te os alienum, & non os tuum; extraneus & non labia tua.* Iactantia vt plurimum prouenit ex auiditate laudis humanæ, quæ quàm vana sit declarat *S. Augustinus lib.* 10. *Conf. cap.* 36. his verbis loquens Domino [qui laudari, *inquit*, vult ab hominibus vituperante te, non defenditur ab hominibus iudicante te, non eripitur damnante te]

Cæterum iactantia vt plurimum est peccatum veniale; fit autem mortale quando contrariatur Charitati Dei, aut proximi. Quod contingere solet in his casibus nempe primò quãdo quis se iactat de aliquo peccato mortali, quod vel reuera cõmisit, vel sibi imponit: de his .n. loquitur Isaias cap. 3. inquiens. *Peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt.* Item sapiens *lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis.* Secundò quando quis se iactat cum iniuria Dei, quale fuit peccatum illud Regis Tyri de quo Ezechias. *Eleuatum est cor tuum, & dixisti. ego sum Deus.* Tertiò Cum quis se iactat cum iniuria notabili proximi vt Pharisæus ille se iactabat suprà humilem publicanum dicens. Non sum sicut cæteri homines raptores, adulteri, sicut hic publicanus. Quartò cum sequitur notabile detrimẽtum proximo vt quãdo quis se magnũ iactat Medicũ aut Aduocatũ cum non sit; Vnde alij decipiuntur & damnum patiuntur eo quòd ad ipsum confluunt: tunc peccatum est mortale ad restitutionem obligans. O mendaces filij hominum vt decipiant ipsi de vanitate in idipsum. Quintò deniq; cum quis se iactat ad aliquem finem qui sit mortale peccatum. extra hos casus Iactantia ferè semper est veniale. Debemus tamen nos ecclesiastici niti ad id quod perfectum est; & ipsa etiam venialia vitare quantum fieri potest.

De Verbis Mendacibus, exaggeratorijs, & Hyperbolicis.

MEndacium sic describi potest. *Est Verbum falsum cum intentione fallendi,* Ita Toletus in summa lib.8. cap.56. Dicitur *Verbum* nam mendacium propriè est peccatum oris; &

per verbum non solùm vocem, sed scripturam, quæ loco vocis datur, intelligimus.

Dicitur *falsum*, vbi nota quod Verbum dupliciter potest dici falsum vno modo quando aliter per ipsum enunciatur res quam ipsa in se sit: vt si quis dicat *Papa non est Romæ* falsum dicit verbum; namq; non enunciat rem vt est; cum verè sit Papa Romæ. Altero modo dicitur falsum, cum aliter enunciatur res, quàm homo qui profert verbum existimat in suo corde, vt si ego existimans Papam non esse Romæ dicam tamen *Papa est Romæ* dico falsum. Et aduerte quod aliquando stat dicere falsum hoc posteriori modo, & non priori. In hac igitur definitione sumitur modo posteriori; non enim est mendacium dicere quod non ità est; sed dicere aliter quàm Homo sentiat, siue sit siue non sit ita in re: ideò dicitur *mentiri* quasi *contrà mentem ire*.

Dicitur *cũ intẽtione fallẽdi*. Qui .n. aliter quã sẽtit proloquitur, alterũ fallit, & fallere intẽdit; nõ etenim sic ꝓfert nisi vt diuersã opinionẽ in animo alterius generet; hoc autẽ est fallere.

Porrò Mendacium est triplex, videlicet Perniciosum, Officiosum, Iocosum. Ita Diuus Tho. 2. 2. q. 110. art. 2. quam diuisionem communiter recipiunt omnes Theologi & Summistæ.

Dico igitur Primò. Omne mendacium vniuersaliter loquendo est peccatum. Rationẽ assignat Diuus Thomas loc. cit. art. 5. quia quod est secundum se malum ex genere, nullo modo potest esse bonum & licitum: ad hoc enim quod aliquid sit bonum requiritur quòd omnia rectè concurrant; nam bonum, ex mente Dionisij, est ex integra causa; malum verò ex singularibus defectibus: sed mendacium est malum ex genere; quia est actus cadens super indebitam materiam: cum enim voces naturaliter sint signa conceptum, innaturale est quod aliquis vocibus significet id quod non habet in mente. Ergo omne mendacium est peccatum. Hoc etiam asserit Diuus Augustinus in libro contrà mendacium.

Nec obstat quòd in sacris literis legitur quosdam viros etiã Sanctos fuisse mentitos, vt Abram, qui de vxore sua dixit

quòd

quòd esset eius soror. Et Iacob, qui dixit se esse Esau. Et Iudith, quæ Holoferni mentita est. Et obstetrices Aegipti remuneratę propter mendacium: dicitur enim in Exodo quòd ædificauit illis Deus domos.

Respondetur enim dupliciter. Primò, quòd ea quæ in speciem mendacia videntur, vt ab eorum intentione procedebant, mendacia non erant, non enim ibant contrà mentem, & contrà sensum ipsorum internum, quamuis illum sensum alij non penetrarent: licitum est autem quandoq; obscuris verbis vti, quæ in aliquo sensu veritatem habent, quamuis illum sensum aliqui audientes non peruideant. Cur autem illi Sancti Patres sic obscurè loquuti sint, ratio est quia figuraliter & propheticè loquebantur. In proposito igitur Abram non est mentitus dicens Saram esse suam sororem, quia quamuis esset eius vxor reuera tamen erat etiam soror ex parte patris; Vnde vnum affirmauit, alterum tacuit, & sic veritatem voluit celare, non autem dicere mendacium. Nec mentitus est Iacob dicens se esse Esau primogenitum; quia reuera erat primogenitus iure sibi acquisito, quãq; non personaliter erat Esau; vsus autem est illo modo loquendi per spiritum prophetiæ ad designandum mysterium: quia videlicet minor populus scilicet Gentilium substituendus erat in locum primogeniti scilicet in locum Iudæorum.

Respondetur Secundò quod quidam commendantur in scriptura non propter perfectam virtutem; sed propter quamdam virtutis indolem, nempe quia apparebat in eis aliquis laudabilis affectus, ex quo mouebantur ad quędam indebita facienda. Vnde dato etiam quod aliquod veniale mendacium dixerint, laudantur tamen non de mendacio, sed de illo laudabili affectu. Sic Iudith laudatur nõ quia mentita est Holoferni, sed propter affectum quem habuit ad salutem populi pro qua periculis se exposuit. Similiter illæ obstetrices non sunt remuneratæ pro mendacio sed pro timore Dei, & beneuolentia ex qua processit mendacium. Vnde signanter in Exodo dicitur. *Et quia timuerunt obstetrices Deum ædificauit illis domos.* menda-

cium verò postea sequens non fuit meritorium.

Stat igitur firmum nostrum dictum, quòd omne mendaciũ est peccatum: adeò vt nec propter alterius vitam tuendam, nec propter totius Reipublicæ salutem liceat mentiri. Ita asserit *B. Gregorius in moralibus* [Mendacij *inquit* omne genus perfecti viri summoperè fugiunt, vt nec vita alicuius per illorum fallaciam defendatur, ne suæ animæ noceant dum prodesse nitũtur carni alienæ: quanquã hoc peccati genus facillimè credamus relaxari. Nam si quælibet culpa sequenti solet pia operatione purgari, quantò magis hoc facilè abstergitur, quod mater boni operis ipsa pietas admittit?] Stat quoq; verissimum illud dictum Domini apud Ioan. 8. *Diabolus est mendax; & pater eius*, idest mendacij. Quia primus auctor mendacij fuit Diabolus, & à seipso mendax, & omnes ad mendacium, quantum in se est, inducit. Vnde grauiter & sapienter dixit quidam. *Intemperantia facit hominem belluam, mendacium diabolum, veritas semideum*.

Dicò secundò omne quoq; mendacium, si cum iuramento fiat, est peccatnm mortale. Quia est periurium quod in quacumq; materia est mortale. Et ratio est. Quia peierare est adducere Deum in testem falsitatis; hoc autem ad magnam Dei irreuerentiam pertinet: quia per hoc dat intelligere vel quod Deus veritatem non recognoscat, vel quod falsitatem testificari velit; & ideò periurium est peccatum religioni contrariũ.

Dico tertiò Perniciosum mendacium est mortale ex genere suo, nisi excusetur leuitate materiæ, cum enim detrimentum est leue, tunc fit veniale: aut nisi excusetur indeliberatione; quando enim homo non fuit plenè sui compos in proferendo tali mendacio, tunc est veniale.

Dico quartò officiosum, & Iocosum mendacium ex se veniale est.

Tres præfati modi sunt, quibus contingit aliquem mentiri. Et semper mendacium est peccatum aut mortale, aut veniale vt explicatum est; ideò monemur à Spiritu Santo in Eccles. 37. *Ante omnia opera verbũ verax præcedat te; & ante omnẽ actum consilium stabile*.

Est

Est alter modus proferendi mendacia (quamuis id fiat non tàm deliberatè) & est *Quando per exaggerationem plus quid additur veritati rei vel dictis vel factis.* Veritas enim in indiuisibili consistit, vnde quicquid additur amplius quàm est aut scitur, mendacium erit. Et in hoc solet sæpissimè magnum esse periculum; lubentes enim optamus vt id, quod à nobis profertur, alicuius pretij esse videatur; ideoq; id extollere conamur. Quapropter magna circumspectione est vtendum, additq; S. Bonauentura *in Specul. discipl. par. 3. cap. 3.* fugiendas esse exaggerationes & amplificationes; non enim Ecclesiasticæ grauitatis & modestiæ est multis amplificationibus vti: hinc est quòd qui sua augere solent, vt plurimum pro veracibus non habentur, & auctoritatem ac fidem deperdunt.

De Verbis Iocosis, Ridiculis, & de Facetijs.

HAnc materiam egregiè & ad praxim pertractat suo more *Pater Alphonsus Rodriquez par. 2. tract. 2. cap. 12. exer perf.* ideò quicquid ipse dicit, lubet ad verbum referre. *Sic igitur inquit ille.* [Diuus Basilius ait. Neq; in modum paruuli iocari velis assiduè, quia non conuenit ei, qui ad perfectionem nititur, iocari vt paruulus; sed vt vir sit. Additq; Sanctus quod ioci, & recreationes huiusmodi reddunt hominem languidum & negligentem in Dei seruitio, & à corde tollunt deuotionem, & compunctionem.

Punctum hoc grauiter tractat Diuus Bernardus. Inter seculares, inquit, nugæ, nugæ sunt, in ore Sacerdotis blasphemię. Consecrasti os tuum euangelio, talibus iam aperire illicitum, assuescere sacrilegium est, quemadmodum sacrilegium est templum cultui diuino dedicatum vsibus prophanis applicare. Labia Sacerdotis, ait Malachias, custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius non nugas profectò; vel fabulas; non verba scurrilia, quæ nomine vrbanitatis colorant. Turpe est his applaudere ridendo, & ostendendo illa nobis placere; sed turpius est alios ad risum mouere.

Fedè ad cachinnos moueris, fædius moues.

Cle-

Clemens Alexandrinus tradit hanc pulcherrimam doctrinam, quæ est etiam Sanctorum Basilij, Bernardi, & Bonauenturæ. Cum verba, inquit, omnia à cogitatione & moribus emanent fieri non potest vt verba aliqua mittantur ridicula quæ non procedant à moribus ridiculis. Ex corde verba procedunt. Ex abundantia cordis os loquitur. Atq; ideò qui vana & leuia verba profert, ostendit se vanum & leue cor habere. Et sicut ex sono cognoscitur Campana, num sit integra vel fracta; vel si plena aut vacua: sic in verborum sono facilè cognoscitur qui plenus est intus, vel vacuus; qui integer aut fractus; qui verba iocosa, futilia, & scurrilia loquitur, sonat vt campana vacua. S. Chrisostomus in illa Apostoli verba *omnis sermo malus ex ore non procedat* dicit. Quale cor vnusquisq; habet talia verba loquitur, & talia opera facit. De Sancto Ignatio Martyre legimus quòd inter tormenta sæpius proferebat nomen Iesus; & causam rogatus respondit: quia cordi meo inscriptum est; & ideò non possum non proferre: huic mortuo cor fuit extractū, quod apertū in medio & diuisum, inuentum est habere in vtraq; parte aureis literis inscriptum nomen Iesus. Qui nugas & iocos profert, non habet cordi inscriptum nomen Iesus; sed nomen mundi, & eius vanitatis; & hæc ore eructat.

Præsertim maximè cauendum à pungentibus illis facetijs vt sunt verbula quædam, quæ cum lepore quodam proferuntur, pro argutijs habentur; interim tamen alios offendunt, nam in illis notam aliquam inurunt vel circa natalia, vel circa status conditionem, vel circa ingenij hebetudinem, vel circa mores, vel circa aliquid aliud. Hæ facetiæ molestiores, & peiores sunt prioribus antedictis eò quod læsiuæ sunt; & certè tantò amplius, quantò maiori cum lepore proferuntur. quia altius & firmius audientium memoriæ infiguntur. Prædicta igitur omnia debent Ecclesiastici cauere.

§. 3.

§. 3. *De Verbis, in quibus versari debemus.*

APostolus scribens ad Ephesios ait. *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat; sed si quis bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus.* Quo illos inflamment & incendant Dei amore, & virtutis ac perfectionis desiderio. Et Princeps Apostolorum Diuus Petrus ait. *Si quis loquitur quasi sermones Dei, &c.* Hoc maximè spectat ad Ecclesiasticos. Status enim & cōditio illorum expostulat vt non solùm proprio; sed & proximorum profectui spirituali studeant. Porrò autem maximè ædificātur proximi nostri sermonibus pijs, honestis, ac spiritualibus. Præter enim id vtilitatis, quod secum dicti sermones afferunt; illud etiam non spernendum, quod audientes & considerantes laici Ecclesiasticos semper de rebus ad salutē conducentibus verba facere, reuerentiam magnam erga illos concipiunt sibi pro certo suadentes Deo plenos esse, qui de Deo aut de rebus aliquo modo ad Deum relatis semper colloquuntur.

Non solum ad proximorum vtilitatem, ac profectū spiritualem in ijs promouendum expedit multum nostra verba de Deo esse; verum etiam ad proprium nostrum profectum & commodum. De Deo enim loquentes magis ac magis in eius amorem inflāmmabimur, hoc proprium est talium sermonum, vt satis comprobatū videmus exemplo duorum discipulorum in Emmaus proficiscentium, deq; talibus colloquentium. Nonne cor nostrum, dicebant, ardens erat in nobis &c. & nos sæpe sæpius id experimur dum magis excitati, commoti, ac pijs affectibus imbuti per huiusmodi sancta colloquia, piasq; conuersationes efficimur, quàm per conciones.

De Sancto Thoma Aquinate refert Surius in eius Vita, omnia illius colloquia, & cum alijs communicationes fuisse de Sanctis, & animarum saluti conducentibus rebus; idq; in causa fuisse vt post hominum commercia & colloquia facili se negotio colligeret, rerumq; diuinarū contemplationi dare posset,

vt qui

vt qui de Deo rebusq; diuinis collocutus fuerat, ex collocutione non distractionem sed potius animi recollectionem reportabat.

Vt autem id, quod intendimur, suauius & facilius præstare possint Ecclesiastici non mediocriter ex sequentibus monitis iuuabuntur.

Primò multũ ad hoc inseruiet, si Ecclesiastici præsertim Regulares de bonis & spiritualibus rebus colloqui inter se assuescant. De Sancto Francisco legitur quod frequenter Fratres suos considere iusserit ad colloquendum inter se de rebus diuinis vt in hoc loquendi genere instructi essent quando cum secularibus loquendum ipsis fuisset opus. Vnde & meruit vt quadam vice illis in simili pia conuersatione accumbentibus Christus appareret sub formosissimi iuuenis aspectu, eisq; benedixerit. Tàm grata sunt illi huiusmodi colloquia. *Sanctus Bernardus* sanctè, ac grauiter reprehendit quosdam suæ tempestatis viros religiosos, qui tamen à tam laudabili consuetudine declinarant. *Sic inquiens* [ò quantum distamus ab his, qui diebus Antonij extitere Monachi, vt etiam S.Pauli primi Anachoretæ; hi enim dum conueniebant & sese visebant erat omnis eorum conuersatio in Cælis, & tanto desiderio & fame cibum capiebant animæ loquentes & tractantes de rebus diuinis, & animæ suæ salute, vt obliuiscerentur cibum corporeũ sumere, & totum diem ieiuni transigerent hoc solo occupati. Et hic erat rectus ordo dum digniori parti prius inseruiebatur quæ est anima. Vobis autem conuenientibus in vnum, vt verbis Apostoli vtar, iam non est dominicã Cœnam manducare. Panem quippe cælestem nemo est qui requirat, nemo qui tribuat, nihil de scripturis, nihil de salute agitur animarum, sed nugę, & risus, & verba proferuntur in ventum. Et quod omnium pessimum; aliquem hoc modo posse detinere vocatur affabilitas, & discretio; etiam Charitas. Contrarium autem dicitur siccitas, inurbanitas, & rusticitas: & qui de Deo loquuntur melanchonici habentur, & eorum conuersatio vitatur. Ista Charitas destruit Charitatem; hac discretio discretionem con-

confundit, quæ enim charitas est carnem diligere, & spiritum negligere? queue discretio totum dare Corpori & Animę nihil? Corpus exsaturare, & Animā fame necare? nō est discretio, neq; charitas; sed crudelitas & inordinatio] *Hæc Bernard.*

Secundò valdè iuuat si Ecclesiasticus tractaturus cum proximis prȩuideat aliqua bona & vtilia vt illis suo tēpore ea proferat. Et dum illi futilia & vana colloquuntur; ipse in promptu habeat quæ ædificent ad mutandum colloquium. Id tamen agendum est suauiter; & non veluti ex abrupto. Nec inurbanum, indecorum, aut importunum nobis videri debet tali nos medio vti ad colloquia & conuersationes de rebus diuinis ingerendas, cum experiamur id laicis familiare esse ad suas de rebus mundanis confabulationes fouendas. In hoc igitur deberet Dei seruus suum exercere ingenium, iudicium, & dexteritatem, ad hoc studere deberet, nempe ad tollendū de conuersationis medio inutilia, scurrilia, & futilia colloquia, & ingerenda diuina. Tertiò summopere proderit Deū non leui amore prosequi, affectumq; esse rebus diuinis: tali enim nos pacto certè nō laborabimus, nec fastidium sentiemus in loquendo, & audiendo diuina; immo potius oblectationem maximam capiemus. Non enim tristitia aut fastidium; sed delectatio percipitur de re, quam quis amore prosequitur: & ex abundantia Cordis os loquitur. Attendite quàm libenter & delectabiliter mercator de negotijs & cōmercijs; agricola de satis, & de messe; pastor de pascuis & gregibus; aulicus de rebus aulicis; miles de prælijs, de victorijs, de triumphis; & quisque de sua professione loquitur, & audit. Si Deum igitur nos dilexerimus, & spiritualia in corde reuoluerimus, omnis nostra voluptas erit de his pertractare; nec vnquam materia deerit ad colloquia intermittenda. Optimum ergo signum est quando quis delectatur loqui & tractare de Deo; malum verò quando tristitiā, fastidiū, & quodāmodo stomachū de similibus sentit. Ipsi de mūdo sunt ideò de mūdo loquūtur dicebat Dominus apud S. Ioan.

Sanctus Augustinus super illa verba Sapient. 16. Angelorum esca nutriuisti populum tuum &c. dicit manna, quo Deus filios

Israel in deserto nutriuit, sapiebat cuiq; quod ipse volebat: sed hoc intelligendũ ait de bonis tantùm autẽ non de malis: si enim malis idem accidisset non petijssent alium cibum dum dicebant. Quis dabit nobis ad vescendum carnes; recordamur piscium quos comedebamus in Aegipto gratis, in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porriq; & cæpæ, & alia. Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi manna. Hi ergo non solum non inueniebant in manna omniũ eduliorum saporem, sed potius illud fastidiebant, & erat illis nauseæ, & optabant carnes, & recordabantur ollas Aegipti, cucumeres, pepones, porros, cæpas, & allia, quæ illic comedebant; & illa valdè appetebant. Sed boni contenti erant manna, aliumq; cibum non expetebant: in eo enim omnes sapores inueniebant, quos optabant. Hæc igitur differentia est inter bonos perfectosq; atq; inter tepidos, remissos, & imperfectos, quòd illi spiritualibus delectantur, in ijsq; omnem saporem inueniunt, & dicunt cũ Sanctis Augustino ac Frãcisco Deus meus & omnia: hi verò nauseant super cibo isto, magisq; fabulas quàm exempla appetunt loqui & audire. Fælix lingua, inquit Diuus Hieronymus, quæ non nouit nisi de diuinis texere sermonem.

§. 4. *De modo gubernandi linguam, & de circunstantijs recta locutionis.*

CIrcumstantiæ in loquendo necessariæ vt sermo noster sit proximi ædificatiuus, innuuntur à Sanctis Basilio, Ambrosio, Bernardo & alijs Patribus, & referuntur à *Patre Rodriquez. exer. perf. par. 2. tract. 2. cap.* 8. sunt autem quinq; videlicet. Prima attendere ad id, quod est dicendum. Secunda ad intentionem loquendi. Tertia ad Personas, quibus cum loquimur. Quarta ad tempus. Quinta ad modum loquendi.

Prima igitur circumstantia est benè attendere ad id, quod est dicendum, seu ad materiam sermonis. Et hoc est primum mo-

monitum Sancti Augustini. Omne verbum, inquit, prius veniat ad limam quàm semel ad linguam: idest prius mente reuoluendum, & ratione limandum, quàm ex ore egrediatur. Hoc est discrimen quod Spiritus Sanctus in Ecclesiastico 21. ponit inter sapientem & stultum. *In ore fatuorum*, inquit, *cor illorum, & in corde sapientium os illorum.* Fatui enim habent cor in lingua, ac propterea euomunt quicquid in buccam venit: sapiẽtes autem & prudentes linguam in corde habent; quicquid enim loquuntur inde procedit, & consilio rationis linguam cordi subiugarunt; & non vt fatui, linguæ cor subiecerunt. S. Cipryanus ait sicut homo temperatus nihil in stomachum demittit quod prius non mandat; sic & homo prudens verbum nullum ore emittit, quod prius in corde non ruminarit.

Secunda est finis & intentio, quæ nos ad loquendum mouet. Non enim sufficit verba esse bona; sed etiam necesse est finem esse bonum; aliqui enim bona loquuntur vt spirituales appareant: alij vt se venditent pro acutis & disertis, quorũ primum est hypocrisis & simulatio; posterius vanitas & stultitia. Semper itaq; in omni nostra locutione puram Dei gloriam, proximiq; vtilitatem debemus intendere.

Tertia est personarum. Considerandum enim est qui loquitur, Cui, & coram quo. Vt si adolescentes loquantur cum senibus: viri idiotæ & simplices cum sapientibus: & laici coràm Ecclesiasticis, & præcipuè Sacerdotibus, animarumq; pastoribus. Omnes enim præfatæ personæ auscultare potius debent ac discere coràm præfatis; quàm multum loqui, & inaniter se iactare. Sic admonet Sapiẽs Eccl. 7 inquiẽs. *Noli verbosus esse in multitudine presbyterorum.* Bonæ educationis ac reuerentię signum est tacere coràm senioribus & Sacerdotibus. S. Bernardus dicit iuniores honorare seniores tacendo; hic enim reuerentiæ, & obseruantiæ modus est, quo ipsis ceditur. Et optimã reddit rationem. Silentium enim, inquit, est maximus actus verecundiæ, quæ valdè decet iuniores. Sanctus Bonauentura clarius hoc explanans ait. Vt timor Dei componit & ordinat hominem in interiori, eumq; Deo amicum reddit; sic & verecun-

cũdia hominẽ exterius componit, & ordinat, redditq; eum verecundum, modeſtum, & taciturnum cum maioribus.

Quarta eſt Tempus, quo loquendum; nam vt ait Sapiens. Tempus eſt tacendi, & tempus loquendi. Prudentię officium præcipuum eſt ſcire debito tempore & loco verba proferre. *Homo ſapiens tacebit vſq; ad tempus, laſciuus autem & imprudens non ſeruabunt tempus.* dicitur Eccle. 26. De homine, qui debitis temporibus & locis profet ſermonem dicit iterum Spiritus Sanctus in Prou. 25. *Mala aurea in lectis argentis qui loquitur verbum in tempore ſuo.* Quia valdè auditoribus placet. E contra qui tempore non debito loquitur, etiamſi bona loquatur, diſplicet. *Ex ore fatui reprobabitur parabola, non enim illam dicit in tempore ſuo.* Eccleſ. 20. Ad hanc circumſtantiam pertinet nō interrumpere alicuius ſermonem, quod imprudentiæ & inurbanitatis indicium eſt. Non enim oportunum loquendi tempus eſt dum alius loquitur. *In medio ſermonum ne adijcias loqui*, inquit Sapiens. Prou. 18. Expecta donec alius ſermonem abſoluat, & poſt allegabis tuum. Huic adijcitur quod ibi addit. *Priuſquam audias ne reſpondeas verbum.* Et alibi dicit. *Qui prius reſpondet quam audiat, ſtultum ſe eſſe demonſtrat, & confuſione dignum.*

Quinta deniq; Circumſtantia eſt ipſe modus, qui ſeruari debet in loquendo, de quo hanc diſciplinam præſcribit *S. Bonauentura. Specul. diſcipl. par. 3. cap. 3.* [Modus, *inquit*, in Geſtu & Sono conſiderari poteſt.

Geſtus loquentis debet eſſe modeſtus, & humilis. Sonus dimiſſus & ſuauis. Modeſtiam debet habere pectus loquentis vt nec inordinatè, nec turbulenter inter loquendum membra moueat, nec oculorum nutibus, labiorum contractione, vel altero non decenti alterationis modo, vultus honeſtatẽ deformet, aut faciem ipſam mollitie quadam reſoluat humilitatis oſtentu; ſed in eadem vultus conſtantia ſemper permanens ſeueritatem benignam, & conſtantem, & quodammodo rigidam benignitatem prætendat. In facie ſiquidem hominis ſpeculum diſciplinæ relucet, cui tanto maior cuſtodia eſt adhiben-

hibenda, quantò minus quod in ea peccatum fuerit, celari potest. Vetat quoq; loquentem gestus modestia, ne se hominibus notabili quadam supplicationum profunditate incuruet, aut eius cui loquitur vultui nimis instet: ne inhonestate quadem in eius faciem alitus aspiratione insuflet: aut alitu ipso post vinum potatum maximè narium sensum offendat. Loquentis alitus vultui auditoris & naribus vitiosè prorsus ingeritur. Debet etiam gestus humilitatem, super modestiam vultus hilaritatem prætendere.

Sonus debet esse demissus pariter & suauis; quia clamositas & verborum asperitas locutionem religiosi plurimum quidem & dedecet & deturpat. Vitiosissimus planè Religioso loquendi modus si notabiliter suam in loquela communi vocem exaltat. Sufficiat ei quod proximè sibi astantes possint loquentis intelligere verbum. Sapientis est loqui suauiter & demissè. Nox autem amplioris vocis depressionem requirit. Nox est tempus silentij & quietis.] *Hæc Bonauentura.*

Quamuis autem semper necesse sit in loquendo seruare modum; id tamen præcipuè conuenit, dum volumus monere, vel corripere; si enim modus prefatus non seruetur, peribit planè correptionis fructus. Vnde benè idem S. Bonauentura ait quòd ille, qui turbatus aut iratus alium corripit aut admonet, videtur id potius iracundia, atq; ad improperandũ, quàm Charitatis Zelo facere. Virtus per vitium non docetur, nec patientiã per impatientiam, nec humilitas per superbiam.

§. 5. *De exemplis varijs quibus ostenditur quanti facienda sit linguæ custodia.*

Vitæ Patrum referunt quemdam magnum virum gratiam à Deo obtinuisse, vt in colloquijs pijs fratrum, quæ de Sacris Scripturis habebantur, videret Sanctos Angelos astantes, & plurimum se colloquijs illis oblectantes. Cum autem aliud quiduis loquerentur, statim Sancti Angeli recedebant longius: veniebant autem porci sordidissimi, & volutabant

se in-

se intereos: Dæmones enim in specie porcorum delectabantur eorum vaniloquijs. Beatus autem senior hæc videns commonebat per monasteria fratres dicens. Cohibite à multiloquio & ab otiosis sermonibus linguam per quam malus interitus animæ generatur.

Macarius Alexandrinus opportunè sermonem spiritualem introducit, cum vnà cum altero Macario Aegipto traijceret Nilum naui quadam. Vehebantur simul duo quoq; Tribuni cum magno fastu & comitatu, quorũ alter intuitus illos duos monachos pannosos, & in angulo sedentes dixit ad ipsos: Beati estis vos qui mundum illuditis. Respondens autem Macarius qui erat vrbanus dixit ad eos: Nos quidem mundum illudimus: Vos autem illusit mundus. Scias autem te non tua sponte hoc dixisse sed propheticè. Ambo enim vocamur Macarij, hoc est beati.

Beatus Franciscus Xauerius iter faciens, tàm peritè iucundèq; de cælorum orbibus, astrorumq; motibus (referens eas disputationes ad Dei meritum & cultum) apud Iaponios disserebat, vt vulgò dictitarent Xauerio comite Iaponiam totam sine vllo laboris sensu posse peragrari. Adeò comitas eius pro vehiculo comitibus erat, vt eos sibi Deoq; obnoxios faceret.

Laudabilis & imitatione digna fuit industria Beati Nili iunioris, qui videns Principes viros Græcorum Imperatoris ministros ad se venientes, ac vana colloquia metuens, præmissa oratione librum aperuit spiritualem, quem præ manibus habebat, locumq; idoneum nactus, illis post salutationem legendum præbuit. Qui cum peruenissent ad locum, vbi dicebatur ex decem millibus vix vnam animam reperiri, quæ saluaretur, admirari cæperunt; & Nilus inde sumpta occasione tâm multa tamq; appositè & familiariter dixit, vt illi suspirare cæperint, ac dicere. Væ nobis peccatoribus & miseris.

Sed quemadmodum ex prædictis exemplis, multisq; alijs quæ possent hic referri, satis liquescit quanti apud Deum sit meriti recta linguæ gubernatio, illiusq; vsus circa diuina; ita ex sequentibus notum erit quanti Deo displiceat, & quàm seuerè

seuerè vlciscatur linguæ laxationem, & incustodiam.

Igitur Vincentius Beluacensis in suo specu lo Historiarum refert Durannū quendā ex Abbate Episcopum Tholosanum, virum cæteroquin pium & diligentem, idcirco in purgatorijs pænis aliquamdiu detentum, quòd sæpius verba risum mouentia incautè vsurpasset; indeq; tandem septem fratrum monachorum silentio ad septem dies continuato fuisse ereptum.

Cum Sanctus Vallesius Abbas hyberno tempore iter faceret, ad Presbyteri cuiusdam domicilium vbi alij erant, cum suis sese calefacturus diuertit. At illi, qui tantum hospitem venerari, & reuerenter excipere debebant vt eius sacris mererentur sermonibus instrui, ad turpia potius & obscæna iactanda verba vnà cum illius loci Iudice prorumpunt. Abbas è contra, vti consueuerat putridis & corruptis hominum vulneribus salubria cælestis verbi cataplasmata adhibebat, aitq; ad illos: Non audistis filij illud ex Euangelio. De omni verbo ocioso reddituros nos rationem in die iudicij? Ea oratione nihil permoti contempto viro Dei, multò etiam fædiores & impuriores vomebant sermones. Tum ille Volui quidem, inquit, in tàm acri frigore non nihil corpusculum meum ad ignem refouere; sed vestræ id non sinunt linguæ impurissimæ, quæ me etiam frigore afflictum hinc abire compellunt. His dictis excusso in eos pedum suorum puluere abscessit. Ecce autem in procaces & spurcos illos mox vltio diuina grassatur: & Presbyter quidem repentè vtroq; orbatus est lumine: & Iudicis membra genitalia computruerunt. Tum illi præsentem Dei vindictam malè experti, conantur verbis supplicibus ad se virum Sanctum reuocare, sed frustrà. Et alter quidem cæcus permansit; alter verò contracto corpore, & putrescente inguine extinctus est.

Donatus quidam natione Afer, presbyter tamen Ecclesiæ Mediolanensis, cum in conuiuio positus, in quo erant nonnulli militares religiosi, detraheret memoriæ Sacerdotis Ambrosij aspernantibus illis & deferentibus linguam nequam, subito

graui

graui *vulnere* percussus de eodem loco, in quo iacebat, alie-*nis* manibus subleuatus in lectulum positus est, atq; inde ad sepulchrum vsq; perductus.

Ecce quomodo Deus in effrænatos lingua desæuit aliquando. Discamus, timeamus caueamus.

CAPVT III.

De Disciplina circa Aures.

NOn minus coercendę sunt aures ab audiendis, quàm lingua à proferendis verbis, quæ loqui aut non decet, aut non licet. Vnde quemlibet monet Sapiens illis verbis. Ecclesi.29. *Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia, & seras.* Et quidem ab omni verborum genere quod suprà antecedenti capite damnauimus, essent aures auertendæ; nihilominus hoc præstandum maximè circa illa verba, quæ frequentius in communi hominum conuentu incidunt, qualia sunt detractoria, scurrilia, turpia, obscæna; vt videbimus in sequentibus. Ideò tractandum de more. Primò de motiuis ad amplectēdam aurium disciplinam. Secundò de ijs rebus à quibus debemus aures declinare; & de rebus, ad quas debemus aures applicare. Tertium de modo exercendi aurium disciplinam. Quartò de exemplis eorum qui in hoc excelluere.

§. I. *De Motiuis ad amplectendam aurium disciplinam.*

PRimum motiuum sit ductum à generalitate sensuum, inter quos connumeratur auditus. Omnes enim sensus sūt fenestræ, & portæ per quas ingreditur ad nos & mors & vita. Vnde *Origines Homil. 3. expos. secun. in cant.* explicans illa Canticorum verba, En dilectus meus loquitur mihi respiciens per fenestras *inquit.* [Possumus sensus corporeos fenestras intelligere, per quos aut mors, aut vita intrat ad animam. Sic enim

enim designat Hieremias propheta cum de peccatoribus loquitur dicens. Ascendit mors per fenestras vestras. Quomodo ascendit mors per fenestras? Si oculi peccatoris videant mulierem, & mechentur eam in corde suo, sic mors ingressa est ad animam per fenestras oculorum. Sed & cum recipit quis auditum vanum, tunc per aurium fenestras mors intrat ad animã. Si verò Anima intuens ornamentum mundi, & ex pulchritudine Creaturarum Creatorem omnium intelligat Deum, & opera eius miretur, laudetq; operum Creatorem, ad animam hanc vita ingreditur per fenestras oculorum. Sed cum auditum inclinat ad verbum Dei, & rationibus sapientiæ & scientiæ eius delectatur; huic per aurium fenestras ad animam sapientiæ lumẽ ingreditur. Per has ergo fenestras prospiciẽs Verbum Dei, & prospectum suum ad sponsam animam dirigens, assurgere hortatur eam, & venire ad se; idest corporea & visibilia relinquere, & ad incorporea & inuisibilia ac spiritualia properare: quoniam quæ videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna] Ita Origenes.

Secundum motiuum. Quia aures magis patent tentationibus quàm quilibet alius sensus, etiam magis quàm oculus. Nã oculos claudere possumus si volumus, & claudendo tentationibus, quæ per illos irrepunt in animam occurrere; aures autẽ aduersum turpiloquia & illicita nec perfectè, nec siue graui seruitute communire possumus. Quamuis præterea eò grauiores ex suo genere sint tentationes visus, quò sensus est auditu præstantior quoad naturalem vsum & conditionem; alia tamen ex parte pluribus sese vijs inferunt tentationes aurium, hoc est per verba, per scripturas impudicas (nam etiam per tales author illarum suo modo loquitur), per cantilenas siue impuras, siue molles, & fœmineas. Vnde S. Cyprianus lib. de zelo & liuore ait [quo circa excubandum, atq; omnibus viribus elaborandum vt inimico sæuienti & iacula sua in omnes Corporis partes, quibus percuti, & vulnerari possumus, dirigenti, sollicita & plena vigilantia repugnemus. Offert oculis formas illices, vt visu destruant castitatem. *Mox adijcit.* Aures per canoram

noram musicam tentat, vt soni dulcioris auditu soluat,& molliat Christianum vigorem] Hæc Cyprianus.

Tertium motiuum ductum à natura. Quia ipsamet natura docet nos custodire aures, & non modicam circa illas disciplinam adhibere. Natura enim formauit aures osseas, cartilaginosas, & anfractuosas, vt scilicet nihil nociuum cerebro possit interius subintrare. Sic pro certo aures auditus nostri debent esse osseæ, stabiles atq; firmæ per virtutem patientiæ, & vigoris, & disciplinæ, vt sic omnia nociua possint repudiari, reijci, refutari, ne vsq; ad cerebrum idest vsq; ad animam valeant penetrare. Aures enim habēt anfractuosas circumuolutiones ne nimis liberè intret aer: ad denotandum quod verbum auditū non debemus statim recipere vel credere; quia qui credit citò, leuis est corde; sed cum quadam difficultate, & anfractuosa examinatione admittere. De elephante Plinius scribit, quod est auribus armatus; habet enim aures oblongas,& protensas, & inferius inclinatas, quas aliquando erigit, & draconem exinde percutit, & ferit. Verè Charissimi nos deberemus habere aures spiritualis auditus oblongas, idest longanimitate patientiæ, mansuetudinis, & disciplinæ præmunitas; & inferius per reuerentiam, humilitatem, & beneuolentiam inclinatas, dicente Domino in psalmis Inclina aurem tuam,& exaudi verba mea. Istas etiam debemus erigere per attentionem,& ad diuinas promissiones & cōminationes extollere audiendo Dei verbum,& prædicationem,& sic draconem .i. Diabolū poterimus percutere & fugare. Illud .n. quo Diabolus magis lęditur, magis percutitur, magis fugatur, est quando homo patienter & humiliter, reuerenter & benigniter audit monitiones,& correctiones, vel etiam iniurias,& turbationes. Ideò cuilibet dicitur Nehemi .i. *Fiant aures tuæ auscultantes, & oculi videntes.*

Quartum motiuum ductum à similibus. Quemadmodum enim Venatores non sinunt Canes quiduis olfacere, aut mordere, sed integros eos seruant feræ: Sic oportet aures & oculos non sinere quouis vagari; sed rebus necessarijs reseruare. Et sicut diligentius seruanda est ea porta, quà via sit regia: Ita cau-

cautius seruandus auditus, quò maximè sit cum rationali animę parte coniunctus, & quod per eum admittitur, maximè potest vel iuuare vel lædere. Similiter frustrà clauduntur portæ Ciuitatis, si vna relinquatur aperta, per quam hostes irrumpāt: Ita non satis est in cæteris temperatum esse, si auditus pateat perniciosis sermonibus.

§. 2. *De Verbis à quibus debemus aures declinare: & de verbis ad quæ debemus easdem applicare.*

PRimò igitur benè attendere debemus quænam illa sint, à quibus debemus aures custodire & declinare: nam Spiritus Sanctus, Eccles. 28. quemlibet monet dicens. *Sepi aures tuas spinis, & noli audire verbum nequam.* Multiplex autē est hoc verbum nequam, *vt ait Berchorius in repert. mor. par. p. verbo auris.* [Est enim verbum nequam mendaciter fallētium: mendaciter loquentium: fallaciter vngentium: inaniter lætantium: maligniter hortantium: & carnaliter conuersantiū] Ab omnibus prædictis debemus aures declinare. Et quidem à mendaciter fallentibus idest à viris mendacibus, quia sicut dicitur in Prouerbijs. Princeps qui libenter audit verba mendacij omnes ministros habebit impios. A mordaciter loquentibus, idest à detractoribus, de quibus in psalmis. Factus sum tāquam vas perditum, quoniam audiui vituperationem multorum commorantium in circuitu, & item. Detrahentem secretò proximo suo hunc prosequebar. Dicere solitus erat Diuus Bernardus. Detrahere aut detrahentem audire vtrum horum detestabilius sit non facilè dixerim. A fallaciter vngentibus; idest ab adulatoribus, de quibus in Amos dicitur. Cantica lyræ tuæ non audiam. Ab inaniter lætantibus, idest à ioculatoribus & scurris, de quibus Psalm. Locuti sunt vanitates; ego autem tanquam surdus non audiebam. A maligniter hortantibus, idest malis consiliarijs, hæreticis, accusatoribus, de quibus in Deuteron. Non audies verba illius prophetæ, aut somniatoris. A carnaliter conuersantibus, idest luxioriosis, &

malis mulieribus. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Nec audias eam, scilicet saltatricem, ne fortè pereas in efficacia illius. Ad omnia igitur prædicta debemus nos habere sicut aspis obturãs aures suas, quæ audiens incantatorem cum cauda claudit aurem superiorem, & alteram claudit imprimẽdo eam ad terram; ita quod & terra & cauda sunt illa, cum quibus aspis claudit, & custodit aures suas ne per illum, qui loquitur, incantetur sicut dicit Glosa super Psalmum. Sic statim quãdo videmus paratum incantatorem, idest Diabolum qui nos vult incantare per occultã suggestionẽ; vel luxuriosum qui per impudicã locutionẽ; vel adulatorẽ q per deceptionẽ; vel detractorẽ qui p alterius famæ corrosionem; vel similẽ quemp iã qui aliter velit nos quodãmodo incãtare. Verè nos debemus adhibere caudã; idest memoriam finis nostri scilicet Mortis, Iudicij, Purgatorij, & Inferni: item terram, idest memoriam nostræ vilitatis; & sic cum istis duobus debemus claudere & obturare aures nostras, & huiusmodi incantationes & improbas suggestiones respuere & refutare; & sic periculum captionis, incantationis, consensus, & operationis poterimus declinare.

Secundò attendenda sunt nobis ea, ad quæ apertas aures habere debemus. Sunt autem ea, ex quibus aliquid nobis vtilitatis siue in anima siue in corpore prouenire potest; nempe Verbum Dei, mandata, documenta, instructiones, correctiones, musicos concentus Ecclesiasticos ad pietatem excitantes & similia. Auris.n. secundũm Isidorum dicitur ab aperiendò eò quod omnes voces hauriat, atq; bibat; quia verè aures nostræ debent esse haurientes, recipientes, & audientes quicquid eis de bonis informationibus instillatur. Quando enim mulier prægnans est mortua necesse est quod os eius aperiatur vt aer subintret, alioquin fętus conceptus perimeretur. Sic planè accidit nobis, quando mulier, idest anima nostra mortua est per peccatum, prægnans tamen est aliquo bono proposito vtpote proponit conuerti & abstinere, tunc summè necesse est quod os .i. auditus eius aperiatur & quod aer .i. bonorum verborum puritas recipiatur, & audiatur ne fortè fætus qui iam conce-

ptus

ptus fuerat moriatur. Statim apertæ sunt aures eius. dicitur de illo Surdo Euangelico. Mat 7. Hoc est contrà multos, qui reuera aures suas diuinis verbis non aperiunt, immo claudũt; vice versa vanitatibus mundi aperiunt & non claudunt. Dicit Aristoteles quod omnia animalia ouantia carent auribus; sic prorsus euenit mundanis qui posuerunt oua sua, scilicet omnes suas cogitationes & affectus in mundi bonis, diuitijs, voluptatibus, & honoribus, non habent aures ad audiendũ bona & vtilia pro salute eorum, ponunt ad modum struthionũ oua sua in arenam, & obliuiscuntur vbi posuerunt ea. De his loquitur Hyeremias cap. 6. inquiens. *Incircumcisa aures eorum & audire non possunt*. At non sic erga vana, inutilia, nociua: pro his enim habet aures magnas, apertas, protensas similes quibusdam monstris, quę sunt in Scithia, quæ secundum Isidorum sunt homines dicti Onesij in insulis leoninis habitãtes, ita protensas aures habentes, quod exinde cooperiunt totum Corpus. Sic verè multi sunt hodie qui habent aures ita magnas quod per totum Corpus, idest per omnem locum, terram, & patriam se diffundunt, quia scilicet omnia volunt inuestigare, & maximè vanitates & rumores. Vnde tales quantùm ad benè viuendum & benè audiendum carent auribus & auditu; quantùm verò ad vanitates, ad rumores, ad inutilia, ad nociua auribus optimè sunt communiti. Ideò de talibus dicit Apostolus scribens ad Thimoteum. *Erit* inquit, *tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt; sed ad sua desideria conseruabunt sibi magistros prurientes auribus; & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur*.

§. 3. *De Modo auertendi aures à nociuis, & exercendi disciplinam circa aures.*

IAm superius in principio huius Capitis diximus nos moneri à sapiente vt sepiamus aures nostras spinis. Triplici ergo spina debemus aures nostras sepire; & linguas inutilia & nociua loquentes pungere, vt conticescant.

Prima

Prima spina est ostensio vultus tristis, aut significatio exterior, qua satis ostēdamus nō libenter nos audire. *Ventus Aquilo dissipat pluuias & facies tristis linguam detractoris*, inquit sapiens. Prouer. 25. Dissipat nimirum Aquilo pluuias constringendo nubes, siccando, ligando, fugando ne in pluuiam resoluantur; sic facies tristis ligat, restringit, & siccat linguam maledicentem. Si enim hilari vultu audias, das fomitem obloquendi; si verò tristi vultu, tunc discit loquax non libenter dicere quod non libenter audiri didicerit; nemo enim tàm procax qui inuito auditore contendat verba proferre. Vnde in Ecclesi. 28. habetur. *Secundum ligna sic ignis exardescit; si sufflaueris super scintillam quasi ignis exardebit; & si expueris super illam extinguetur.* Si linguam effrænem hilari vultu audias ligna admoues, quo detractionis, turpiloquij, stultiloquij ignis exardescit; si verò inchoato sermone tristem vultum auertas, scintillam extinguis, quasi super expuens vt extinguas. Respice igitur post tergum, expue in terram, confrica caput, conquerere de cibis nimis saluis; aut de ministris non tibi, vt oportet, seruientibus, lauda vinum aut condimentum mensæ, conquerere de Canibus sub mensam transeuntibus; & fac similia diuertendo aliò sermonem, & introducendo sermonem alterum etiam importunum si non potes suauiter & dexterè aliò sermonem deflectere. Sic dissipas linguam obloquentem, dum aduertit te sermoni suo non fauere, neq; attendere. Nec quicquam tibi debet importunum videri, dummodo possis imponere frænum magis importuno sermoni præsertim obscæno aut detractorio.

Secunda spina est reprehensio. Ad hanc tenentur præcipuè Superiores, seniores & omnes auctoritatem habentes; immo etiam æquales modò ex reprehensione sperent fructum. Exemplum dedit ipse Dominus noster Christus dùm discipulis obmurmurantibus contrà Magdalenam respondit. Matt. 26. *Quid molestis estis huic mulieri? opus bonum operata est in me*. Sic & propheta Iob dicebat. *Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam*. Vbi per iniquum potest intelligi

telligi detractor, de cuius dentibus dicit se eruisse prædam; dum ab illius lingua maledica vindicabat innoxios. Dentes enim, inquit, Cassiodorus à demendo dicti sunt; ideò linguæ detrahentium vocantur dentes; quia sicut illi ciborum partes demunt, ita & isti bonam opinionem proximè corrodunt.

Tertia spina est (si reprehensioni non datur locus) firma in corde stabilitas vt non facilè credas malum, quod refertur de proximo (in sermonibus detractorijs) aut si vera & publica referuntur, cordis compassio, qua proximo etiam peccanti compatiaris. Dic ergo linguæ detrahenti, & incerta narranti illud Domini. *Nolite iudicare, & non iudicabimini*. Dic non facilè credendum esse rumoribus qui frequenter, etiamsi certi putentur, falso nituntur fundamento. Quis non putasset Susannam peccato obnoxiam ex rumore à senioribus effuso? Quis non iudicasset Ioseph facinus erga Dominam suam attentasse ex dicto ipsiusmet Dominæ omni ferè exceptione maioris? Marina virgo, vt habetur in vitij Patrum, in habitu virili incognita Deo purè seruiebat in monasterio. Infamata verò fuit quod impregnasset iuuenculam quandam, itaut vsq; ad mortem pænitentiæ fuerit subiecta ex tali imputatione. Quis existimasset eam esse innoxiam? Et tamen Fratres dum illam post mortem sepelire volunt inueniunt & fæminam, & innocentem, & Sanctam. Quod si vera & publica narrat detractor: tunc excusandus est proximus ex affectu compassionis, & dicendum id, quod Dominus dicebat accusatoribus adulteræ. Qui sine peccato est primus in eam lapidem mittat. Nam gaudentes de alienis malis iusta Deus vindicta in similia aut grauiora ruere permittit. Attendendum est ergo, & benè memoria retinendum illud *Augustini dictum lib. soliloq. cap. 15. num. 5.* [Non est peccatum quod facit homo, quod non possit facere alter Homo, nisi iuuetur ab eo, à quo factus est homo.] Et sic ex aliorum casibus, quos audimus, fructum humilitatis consequemur.

Prædictis spinis debemus aures nostras sepire, & commu-

nire

nite quando incidit casus, quo non possimus ab aliorum sermonibus inutilibus, detractorijs & nociuis in totum declinare. Sed certè longe melius est præuidere & prouidere ne incidamus in similes occasiones, easq; à longè aspiciendo omnino euitare, nisi euidens vtilitas, aut necessitas, aut proximi charitas aliud suadeat. Dicebat deuotus ille quicunq; sit auctor aurei illius libelli de Imitatione Christi. lib. 1. cap. 20. [Si tè subtraxeris à superfluis locutionibus, & otiosis circuitionibus, necnon à nouitatibus, & rumoribus audiendis, inuenies tempus sufficiens & aptum ad bonis meditationibus insistendum. Maximi Sanctorum humana consortia, vbi poterant, vitabāt, & Deo in secreto viuere eligebant. Dixit quidā. Quoties inter homines fui, minor homo redij. Hoc quippe sępius experimur, quando diu confabulamur. Facilius est omnino tacere, quàm verbo non excedere. Facilius est domi latere quam foris se posse sufficienter custodire. Nemo securè apparet nisi qui libenter latet. Nemo securè loquitur, nisi qui libenter tacet. O qui nunquam cum mundo se occuparet quàm bonam conscientiā seruaret. In silentio & quiete proficit anima deuota, & discit abscondita scripturarum; ibi inuenit fluenta lachrymarum quibus singulis noctibus se lauet: & mundet vt conditori suo tantò familiarior fiat, quantò longius ab omni seculari tumultu.] Hæc ille.

§. 4. *De Varijs exemplis bona & mala auditionis.*

SCiēdum in primis rerum bonarū auditionē multorū bonorū fontem esse; & ideò conari Dæmonē vt talium auditio fastidiū generet; malarū verò & otiosarū fabularū voluptatem conciliet. In cuius testimonium refert Cassianus lib. 5. cap. 31. Quod quidam pius & religiosus monachus senex nomine Machetes cum aliquando apud fratres discurreret de rebus necessarijs & spiritualibus, eosq; videret lethæo quodam sopore demergi, nec posse ab oculis suis pondus somni depellere, otiosam repentè fabulam introduxit. Ad cuius oblectationem cū

eos

eos euigilasse confestim, atq; erectas aures suas habere vidisset, ingemiscens ait. Nunc vsq; de rebus cælestibus loquebamur, & omnium vestrum oculi lethali dormitione deprimebantur; at cum otiosa fabula intromissa est, omnes expergefacti torporem somni dominantis excussistis. Quibus verbis, subiungit Cassianus, ostendit senex ille, otiosarum fabularum diabolum esse fautorem, ac collationum spiritualium impugnatorem.

Quod autem aures nō facilè sint præbendæ rebus nouis audiēdis sanctissimè id obseruauit, & simul quorūdā monachorū curiositatē cōpescuit Hugo Lincolniensis Episcopus vir sāctus atq; ante Episcopatū professione religiosus, *vt refert Sur. cap.* 22. *de vita S. Hugon.* 17. *Nouem.* Cū enim post conciliatā pacē inter Reges Franciæ, & Angliæ diuertisset ad monasterium Carthusianorum interrogatus de modo initæ pacis, tristitia affectus ac zelo plenus ordinis sacri respondit. Rumores audire ac referre & si licet Episcopo, monachis tamen non licet. Quamobrem ijdem Carthusiani iure statuerunt de Conuersis qui sæpius quàm Monachi egrediuntur, seculares rumores vbi audiunt, ibi dimittant.

Multò minus prebendæ sunt aures obscænis ac turpioribus verbis, ꝙ egregiè præstitit & docuit S. Bernardinus Senensis, *vt refert Sur. in eius vita tom.* 3. Is cū adhuc esset adolescens ex frequēti cōsuetudine in eum iam habitū deuenerat, vt ad primum turpioris verbi auditū sic erubesceret quasi quis ei colaph impegisset. Deinde inter æquales pro inimico pùblico talium colloquiorum haberi cæptus est, adeò vt si eiusmodi rerum tractationi, vt fit, interueniret subitò inter se mussarent; Tacete, tacete, Bernardinus adest. Et homini nobili, cum nescio quid turpioris verbi illo præsente excidisset, ita indignatus est, vt audacter illi colaphum insignem duceret, cuius sonitus benè longe exaudiretur.

Sed & si quis vellet scire modum, quo sermones detractorijs sint declinandi, & è medio tollendi, obseruet morem celebris illius Angliæ Cancellarij Thomæ Mori, *ex Stapletono in illius*

vita, qui meruit pro defensione iustitiæ, & auctoritatis Ecclesiæ Romanæ martirij palmam obtinere sub Henrico 8. Angliç Rege schismatico. Is igitur cum in omni vita, & actionibus suis vir esset maximæ ædificationis & sanctimoniæ, quando se præsente aliquis detractioni laxare linguam incipiebat, ipse mox arrepta aliunde occasione virulentum illum sermonem aliò diuertebat meliore introducto, aut saltē non malo. exempl. gratia inquiebat. Dicat quisq; quod sibi libet. Ego dico domū illam pulcherrimè extructam, eumq; qui fecit, excellentem esse in arte sua magistrum atq; architectum. Hoc modo suauiter remedium adhibebat.

Commendabilis è contrà est eorum consuetudo qui cum oblectatione spirituales sermones auscultant; & cum fastidio mundanos & prophanos. Sicut refert Cassianus lib.5. cap.29. de illo bono sene Monacho in principio memorato. Qui hanc à Domino gratiam diuturnis precibus impetrarat, vt quotquot diebus ac noctibus agitaretur collatio spiritalis, nunquā somni torpore penitus laxaretur. Si quis verò detractionis verbum seu otiosum tentasset inferre in somnum protinus concidebat; nec vsq; ad aurium quidem eius pollutionem virus obloquij poterat peruenire.

Nec improbanda immo collaudanda illorum cōsuetudo, qui delectantur musicos concentus audire (modò pios, & modò in illis pium aliquem affectum in se excitare conentur; & non solam aurium voluptatem venari.) Diuus Augustinus lib.10. Conf.cap.32. narrat de seipso quod ad lachrymas vsq; sæpe commotus sit in audiendis in Ecclesijs musicis concentibus. Confitetur quoq; se aliquando suauitate concentus potiùs quàm rebus cantatis captum fuisse. Cum, inquit, mihi accidit vt me amplius cantus quàm res, quæ canitur, moueat, penaliter me peccasse confiteor, & tunc mallem non audire cantantem. Ecce vbi sum; flete mecum, & pro me flete. Tu autem Domine Deus meus exaudi, & respice, & vide, & miserere, & sana me. Ita Diuus Augustinus.

Accipite aliud exemplum de vertendis cantionibus prophanis

nis in pias. *ex Hist. tripar. lib.8. cap. 6.* Cum quidam cantica composuisset, & impietatem melodicæ suauitati permiscens audientes illiceret, & ad perniciem venaretur, Beatus Ephrem Syrus sumens inde armoniam, pietatem cantilenæ permiscuit, & audientibus suaue admodum, & vtile medicamentum apposuit. Quæ cantica, inquit Historia tripartita, triumphatorum Martyrum festos dies etiamnum efficiunt clariores.

CAPVT IV.

De Disciplina circa olfactum, & Nares.

AD sensum auditus sequitur olfactus: ideo de disciplina circa olfactum & nares quæ sunt illius instrumentum quatuor consueta videnda sunt. Primò Motiua, quibus induci possumus ad hanc disciplinam. Secundò Res, à quibus debemus per talem sensum abstinere. Tertiò Modus ad hanc disciplinam exercendum. Quartò varia exempla ad id facientia.

§. 1. *De Motiuis ad disciplinam olfactus.*

PRimum motiuum sit consideratio finis, ad quem talis sensus institutus est à natura. Inordinatum enim & irrationabile est partibus membris, & sensibus nostri corporis aliter, quàm à natura præscriptũ est, vti? Finis igitur, ad quem nares, & olfactus à natura instituti sunt, est vt deseruire possint tum ad confortandum, vegetandum & attractione salubrium odorum viuificandum caput, præsertim quando est defatigatum; tum ad prænunciandum quodammodo, & indicandum ori quos cibos, quas escas, quos liquores debeat degustare, et quos respuere; tum ad expurgandum à superfluis & nociuis humoribus cerebrum; tum ad refrigerandum cor per aeris attractionem: tum deniq; ad ornatum, & complementum faciei. Insuper ex quibusdam signis organi huius sensus, scilicet ex qui-

busdam quasi rugis, crispis, & contractionibus indicatur nobis quinam sit sagax, suspiciosus, tetricus, morosus, iratus, fastidiosus, aut alia passione sit percitus. Non debemus igitur excedere fines naturæ. Qua in re magnus aliquando abusus, & magna corruptela deprehenditur in hominibus; sunt enim aliqui ita dediti odoribus percipiendis vt non solum corpus, sed & vestimenta, sed & cubicula, & habitationes floribus, aquis, vnguentis, & pulueribus odoriferis respergant.

Secundum motiuum ductum ab excessu. Est enim vuulgatum adigium. *Omne nimium vertitur in vitium.* Sicut igitur moderatus odor recreat & confortat cerebrum & caput; ità nimius laxat, dissoluit, immo eneruat totum Corpus. Expertus est hoc plusquam satis suo malo dux ille strenuus Carthaginensium Anibal cum suo exercitu. Quid enim exercitum Anibalis penè inuincibilem, Romanisq; copijs ferè exitialem; vincibilem tamen, victum, stratumq; de facto reddidit? certè si Valerij testimonium accipimus, fuit odorum & vnguentorū excessiua fragrantia. *Sic enim is inquit.* [Campana luxuria perquàm vtilis ciuitati nostræ fuit. Inuictum enim armis Anibalem illecebris suis complexa vincendum Romano milili tradidit. Illa vigilantissimū ducem; illa exercitum acerrimum dapibus largis, abundantia vini, vnguentorum fragrantia, Veneris vsu ad somnum, & delicias euocauit. ac tum demum fracta & contusa Punica feritas est.] *Ita valerius.* Qui hoc expendēs exclamat.[Quid ergo his vitijs fędius? qd etiā dolorosius quibus virtus atteritur, victorię languescūt, quęsita gloria in infamiā conuertitur, animiq; pariter & corporis vires expugnantur adeò vt nescias ab hostibus ne an ab illis capi perniciosius habendum sit?]

Tertium motiuum ductum à fæditate originis vnguentorū. Quamuis enim olim aliqui adhiberent vnguenta ad necessitatem vt athletę, & digladiatores in singulari certamine; et aliqui ad salubritatem vt natantes & balneantes: Nihilominus plurimi frequentius vtebantur vnguentis ad luxuriem causa veneris & mensarum. Greci, *vt refert Ioannes Rauisius Textor in*

sua

sua officina lib.4. cap. 45. vinum vnguento mixtum bibere non erubescebant. Huius luxuriæ inuentum Persis refertur acceptum. Vnde Horatius.

Persicos odi puer apparatus.

Eius rei fidem facit scrinium vnguentorum laudatissimorũ quod expugnatis Darij castris reperit Alexãder. Cyprij quoq; Ciziceni, & Corintij eadem mollicie effæminati sunt. Cum autem Romani suis armis multas debellassẽt prouincias, suoq; subiecissent imperio, inuasit hic luxus totam paulatim Italiam, & præsertim ipsam orbis dominam Romam, adeò vt M. Otho Neroni monstrauerit vestigia pedum vnguentis tingi, hisq; balnearum parietes quandoq; aspersi sint. Caium quoq; Principem ferunt vnguento solitum lauari. Anno post Vrbem conditam 565. Licinius Crassus, & Iulius Cæsar censores ædixerunt nequis venderet vnguenta externa. L. Plotius Plotij Consulis frater proscriptus à Triumuiris in salernitana latebra ex vnguenti odore fuit deprehensus. In confesso est Eliogabalum Imperatorem triclinia quandoq; lectos & porticus omni florum genere strauisse, vt Lilijs, Violis, Rosis, Iacintis, & Narcissis & similibus, ac per eos ambulasse, seq; vnguentis omniũ fragrantissimis nudum sæpe numero perunxisse. Quem sequuti Imperatores quidam alij mollitiem propè nullam sibi non permiserunt, nullumq; voluptatis poculum reliquerunt ingustatum. Immò eò processit mollities, seu verius insania suprà memorati Eliogabali suprà omnia prodigià mollissimi, vt triclinia habuerit versatilia (teste lampridio) in quibus amicos quandoq; ponere consueuit, eosq; floribus ita obruere vt animam efflarent. Multa alia penè incredibilia traduntur de immenso luxu & mollitie Eliogabali. En igitur origo odorum & vnguentorum mollities, luxuries. Et omnium temporum decursu hic fuit apud omnes homines constans & perpetuus sensus, vt quicunq; odoribus nimium dediti essent nonnisi molles, & effęminati haberentur, pessimeq; apud viros cordatos sentirent. Vnde Martialis non minus eleganter quàm argutè, monendo amicum odoribus nimis deditum, cecinit dicens.

Post-

Posthume non benè olet qui benè semper olet.

Quartum deniq; motiuū sit Christus Dominus qui cū omnē mollitiem animorum, atq; omnes illecebras voluptatum peremptururus aduenisset, permisit quidem se vnguentis illiniri, sed in pedibus & u x semel in Capite; & tunc non tàm illo vnguēto, quàm pietate delectatus & lachrymis offerentis. Nec mysterio prædicta Christi Domini perunctio vacat; Cum enim, (vt inquit Augustinus) omnis Christi actio nostra sit instructio: Et quę ipse corporaliter egebat volebat spiritualiter intelligi. Ex quo ipse permisit se in capite & in pedibus vnguento odorifero perfundi dat intelligere debere nos toto vitæ decursu tàm in principio quàm in fine virtutū & bonę famę odorem efflare. Nostis quia fama apud sapientes dicitur odor, & quidem multò maior, latiusq; sensibilis quàm aromatum si crementur aut vnguentorum si fundantur. Bonæ igitur famæ, idest bono huic odori operam da re debemus, si odorum voluptate tenemur.

§ 2. *De Rebus, à quibus debemus per nares abstinere præsertim à Tabacco cuius vsus omnino improbatur.*

NOn diu nec multùm elaborandum nobis erit in peruestigandis rebus, à quibus debemus per olfactum & per illius organum nempè per nasum abstinere. In promptu est vsus, immo verius detestabilis abusus Tabacci, qui hac tempestate ferè omnes Europæ prouincias peruasit cum detrimento non modico & Corporum, & morum, & bonorum. Vt igitur manifestior euadat huius corruptissimi moris, vilisq; consuetudinis pernicies; & subinde vt quantum pro viribus possumus ab omni hominum genere hoc malum eradicemus, detegenda nobis est illius origo, progressus, vilitas, inutilitas, pernicies, deniq; deceptio eorum, qui tali assuetudine, verius dicam vitio detinentur.

Atq; vt clarius procedamus supponendum triplicem esse modum sumendi Tabaccum vt communiter in nostris regionibus

nibus fit; scilicet Vel in puluere, Vel in fumo; Vel in folijs. Hoc posito ostendemus generaliter nullum ex his præfatis modis probari apud sapientes & cordatos viros, discurrendo per illas superius indicatas tabacci conditiones seu circumstantias.

Et vt ab illius origine & progressu exordiamur. Quis non mirabitur illius vilitatem & fœditatem? Vt enim apud æquos prudẽtesq; rerum æstimatores laudem suo iure merentur instituta illa, quibus causam præbuerunt aut honestas, aut pietas, aut necessitas; initia verò dederunt viri graues probitate ac prudentià conspicui: sic meritò infamiæ stigmate notantur illa, quæ ex turpitudine coorta, à barbaris profecta, sola nouitatis affectatione inualuerunt. Tale est Tabaccum. Hæc herba plurimis in locis nascitur, & pro varietate locorum varia etiam nomina sortitur; magna tamen illius copia est in America, ibiq; à plerisq; vulgari appellatione vocatur Tabaccum. Cum autem gens illa & torrente cæli climate, & adusta corporis constitutione sint in venerea procliui, tali herba vtuntur pro familiari antidoto. Ab his igitur nonnulli Europæi in Europam ab illis regionibus remeantes vsum Tabacci, & acceperunt, & didicerunt, & in has regiones inuexerunt. Primæus autem vsus huius herbæ fuit suffimigium, qui quidem vsus permansit & permanet apud agrestes, & vilis conditionis homines. Cæterum alij ciuiliores dedignantes sequi morem agrestium (vt fieri assolet) alium modum adhibendi talem herbam adinuenerunt; & hic modus fuit & est exiccandi prius talem herbam, eamq; exiccatam benè tundere in mortariolo, tusamq; in puluerem redigere & sic redactam sumere & attrahere per nares; atq; vt gratior talis puluis efficiatur solent illum varijs odoribus contemperare. Alij simplicius procedentes tantoq; artificio pertæsi ipsismet folijs exiccatis sunt benè contenti, easq; in nares intromittunt ibiq; detinent per aliquod temporis spatium existimantes nil minoris virtutis adesse in hoc modo sumendi quàm in cæteris. Et quidem si hic sumendi modus cũ alijs compar etur minus fædus apparet. En ingressus & progressus

gressus

gressus Tabacci in his regionibus europæis. Nunc igitur quisquis sapiens est, aut sibi sapere videtur, consideret an deceat barbarorum simiam fieri? an rationi congruat vt Ciuilitas Europæa præsertim Italica exuto pudore fera Ameriæ pecora pro vitæ magistris accipiat? Si his pædagogis sapere discendũ est cur illorum exemplo non etiam plumas auro, & fracta vitra gemmis anteponere? cur nudos non incedere? cur non cæteros ferinos illorum mores amplecti? ò hominum sapientium insipientiam. Sed prosequamur reliqua.

Veniamus ad vilitatem, inutilitatem, immo perniciem tabacci. Tria præcipuè damna ipse reperio in illo. Primum est quod labefactat cerebrum. Secundum quod offendit oculos aliorum qui simul conuersantur. Tertium est quod pannos lineos quibus vtimur ad purgandas nares, commaculat, corrodit, absumit itaut strophiola semel tabacco inquinata nunquam possint penitus emundari, & ad suum candorem restitui. Hi sunt fructus tabacci.

De primo igitur fructu pernicioso, qui est labefactare cerebrum constat apud omnes rationis trutina rem expendentes. Nam inconfesso est apud medicæ artis peritos cerebri naturam in humido & frigido positam esse: è contra tabacci in calido & sicco; vnde ex opposito sunt contraria. At quis ignorat cõtraria destrui ad inuicem? Sicuti enim sua cuiq; sanitas stat stante natiuo Corporis temperamento; ita partium ipsius Corporis sanitas & valetudo firma manet manente ipsarum partium proprio temperamento. Non manet autem aduenientibus contrarijs destructiuis. Ita se habent ad inuicem cerebrum, & tabaccum. Quid enim aliud cerebro exiccato calefactoq; per tabaccum expectari potest nisi primò vigilia & carentia somni, deinde phrenitides? somnus enim nonnisi è suaui humoris calorisq; coniugio oboritur; vnde qui maiori humiditate caloreq; abundant somnolentiores sunt, quales sunt iuniores respectu senum, qui ex defectu humiditatis & caloris minus somno sunt obnoxij. Sanitatis ratio est vt foueatur similibus destruatur contrarijs.

Secun-

Secundus fructus perniciosus est offendere ciuilem & vrbanã conuersationem. Bone Deus quid tædius? quid indecentius? quàm inter cordatos graues, & morigeratos viros videre hominem, qui semper præ manibus habeat vasculum huius pulueris? Qui semper effundat super manum pulueres, eosq; in nares immittat attrahendo per aspirationem vsquequò peruadant cerebrum? cui semper nares tali puluere inquinati eluceant? cuius sudariola humoribus è capite defluentibus commaculata semper appareant? Certè nescio an quicquam fædius in humana conuersatione aspici querat. Idq; tolerabilius esset si per quædã solummodo temporum interstitia, si semoti à communi conuictu huic rei operam darent; sed quod in admirationem rapit cæteros; immo etiam illos, qui huic rei sunt dediti; quòd siue comedãt, siue bibant, siue sedeant, siue obambulent, siue taceant, siue colloquantur de rebus etiam serijs, siue quodcumq; aliud negotium pertractent, ab huiusmodi se vitio nequeunt continere. Tanta est inolitæ cõsuetudinis vis. Eò deuenit impudentia nonnullorum, vt etiam alios simul conuiuentes in sui morem adducere non erubescant hortando, suadendo, pulueres vltrò offerendo & ferè ferè inuitos compellendo. Quod autem mirum omnibus semper visum est, huiusmodi damnanda lue infecti deprehenduntur non tantùm helluones & agrestes viri, non laici tantùm & qui laxatam vitam ducere consueuerunt; sed Ecclesiasticorum quoq; non pauci, quiq; sapientum nomine gloriantur: adde qui perfectionis iter arripuerunt, atq; inter claustra degentes soli Deo se vacare profitentur. Relatum fuit aliquando in quadam non ignobili Europę prouincia eò talem excreuisse dementiam inter Ecclesiasticos, vt non deessent qui etiam dum tremendo ac sacrosancto Missæ sacrificio operam darent tali vitio se captiuos ostenderent maximo adstantium scandalo. Adeò inualuit hæc hominum cæcitas vt viri aliàs cordati & graues ne singulares in huiusmodi virorum cætibus appareant cum illis insanire non vereantur. Accidit illis quemadmodum duobus quibusdam Philosophis qui pluuiam cum populo mandescere coge-

bantur: Vel vt duobus alijs quorum alter inuitus allium arrosit, cuius odorem in alterius halitu ferre nequibat. Eò deuentum est hac nostra tempestate vt sine tabacco hospitium non frequentetur: sine tabacco medicina non valeat: sine tabacco sodalitium sit insuaue. Istane Vrbanitas? O' rudes maiores nostri, quibus tale de Cęlo lumē non affulsit; quibus talis thesaurus non est inuentus; quibus talis tabacci vsus fuit ignotus. Et tamen illi benè viuendi præcepta nobis reliquerunt; illi mores instruxerunt; illi absq; hoc fumo, absq; hoc puluere, absq; hoc folio tabacci vitam longæuiorem quàm nostri temporis homines verissime traduxerunt. Qui sapiens est iudicet. Qui ratione vtitur discurrat. Qui habet aures audiendi audiat.

Tertius perniciosus fructus est domesticæ substantiæ bonorumq; imminutio. Quis ignoret eos, qui huic vitio sunt additi, plurimum pecuniæ expēdere in comparandis sibi tabacci pretiosis pulueribus, quas certè pecunias longè laudabilius in pauperum eleemosinas, vel alia pietatis opera, vel saltem aliū honestiorem vsum erogarent? Præsertim cum in emptione talium puluerum exquisitissimos perquirant quantumuis caro pretio væneant: Et quemadmodum ij, qui potentes sunt ad bibendum vinum, aspernantur vina dulcia & lenia; sed spiritosa & fortia insectantur, quæ cerebrum sua presentia statim commoneant: sic isti tabaccophili nihil magis in pulueribus aut in fumo affectant quàm acrimoniam nidoris, quæ intimas narium cauernas quàm celerrimè peruadat, & cerebrum morsu non translatitio peruellat. Et vt in primo popinæ tyrocinio vix quisquam prorsus se mancipat gulæ (nemo enim repente fit summus) sed pedetentim cedit intemperantiæ illecebris; tum verò beluinæ emeritus militiæ maiore cura sobrietatem suam extinguit, quàm ipse sobrius restinguit ardentē suam sitim: ita primùm inter putorem folij, pudoremq; insueti moris hærere solent, mox tanta peruiuacia inhærent vt potius à rebus charissimis quàm ab hac memphiti se patiantur auelli, & hunc vecordiæ morbū in magicum sanè illius herbæ potentiā conferunt. Quid dicam de iactura rei lineariæ: quot strophiola

phiola, seu sudariola tabacchistæ consumunt: Cum enim continuò è naribus humorem vi tabacci violenter euocatum detergere necesse habeant, qui humor maculosus effluit vtpote illo puluere commixtus; inde fit vt strophiola in quibus dictus humor recipitur inquinata remaneant, & quidem tàm indelebili inquinamento vt mulieres lotrices quacumq; adhibita in lauando diligentia nunquam possint talia inquinamenta diluere; Cumq; talis humor habeat nescio quid mordacitatis, inde fit vt breui tempore talia strophiola in pessum eant, lacerentur, absumantur. Ecce virtus, ecce nobilitas, ecce pretiositas tabacci.

Sed accedamus ad euertendas deceptiones eorum, qui huiusmodi vitio detinentur. Cum enim nullum agens intendat malum in operando; profectò tabacchistæ dum tali operi incumbunt, non intendunt aut sui detrimentum; aut morum inurbanitatem; aut rei familiaris absumptionem. Ducuntur itaq; quibusdam apparentibus rationibus, verius dicam deceptionibus, quas oportet euertere; si quo modo possimus eos ad saniorem frugem reducere.

Dicunt igitur primò. Per fumum, aut puluerem, aut folia tabacci pituitam resolui, & aquosa stomachi excrementa educi, & (quod hinc sequitur) abditos distillationum fontes, (vnde plurimæ in Corpus humanum scatent ægritudines) exsiccari; siue hoc caloris virtuti; siue nobili occultæq; cuidam illius herbæ qualitati tribuendum sit. Hæc ita esse vera non aliunde magis noscere nos (aiunt) quàm experientia; statim enim ab hausto fumo, seu puluere præcipitari ex ore, & ex naribus videmus humores.

Vt huius sophismi vanitas appareat, eiusq; euersio clarius elucescat duo supponenda sunt. Primum ex Meteoris, à quibus docemur nullam aut exiguam exiccandi vim fumo inesse, quia est vapor quidam tenuior aqua, crassior aere; omnes autem vapores suapte natura in aquam, vnde venerant, promptissimè reuertuntur; sicut exhalationes illæ, quæ ex terra, & mari vi solis attolluntur, in pluuias, rores, & pruinas, ac simi-

lia mutantur. Secundùm ex natura tabacci; ineſt enim huic herbæ venenoſa quædam qualitas, cui adiuncta eſt fœda acrimonia; vnde habet antipatiam quamdam cum humano temperamento. His ſuppoſitis dico illum humorem qui ex naribus aut ore defluit poſt ſumptionem tabacci non tàm eſſe humorem nociuum, qui ſuperfluat naturæ, quemq; ipſa natura expellere nitatur; quàm humorem aduentitium concretum ex illo vapore fumeo; (ſi tabaccum fuit ſumptum in fumo,) qui vapor receptus in cerebro;per huius natiuam frigiditatem concreſcit, deinde defluit per palati canales ad illum planè modū quo fiunt aquæ diſtillatæ. Quando autem tabaccum ſumitur in ſuis pulueribus aut folijs; tunc natura conatur repellere ſuū contrarium, atq; in huiuſmodi repulſione vim quamdam faciendo tota ſe excitat, & excitando emittit aliquid humoris verè non ſuperflui ſed neceſſarij; non enim tunc natura ex ſe & ſuauiter emittit illum humorem vti emittere ſolet aliàs extrà talem caſum; ſed violenter & contrà propriam inclinationem, quod eſt ſignum euidens illum tunc humorem non eſſe de ſuperfluo.

Dicunt ſecundò. Nunquam tabacci vſus adeò inualuiſſet apud homines niſi vtentibus experientia oſtendiſſet nihil eſſe humanæ vitæ hac herba ſalubrius.

Si prædicta ratio valeret, nihil apud vllam gentem tàm delitum, aut infame reperiretur, cui non eſſet illicò paratiſſima defenſio. Quàm ſint mortalium animi procliues ad nouitatis ſtudia, me tacente, pluſquàm ſatis eſt manifeſtum. Quando peregrina veſtiendi forma fuit vnquam in aliquam regionem inuecta, quæ non repererit ſtatim aliquem imitatorem? Sæpe vnius ſtultitia tranſit in alios; quia ſæpe non commodo, aut honeſto, ſed nouitate ſola ducimur. Sic dominatur vnicuiq; cæcus ſui amor ex ſecreto alienæ vanitatis contagio. Quod igitur in pleriſq; alijs rebus contingere videmus, quidni in tabacci vſu accidiſſe putandum? nempe quod non iudicij pondere ſed imitationis ſtudio ad inſtar ſimiarum,talis vſus pertinacia apud Europæos inoleuerit.

Di-

Dicunt tertiò huius herbæ salubritate quocunq; ex illis tribus modis sumptæ plerisq; hominibus varia morborum genera fuisse sublata; neminemq; repertum, cui ex illius vsu noxa sit subsecuta.

In prędicto argumēto inuoluitur tùm error, tùm absurditas. Error est assumere nō causā pro causa (vt loquūtur logici) nā causa m è morbis conualescendi attribuunt sumptioni tabacci; cur non alijs causis? cur non viribus imaginationis quę spirituum vnione sæpe facit casum? cur non vltimo termino morbi paulatim decrescentis & euanescentis? cur non ipsi naturæ sua vi eluctanti è morbo & ad pristinam se valetudinem reducenti? Si autem contingat, vt non rarò contingit, aliquem huic vsui nimis deditum morbum contraxisse & etiam expirasse, tunc non tabacco adscribunt sed alteri cuicumq; causæ; ecce error. Absurditas quoq; in supradicto argumento deprehenditur quia plurimorum morborum euasionem tribuunt tabacco. Et quando in rerum natura & in orbe terrarum fuit tàm cæleste pharmacum vt omnium genera morborum depelleret? Ad quid igitur Medici? ad quid medicinæ? ad quid pharmaca? ad quid pharmacopolæ? Puto tabacchistas nugari velle. Nonne in humano corpore variæ sunt partes, quæ singulæ diuersis constant temperamentis & diuersarum complexione qualitatum, vt si cerebrum sit frigidum & humidum; cor è contra est calidum & siccum; atq; sic de singulis? nonne illud medicamenti genus quod vni corporis parti est amicum, alteri est inimicum? Et quomodo igitur tabaccum iuuat singulas Corporis partes, & omnes morbos expellit? Hoc quidem est verum, & hoc fateantur velim quod cerebrum tali veneno marcescit, & ventriculus ex pręcoce concoctione cruditatibus prægrauatur. Sed esto, valeat hæc herba ad aliquem morbum depellendum, num omnibus conueniet absq; temporum & personarum discretione? an iuuenibus optimè constitutis comperietur salubris? Quis nesciat medicinæ operationem non esse absq; mutatione vtentis: bene habentem trāsferrè à sanitate ad infirmitatem; & infirmum à morbo ad sani-

nita-

nitatem. Medicina tempestiuè adhibita est subsidium naturæ laborantis: temerè autem & passim frequentata valetudinis robur etiam atleticum debilitat. Intelligitis quid velim. Et si tabaccum aliquid vtilitatis affert (quod non admittimus) certè iuuenibus sanis & robustis non affert: immo frequens & nimius illius vsus multum nocumenti omnibus affert.

Ergo, vt tandem concludum, abijcite mortales omnes sed vos præcipuè reuerendi Patres & fratres mei Ecclesiastici, abijcite quæso rem inutilem, rem damnosam, rem insanam ortã ex ignominia, receptam per errorem, frequentatam per imitationem: ex qua & ira Numinis accenditur; & vrbanitas offenditur, & res familiaris consumitur; & Corporis sanitas atteritur; per quam dignitas gentis senescit domi, vilescit foris; in qua nihil honestatis, nihil vtilitatis, nihil delectationis inuenitur; sed plurimum fæditatis, otiositatis, & detrimenti continetur.

§. 3. *De Modo seruandi disciplinam circa olfactum.*

DIscant Ecclesiastici fugere odoramentorum superfluum vsum (dico superfluum quia moderatus vsus, & secluso scandalo, non est illicitus; immo licitus aliquando ad recreandum & confortandum caput & cerebrum.) Si fortè quis flosculos nobis dono dedit, indecorum videtur illos publicè in manibus gestare: posset enim aliquis nos leuitatis & vanitatis arguere; multoq; magis si illos in auribus aut in pectore gestaremus. Amasij enim hoc facere solent. Similiter vanitatem, mollitiem, & animum valde effęminatũ redolet habere in vestimentis odorem ambræ, zapetis, musci, nisi fortè hoc fieret de consilio medicorum sanitatis gratia, & cum moderamine, & ad tempus, & absq; scandalo. Etenim decet Ecclesiasticum mortificationem sensus præseferre etiam in rebus quæ videntur modici momenti; nam hæc exercitatio plurimum conducit ad acquirendum habitum abnegandi & frangendi propriam voluntatem: qui enim assuescit vincere se in paruis, suamq;

voluntatem etiam in minimis frangere; multò facilius postea vincet seipsum in maioribus. Quemadmodum enim qui ad militiam se præparant, exercent se in armis etiam tempore pacis, atq; ijs se hastiludijs assuefaciunt, quibus vti debent cum verè bellum gerendum est. Sic voluntatem nostram superare debemus etiam in rebus licitis, vt habitu mortificationis comparato multò facilius in rebus illicitis superare possimus. Idem docet S. Bonauentura ponitq; pro exemplo. Si quis per viridatium perambulans videndo multos flores allicitur ad colligendum florem aliquem sibi magis speciosum, in tali casu quãuis colligere nullum sit peccatum; tamen abstinere, & continere se à colligẽdo mortificationis causa rem certè multò gratiorem exhibet Deo. Quapropter idem sanctus hortatur, vt assuescamus sæpe in corde nostro Deum alloqui dicendo. *Domine Deus tui amore nolo hoc videre, nolo illud audire, nolo hac esca frui, nolo me tali modo recreare, & similia.*

§. 4. *De exemplis eorum qui nimis dediti odoribus male habuerunt.*

PRopter odorum inordinatum vsum, Deo sic permittente, nonnulli in extremam miseriam, imò mortem deuenere. Narrat B. Petrus Damianus *relatus à Dauroutio florum exẽpl. cap. 6. tit.* 47. Quod Dux quidam Venetiarum habebat vxorem ciuem Constantinopolitanæ Vrbis, quæ tàm tenerè & delicatè viuebat, vt non modò superstitiosa, sed & artificiosa (vt ita loquar) iucunditate se mulcebat, vt etiam communibus se aquis dedignaretur abluere; sed eius serui rorem cæli satagebant vndequaq; colligere, ex quo laboriosum illi balneum procurarent. Cibos quoq; suos non tangebat sed ab Eunuchis eius alimenta quoq; minutius concidebantur in frusta, quæ mox illa quibusdam fuscinulis aureis, atq; bidentibus ori suo liguriens adhibebat. Eius porrò cubiculum tot thymiamatum aromatumq; generibus redolebat, vt auditor fortè non credat. Sed omnipotenti Deo quantum huius fæminæ fuerit exosa

super-

superbia manifesta docuit vlciscendo censura. Vibrato itaq; super eam mucrone diuini iudicij, corpus eius omne computruit, itaut membra Corporis vndeq; cuncta marcescerent, totumq; cubiculum intolerabili prorsus fætore complerent, nec quisquam tantam perferre narium iniuriam potuit: non consueta seruitia; non seruulus, vix una ancilla non sine speciei redolentis auxilio in eius obsequij sedulitate permansit. Diutius ergo hæc languore decocta & miserabiliter cruciata, amicis quoq; lætantibus diem clausit extremum. Quid ergo sit caro, doceat ipsa caro; quodq; perhibet mortua testetur & viua.

De Muleasse Rege Tunetano fertur quod cum Neapoli aliquando esset, Neapolitanis nouo cultu, uescendi more, & exquisitissimis odoramentis admirationi fuit. Dapibus eius ex regiæ culinæ disciplina pretiosi sumptus unguenta farciebantur adeò ut pauonem cum duobus phasanijs conditum obseruatum sit centum aureorum impensam excessisse. Hic igitur cum audisset Amidam filium Tunetum & arcem occupasse, ea re vehementer perturbatus militem conscribit magna celeritate, confluuntq; ad eum mille & octingenti homines, cum quibus eò pergit, & in itinere rursus ab Hispanis equitibus à Touatre missis admonitus vt sibi ab insidijs, quæ iuxtà urbem essent, caueret, sed in proposito perseuerat. Vbi autem propius ad Vrbem accessit, erumpentibus tùm ex Vrbe, tum ex oliuetis Afris ex eius exercitu periere suprà mille & trecenti; & ipse Muleasses fugiens nullare alia quàm vnguentorum odore ab hostibus agnitus, & captus est. Eum ad se adductum Amida filius utroq; orbatum lumine crudeliter excæcat candenti scalpello proscissa utriusq; oculi pupilla. Idem pertulere duo Amidæ fratres cum Muleasse capti Nalaser, & Abdales.

CAPVT QVINTVM

De Diſciplina circa guſtum.

QVia pleriq; mortaliũ cõmuniter in sũptione cibi & potus aliquo modo peccare cernũtur; ideò adhibẽda eſt diſciplina & modus circa ſenſum guſtus ab omnibus quidẽ hominibus ſed præcipuè ab Eccleſiaſticis, qui poſiti sũt in exẽplũ & in ędificationẽ aliorũ. Hãc diſciplinã nõ aſpernabuntur ſi in mentem reducere uoluerint innumeras ferè adhortationes, quæ in ſacris literis habentur, quibus ad monemur temperantiam, abſtinentiã, & ſobrietatem amplecti, de quibus infrà §. p. Videndum igitur primò quæ ſint motiua inducentia ad talem diſciplinam. Secundò, circa quas res debeat exerceri. Tertiò, qui modus tenendus ad illius exercitationem. Quartò, exempla varia ad id facientia.

§. I. *De Motiuis inducentibus ad diſciplinam circa guſtum ſeu circa cibum & potum.*

PRimum motiuum, illudq; efficaciſſimum eſt auctoritas ſacrarum literarum, quę pluribus in locis cõmendant hanc diſciplinam ſub diuerſis verborum formis. Nam in Epiſtola ad Romanos 13. Diuus Paulus ſic admonet. *Fratres abÿciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis ſicut in die honeſtè ambulemus non in commeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitÿs, non in contentione & æmulatione.* Vbi notanda ad propoſitum noſtrum illa verba *(non in commeſſationibus & ebrietatibus)* Idem ibidẽ.14. *Nõ eſt regnum Dei eſca & potus; ſed iuſtitia, pax, & gaudium in Spiritu Sancto.* Idem 1. Theſſal.5. *Igitur non dormiamus ſicut & cæteri; ſed vigilemus, & ſobrÿ ſimus.* Idem 2. ad Tim. 4. *Tu vero vigila, in omnibus, labora, opus fac euangeliſtæ, miniſterium tuum imple, ſobrius eſto.* Idem 1. ad Cor.6. *Eſca ventri & venter eſcis; Deus autem hũc*

& has destruet. Idem. *Esca nos non commendat Deo.* Idem ad Hebreos 13. *Optimum est gratia stabilire cor non escis quæ non profuerunt ambulantibus in eis.* Et Princeps Apostolorum Petrus. *Fratres sobrij estote & vigilate, quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide.* In omnibus prædictis locis, in quibus ponitur sobrietas indicatur hæc disciplina, de qua est nobis sermo.

Secundum motiuum sit ductum à damnis, quæ ex intemperantia circa cibum & potum exoriuntur: hæc ad tria capita commodè reduci posse videntur, nempè ad damna Animæ, Corporis, & bonorum temporalium.

Atq; vt à damnis Animæ exordiamur. Primò intemperantia circa cibum & potum viam aperit tentationibus; quia enim comedere & bibere sunt de necessitate naturæ; ideò Diabolus ibi tentationis laqueum abscondit, vbi natura necessitatem ostendit. Sic enim primò de vitio gulæ primos parentes in paradiso tentauit. Secundò mentem obnubilat, & subuertit: quia enim populus Dei cæpit manducare & bibere; ideò postea surrexerunt ludere, & vitulum aureum adorare. Hinc *Tullius in paradoxis eleganter ait.* [Cum tibi Deus vel mater omnium natura dederit animum, quo nihil est præstantius, nihil diuinius; sic te proijcies atq; prosternes vt nihil inter te & pecudē interesse putes? Voluptas quo maior est eò magis animum à sede sua & statu dimouet.] *Et idem in libro de Senectute.* [Impedit consilium voluptas rationis inimica, ac mentis oculos perstringit; nec habet vllum cum virtute commercium.] Tertiò inducit corruptionem bonorum omnium & virtutum; Vnde *idem Tullius ibidem sic ait.* [Archita Tarentinus cum eius sermoni Plato Atheniensis interesset nullam capitaliorem pestem, quàm voluptatem corporis dicebat hominibus à natura datam; Cumq; nihil mente præstabilius Deus dedisset homini, huic diuino muneri nihil tàm inimicum esse quàm voluptatem. Quod vt magis intelligi possit fingebat animo tanta incitatum aliquem Corporis voluptate, quanta percipi posset

ma-

maxima, nemini censebat fore dubium quin quandiu ita gauderet nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione consequi posset] *Hac Tullius.* Quartò Intemperantia, & gulæ vitium ianua est omnium vitiorum. Quapropter *benè dicebat Origines hom.87. Christianos alloquens.* [Sicut sobrietas omniũ virtutum est mater; ita gula & præsertim ebrietas omnium vitiorum origo.] Vnde possumus inferre Ecclesiasticum siue secularem siue regularem, qui sobrietatem sectatur, multarum seminarium esse virtutũ;è contra verò qui vẽtri seruit,genioq; indulget liberalius, vitiorum cloacam esse atq; sentinam. Sed quid miraberis hoc? cum reddat homines belluas. Testatur hoc *Macrobius lib. Saturnalium inquiens.* [Ea quæ ex tactu atq; gustu voluptas est omnium rerum fœdissima est, eosq; maximè, qui se his duabus dederint voluptatibus, incontinẽtes, & intemperatos dicimus; istas solas duas videmus hominibus communes esse cum belluis; & idcircò in pecudum ferarumq; numero habetur quisquis voluptatibus his occupatus est.] Atq; vt aliqua particularia recenseamus. Nonne intemperantia reddit homines inexplebiles? proferat id *Lucanus lib. 4.*

———— O prodiga rerum.
Luxuries nunquam paruo contenta paratu
Et quæsitorum terra pelagoq; ciborum
Ambitiosa fames, & lauta gloria mensæ
Discite quàm paruo liceat producere vitam.

Nonne reddit etiam loquaces, scurras, & detractores? Sic Sichimitæ inter epulas, & pocula maledicebant Abimelech. Aduoco in testimonium ipsam quotidianam experientiam. Nonne parat necis occasiones? Quia populus Dei flagrauit esu carnium, immisit in illorum castra Deus coturnices & volatilia pennata: sed quid? adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos, scilicet pestilentia, quæ magnam populi partem absumpsit. Quot à poculis ad gladios conuolarunt? quot à cibis & potibus ad rixas, ad rumores, ad arma? quot à mẽsis ad tumulos deportati? Ego certè audiui et

vidi non paucos occasione conuiuiorũ & compotationũ prorupisse in iurgia, in contumelias; prouocasse inuicem ad singulare certamen; conuolasse ad arma; conscendisse equos; properasse ad locum, se inuicem interemisse. Et quod institutum erat ad vitam, factum est occasio mortis: & extrema gaudij luctus maximus occupauit. Heu heu quot mala inde proueniunt.

Sed veniamus ad damna Corporis. Innumera propè mala causat circa corpus intemperãtia, seu cibi, potusq; superfluitas. Lędit enim & deordinat temperatam Corporis dispositionem, variosq; morbos ingenerat. Hinc calculum, podagra, chiragra, capitis vertigo, stomachi cruditas, pectoris grauedo, oculorum caligo, viscerum corruptio & adustio; ac totius Corporis grauolentia, & ad omnia peragenda quædam grauedo & summa penè inhabilitas. Nam sicut terra quando nimia aquæ supefluentia fuerit oppressa, & veluti obruta innatum vel potius à sole receptum amittit calorem; amittit virtutem, & ad generationem nutritionemq; herbarum & plantarum nullo modo est accommoda. Sic & homo cibo, potuq; nimio ingurgitatus atq; oppressus mollescit, dissoluitur, diffluit, vires amittit, inutilis redditur, & varijs fit morbis obnoxius nihil aliud exhalans quàm fætores, quàm eructationes, quàm lutulentas superius inferiusq; impuritates. Hinc egregiè *S. Augustinus Serm. 137. de temp. ait.* [Omnes ebriosi tales sunt quales paludes esse videntur. Quid enim in paludibus enascatur non ignorat Charitas vestra; totum quod ibi nascitur, nullum fructum habere cognoscitur. Nascuntur ibi serpentes, sanguisugæ, nascuntur ibi ranæ, & diuersa genera vermium, quæ magis horrorem possunt generare, quàm aliquid quod ad victum proficiat exhibere. Istæ enim herbæ vel arbores, quæ aut in ipsis paludibus; aut circa ripas nasci solent, nihil vtilitatis habere videntur; itaut annis singulis incendio concrementur. Videte, quod de ebrietate nascitur igni præparatur. Paludes enim sunt, vt dixi, ebriosi, quorum prandia ducuntur in noctem, quorum cænas lucifer videt, quorũ

sensus tardi, graues, obtusi, & quodammodo iam sepulti. Sic nimirum grauiter lædit Corpus, grauissimè lædit & animum crapula, & ingluuies, hebetem illum planè reddens ad diuina, perturbans rationem, languorem generans & tædium ad cælestia, pronum faciens ad libidinem & omnia vitia; intellectū obnubilans, affectum deordinans, prudentiam & sapientiam euertens, animam quodammodo brutam faciens, verecundiā tollens, insaniam inducens, sicq; quicquid in animo est & mēte animi mentisq; proprium dehonestans & deturpans.] Hæc non minus sapienter, ac eloquenter præclarum illud Ecclesiæ lumen Augustinus. Sed non minori etiam sapientia pariter ac eloquentia idem asserit aureum illud eloquentiæ flumen *Chrysostomus hom. 39. in Epist. p. ad Corin. sic inquiens.* [Ipsi Corpori inimica est & infensa voluptas, ex forti debile reddit, è solido eneruatum, morbidum è sano, tenue ex compacto, ex florente & formoso deforme, olidum ex fragranti, ex vtili inutile, ex mundo & puro impurum, ex absoluto doloribus vndiq; differtum, ex recenti vetus, ex robusto flaccidum, ex celeri tardum, ex sano languens, ex recto claudum. Per hanc mille mala malignus ille patrat Sathanas. Diurna exercitatio, & labores, & tolerantia, & moderata mensa, & victus simplex hilariora corpora reddunt; & formam præterea plurimùm iuuant. Quæ cum videmus fratres, quid non voluptates, perniciosaq; conuiuia vitamus, & simplicem potius prosequimur victum? vt corpore simul & animo rectè comparati virtutibus pleni, futuris aliquando bonis potiamur.] *Et magnus ille Leo Serm. 8. de ieiun. 10. Mensis in eamdem sententiam sic ait.* [Quotidiano experimento probatur potus satietate aciem mentis obtundi, ciborum nimietate vigorem cordis hebetari, itaut delectatio edendi etiam corporum contrariā fit saluti nisi ratio temperantiæ obsistat illecebræ, & quod futurum est oneri subtrahat voluptati.] *Hac leo Magnus.* Itaq; frequentes podagræ, quas nostra tempestate cernimus in quibusdam præsertim Europæ prouincijs, inde oriri non est ambigendum; quemadmodum etiam Galeni tempore contigisse legimus *apud ipsum Gal.*

aphor.

aphor. 6. com. 28. qui cum esset medicus præclarissimus immo medicorum princeps sic ait. [Aetate Hyppocratis pauci podagra laborabant propter vitæ moderantiam, nostris verò temporibus vsq; adeò auctis edulijs vt nihil eis addi posse videatur, infinita est podagrarum multitudo cum nonnulli sint, qui nec exerceantur quidem sed cruditatibus incumbant, & ante cibum bibunt vina potentia, ac venereis vtantur imm oderate]. [legimus quosdam, *ait S. Hieronymus lib. 2. in Iouinian. cap.* 8. morbo articulari, & podagræ humoribus laborantes proscriptione bonorum ad simplicem mensam & pauperes cibos redactos conualuisse; caruerunt enim sollicitudine dispensandæ domus & epularum largitate, quæ & corpus frangunt & animum.] Ideò bene Horatius.

Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.

Quapropter omnis occasio amittendæ sobrietatis vitanda est; vt sunt conuiuia, & alia, in quibus solum comessationibus & compotationibus inseruitur. Et hæc de damnis Corporis.

Superest modò aliquid dicendum etiam de damnis bonorũ temporalium. Quis posset satis exprimere quanta fiat pecuniarum, rerumq; temporalium iactura ab illis, qui sordido gulæ vitio sunt addicti? quàm inutiles & damnosas impensas afferat ingluuies, crapula, & ebrietas? Heu. Voluptas palati, & gutturis vix duorum habet latitudinem digitorũ, & huic tàm modicæ parti tam breui delectationi aer, terra, mare vix sufficiunt. Interim ad fouendam, & enutriendam palati voluptatem; dicam melius, ad inseruiendum gulæ non sufficiunt opes propriæ, diripiuntur alienæ, pauperes expoliantur, iniustitiæ variæ committuntur; & fames esurientium transit in delicias abundantium. **Pauperum enim spolijs & laboribus sæpius opiparæ cernuntur mensæ Diuitum Magnatum, Iudicum, officiatorum, Aduocatorum, & etiam sæpè Ecclesiasticorum: dum ipsi pauperes negliguntur, & vix frustum panis illis conceditur potius ad arcendam mortẽ, quàm ad depellendam famem. Vnum in Euangelio legimus Lazarum mendicum cupiẽtem saturari de micis quæ cadebant de mensa exundanti cibo-**

rum

rum illius diuitis Epulonis, & neminem illi dantem: at innumeros quotidie cernimus inter mortales lazaros mendicos, & diuites epulones; Sed veniet dies, in qua pauperes abundabunt, & diuites esurient & sitient, interim Ecclesiastici, ad quos noster hic sermo dirigitur, parcant gulæ, & disciplinam circa gustum sectantes quòd illis superest dent elemosinam.

Tertium Motiuum sit ex bonis, quæ ex temperantia, atq; ex vsu moderato ciborum, potusq; exoriuntur. Quemadmodum .n. Intemperantia in cibis & potibus multorum est causa malorum vt vidimus; ita è contra Temperantia multorũ est causa bonorum: contrariorum enim est eadem disciplina; & contrariæ causæ contrarios producũt effectus. Est autem. *Temperantia* (vt eam describit S. Ambrosius lib. 1. de S. Iacob. cap. 2.) *virtus quæ passionum restinguit ardorem, quæ primum sobrietate atq moderatione animum temperat, mentem informat, deinde etiam deliciarum abstinentia restinguit habenas corporalis seruitatis.* Vel (vt breuius ait S. Augustinus lib. 1. de lib. arb. cap. 13. *Temperantia est animæ affectio coercens & cohibens appetitum ab ijs rebus quæ turpiter appetuntur.* Itaq; gulæ, crapulæ, ebrietati, commessationibus, cõpotationibus, & alijs carnis cupiditatibus directè contrariatur Temperantia. Audiamus *S. Prosperum luculenter disserentem de hac re lib. 2. de contemplatiua vita cap. 19. sic igitur ait.* [Temperantia temperantem facit, abstinentem, parcum, sobrium, moderatum, pudicum, serium, verecundum: hæc virtus si in animo habitat libidines frænat, affectus temperat, desideria sancta multiplicat, vitiosa castigat, omnia intrà nos confusa ordinat, ordinata corroborat, cogitationes sanctas inserit, prauas remouet, ignẽ libidinosæ voluptatis extinguit, animi teporem desiderio futuræ remunerationis accendit, mentem placida tranquillitate componit, & totam semper ab omni vitiorum tempestate defendit.] *Et magnus ille Mediolanensis Ecclesiæ præsul Ambrosius Epist. 82. ad Vercell. Eccles. hac eadem de re sit Romana eloquentia disserit.*] Quid pulchrius abstinentia, quæ facit etiam iuuentutis annos senescere, vt fiat morum senectus? Namq; vt

redun-

redundantia ciborum ac temulentia etiam maturior ætas calescit, ita mitigatur iuuentutis ferocitas epularum parsimonia, irriguoq; fontis. Quid quod naturæ conueniens temperantia est atq; illi diuinæ legi, quæ in ipso rerum ortu omnes fontes potui, fructus arborum esui dedit? Vinum post diluuium iustus ad tentationem sui reperit. Vtamur ergo temperantię naturali cibo; vti namq; possumus. Sed quia non omnes fortes sumus; ideò ait Apostolus. Modico vino vtere propter stomachi infirmitatem. Non ergo propter voluptates bibendum est sed propter infirmitatam; pro remedio igitur parcius, non pro delicijs redundantius.] *Hæc Ambrosius*.

Sed quæso distinctius proferamus bona quæ Temperantia tribuit suis cultoribus, redigendo illa ad tria capita, quemadmodum suprà egimus de malis, nempe ad bona circa Animam, circa Corpus, & circa Temporalia.

Circa Animam igitur primò Temperantia (sub qua contineatur Abstinentia & Sobrietas) valet ad concupiscentiam Carnis refrænandam, & ad subigendam illam spiritui. Nam secundum ordinem rationis est quod natura carnis subijciatur spiritui, & quòd natura spiritus dominetur carni eam dirigendo, & ad virtutis exercitium edomando. Et hoc expressit Deus qui est auctor naturæ, quando ad Cain Gen. 4. dixit: *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*, quibus verbis satis apertè declaratur dominium rationis, & subiectio appetitus sensitiui. Nam secundùm quod dicit *Tullius de Officij*, Duplex est uis Animæ vna ratio, altera est appetitus, rationis est dominari & dirigere: appetitus autem obtemperare & dirigi.] Et hanc duplicem animi vim ponit Philosophus comparando eam cum duabus sphæris cælestibus, quarum vna, nempe inferior, mouetur & regulatur à superiori, (quamuis aliquē motum proprium habeat propter quem tamen ab ordine superioris non deuiat): altera verò nempe superior regulat & non regulatur ab alia sphæra sed ab intelligentia. Sic etiam in anima duplex est virtus, inferior quæ est appetitus; & superior quę est mens seu ratio, quę appetitum gubernat; & eius motu

seu

ſeu officio vtitur tantum quantum indicat expedire ad vitæ corporalis gubernationem. Hoc autem præſtat ratio per virtutem Temperantiæ, quæ facit ne quid nimis corpori detur. Vnde *Macrobius de ſomno Scipionis ait.* Temperantia eſt in nullo moderationis legem excedere ſub iugo rationis cupiditatem domare.

Secundò valet ad eleuationem mentis in ſpiritualia. Quando enim corpus per crapulam non grauatur; mens liberius ad ſpiritualia contemplanda leuatur. Vnde Sancti Patres quando cupiebant à Deo circa aliqua ſpiritualia lumen habere, ieiunijs, abſtinentijs, & orationibus frequentius & feruentius inſtabant. Exemplum in promptu de Propheta Daniele, qui vt habetur Dan. 9. poſuit faciem ſuam ad Dominum Deum ſuum rogare & deprecari in ieiunijs, ſacco & cinere; & tunc Gabriele Dei nuncio ad ipſum deſcendente ad mirandas de Chriſti incarnatione, paſſione, de mundi principatibus, deq; multis alijs rebus reuelationes accepit.

Tertiò valet ad ſatisfaciendum pro peccatis. Hinc Deus per Ioelem Prophetam cap. 2. clamat. *Conuertimini ad me in toto corde veſtro in ieiunio, & fletu & planctu* &c. Et *Auguſtinus in ſermone de ieiunio ſic ait.* [Ieiunium purgat mentem, ſubleuat ſpiritum, carnem ſpiritui ſubijcit, cor facit contritum & humiliatum, concupiſcentiæ nebulas diſpergit, libidinum ardores extinguit, caſtitatis verò lumen accendit.] Exemplum ſit de Niniuitis, qui ad prædicationem Ionæ territi, & de peccatis eorum pænitentiam agentes per virtutem humilitatis & ieiunij à Domino veniam conſequi meruerunt.

Quartò valet ad mentis ſanctificationem. Quare Deus per Ioelem Prophetam vt ſupra. *Conuertimini ad me in toto corde veſtro in ieiunio & fletu & planctu & ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra, & conuertimini ad Dominum Deum veſtrum, quia benignus & miſericors eſt, & patiens & multæ miſericordiæ & præſtabilis ſuper malitia. Quis ſit ſi conuertatur & ignoſcat Deus, & relinquat poſt ſe benedictionem. Canite tuba in*

Syon sanctificate ieiunium, vocate catum, congregate populum, sanctificate Ecclesiam &c.

Circa Corpus Primò causat delectationem. Cibus enim moderatè sumptus delectat gustum; quia delectatio causatur ex proportione conuenientis cum conuenienti. Quando cibus moderatè sumitur tàm in quantitate quàm in qualitate tunc conueniens conuenienti coniungitur. Nam sensus gustus cui cibus coniungitur conuenientiam habet ad ipsum in modo & mensura, & tunc sequitur delectatio. Vnde maiorem delectationem sentit temperatus quando capit cibum quàm gulosus. Iucundiores post famem epulæ. Hinc in Ecclesiastico dicitur. Somnus sanitatis in homine parco dormit vsq; mane; & anima ipsius cum ipso delectabitur. Et benè cecinit quidā dicens.

Vis ne coronari? vis delicijs saturari?
Ista tibi presto. dictum breue, sobrius esto.

Secundò causat sanitatis conseruationem. Cum enim stomachus fuerit potens super cibum fiunt optimæ concoctiones, & singulis membris proportionátæ distributiones; Vnde causatur sanitas; & exinde vita diuturnior. Hinc Eccles. 13. habetur. *Propter crapulam multi perierunt; qui autem abstinens est adijciet vitam.* Et Seneca. *Voluptatibus maior pars corporum perijt. Et S. Ioannes Chrisostomus hom. 29 in Epist. ad Hebr.* [Nihil iucundum est sicut cibus benè digestus, aut benè decoctus; nihil sic salutem, nihil sic sensuum acumen operatur; nihil sic ægritudinem fugat sicut moderata refectio: sufficientiam quippe cum nutrimento, & sospitatem simul etiam procreat & voluptatem: abundantia verò morbum facit, & molestias ingerit, & ægritudines generat. Quod enim facit fames, hoc etiam plenitudo facit ciborum; multo autem magis peiora. Fames quippe in paucis diebus aufert hominem, & liberat ex hac vita pænali; excessus verò ciborum consumit, & putrefacit corpus humanum, & macerat ægritudine diuturna, & tunc etiam morte crudeli consumit. Obsecro igitur ne nostrum corpus vitiosū & inutile faciamus, neque vitia vi inferamus.] *Hac Chrysostomus.* Vnde circa sumptionem cibi & potus hæc regu-

la

la est tenenda, & memoriæ tradenda:

Non quantum possis; sed quantum prosit.

Tertiò causat membrorum robur firmitatem & honestatem. Vitium gulæ, crapula, & ebrietas plerosq; hominis actus inhonestos & indecoros reddunt in corporis membris; puta tremorem manuum; effusionem vultus; oculorum toruitatem; transglutiendi festinatam auiditatem; & multa alia indecentia, ex quibus sequitur inhonestas in conuersatione ciuili: prędicta autem omnia remouet temperantia, hominemq; ordinatum & compositum reddit ad alios.

Circa bona quoq; temporalia Temperantia plurimùm vtilitatis affert; quia conseruat pecunias & substantiam rei familiaris; quæ pecunia in longè nobiliores & digniores vsus potest expendi; & presertim in subleuandis pauperibus, orphanis, pupillis, ac locis pijs. E contra qui sunt dediti luxui, crapulæ, ebrietati, omnes pecunias profundunt in his vitijs belluinis. Admirabilia sunt, quæ historici scripta reliquerunt de Lucullo, Caio Caligula, Nerone, Vitellio, Heliogabalo, Carino, alijsq; gulæ portentis; quàm ingentem pecuniarum summam effuderint in parandis conuiuijs. Sed non defuerunt etiam ex Ethnicis qui solo rationis ductu temperati fuerunt & parci. Nam vt aliquos proferam. Porus Rex Indorum aqua & pane viuebat contentus. Masinissa Rex Numidarum iam nonagenarius semel tantum interdiu vescebatur sine pulmento. Mithridates Rex Ponti iam senex cibum sumpturus non accumbebat sed stans vescebatur. Lacedemonij nullam disciplinam abstinentia potiorem habebant. pinguis & obæsi ventris adolescentes inedia macerebant. Aegiptia iuuentus ex edicto Amasis non prius capiebat cibum, quàm centum octoginta stadia percurrisset. Augustus fuit breuissimi cibi, ad medias interdum epulas satiatis iá conuiuis accedebat, primusq; surgebat è mensa. Socrates tanta fuit temperantia vt omnia ferè vitæ suæ tempora valetudine inoffensa vixerit. Aegiptiorum Sacerdotes parcissimi erant in victu ad stuporem vsq; carnibus & vino abstinebant. Pane etiam raro vescebantur ne

onerarent ſtomachum. oleum tantùm in oleribus nouerãt, oua quoq; & lac vitabant: triduiq; inediam ſuſtinebant. Mitto cęteros ne nimis in longum protraham hunc ſermonem. Et ſi virtute temperantiæ floruere multi ex Ethnicis, certè plures qui fidei lumine polluere, vt videbimus infrà §.4. de exemplis varijs virorum qui temperantiæ & præſertim abſtinentiæ laude claruerunt.

§.2. *De Rebus, circa quas debeat exerceri diſciplina circa guſtum.*

IAm ſatis patet ex dictis circa quas res debeat exerceri diſciplina circa guſtum; nempe circa cibum, & potum; circa ſapores; & generaliter circa omnia delectabilia ſenſui guſtus. Vnum hic addo, nempe quòd virtus quæ ponit regulam & moderationem in capiendo cibo vocatur propriè *Abſtinentia*: & virtus quæ ponit modum & menſuram in potu vocatur propriè *Sobrietas*: vtraq; tamen continetur ſub *Temperantia* ſicut ſpecies ſub genere.

§.3. *De modo exercendi Diſciplinam circa guſtum.*

DIſciplinam ſeruandam circa cibum & potum præſertim cum alijs ſumendum tradit egregiè *Sanctus Bonauentura in ſpeculo diſciplinæ partic. 4. cap. 6. Sic igitur inſtruens ſuos Religioſos ait.* [Præcipuè decet vt cum extraneis comedentes honeſtè ſe habeant, vt nec in cibo nec in modo comedendi vel mora, aut in alijs quæ diſconueniunt ſuper menſam, vt eſt verborum multiplicatio, aut exterior corporis vel habitus diſpoſitio, inhoneſta poſſint de irregularitate notari. Circa cibum attendant quòd propter quantitatem vel qualitatem de gulæ vitio iudicari non poſſint.] Sed ut ea, quæ tum S. Bonauentura, tùm alij ſparſim de hac diſciplina tradunt ad aliquem ordinem more ſolito reducamus, quatuor conſiderare poſſumus in il-

in illa, nempe Quantitatem & Qualitatem cibi & potus. Modum & Tempus comedendi.

Quoad quantitatem igitur recolendum est id quod suprà diximus tantum cibi & potus esse sumendum quantum sufficit ad tollendam famem, non ad repletionem. *Non quantum possis sed quantum prosit.* Vt vires reficiantur non opprimantur. Vnde *dicit Bonauentura*. [Debent excessum in cibis & maximè potus quantitatem vitare vt crapula vel satietas nimia non subrepat. Nihil sic cõtrarium omni Christiano quomodo crapula dicit S. Benedictus. Et sapiens in Ecclesiastico. Vtere quasi homo frugis his, quæ tibi apponuntur nedum multum mãducas, odio habearis. Vnde inter seculares non expedit, inquit Bonauentura, appositam semper portionem totam comedere, aut penitus euacuare scutellam, ne fortè id magis homines voracitati, quàm necessitati attribuant. Inter cætera, est habenda semper temperantia circa potum. Turpissimum est si de nimia potatione notentur. Ad notam huius fugiendam cauere debẽt ne post refectionem (etiam si vinum sæpius offeratur) frequẽter bibant, aut postquam in communi potatum est, seorsum sine vrgente necessitate potum in priuato requirant; nec omnino quòd potus vbi dormitur remaneat patiantur. Post cænam non sunt ad verba & ad pocula vigiliæ protrahendæ. Vigilare ad ignem sitim prouocat, & bibitare compellit, grauat Corpus, exhaurit spiritum, tempus in verbis penè imperceptibili subductione consumit, tempestiuè ad orationem surgere, officij debitum deuotè vt expedit soluere non permittit. Et qui serò sobrietatis non obseruat sententiam, manè frequenter suspenditur à diuinis. Studeant ergo in cibo & potu mensuram seruare vt Ecclesiasticos decet. Sicut omnes cupiditates carnis abstinentia resecantur, ita omnes virtutes edacitatis vitio destruuntur. Immundi spiritus se ibi inijciunt, vbi amplius vident cibum & potum.]

Quoad qualitatem *sic ait idem ibid.* [Multum attendere debent ne cibos appetant delicatos. Qui vinum & pinguia diligit, nunquam in virtutum possessione ditabitur. Horum quidẽ per-

permittitur vsus, abusus & concupiscentia prohibetur. Semper itaq; placeat eis lauioribus parcere cibis. De grossioribus cibis, & facili uel ualdè temperato potu, necessitati utcumq; satis fieri potest, quanquam & ipsa necessitas inter homines sit arctanda. Qui de religione censetur modestiam debet religionis habere, ut sit temperantia speculum aliorum. Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus (inquit Apostolus) fælix abstinentiâ, quæ palato imperat delicato. Decet uas cælesti gratiæ mancipatum à seculi illecebris abstinere. Non erubescant aquam pro vino petere si habuerint temperando; quin potius erubescere debent si vinum biberint nimis forte. Verùm quàm turpe sit pauperibus hominibus cibaria quærere lautiora & appositis non esse contentos; de modo præparandi cibum disponere, aut quo modo præparetur requirere; potum vel cibum aliquem in speciali habere, vt de eisdē amplius apponatur quis sanę mentis ignorat?] Et *Diuus Hyeronimus relat. cap. ne tales de cons. dist.* 5. [Ne tales accipiamus cibos, quos aut difficulter digerere, aut comestos magnopere partos, & perditos labores debeamus. Olerum & pomorum ac leguminum & facilior apparatus est, & arte peritiaq; coquorum non indiget; sine cura sustentat humanum genus.] *Et infrà.* [Nemo enim vno aut duobus cibis, hisq; vilibus vsq; ad inflammationem ventris oneratur, quæ diuersitate carnium & saporis delectatione concipitur.

Quoad modum. *Sic ait D. Bonauentura.* Modus quoq; honestus est in comedendo habendus, vt non ardenter, aut cum nimia festinatione comedatur, vel aliàs indecenter. Moram in mensa facere, religiosum non est. Caueant ne alijs à comestione cessantibus ipsi comedendo vel loquendo mensam detineant, cum non sit hominum sed magis pecudum super mensam ruminando diutius immorari. Possunt tamen qui necesse habent cautè cum modestia sibi in principio mensæ alijs communiter prouidere. Ad hoc vbiq; frenanda est lingua præceps maximè in conuiuio, ne scilicet ad loquendum superfluè vel indiscretè laxetur. oportet etiam disciplinam in corporis &

habi-

habitus dispositione seruare, vt comedentes se non appodient super mensam vel accubitando, vel alio quocumq; modo inordinato se gerant.

Quoad Tẽpus. Debẽt seruari tẽpora deputata ad comestionẽ nẽpe hora prandij, & hora cænæ; præter has horas frequentius interdiu comedere aut bibere sapit nescio quid puerile ne dicam belluinum; dummodo necessitas aliud non suadeat. Præuenire etiam horam communis comestionis, seclusa necessitatis aut valetudinis ratione, ad gulæ vitium pertinet; sicut etiam frequentare tabernas sine causa necessaria. Vnde per sacros canones prohibitum est ne Clerici edendi vel bibẽdi causa tabernas ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi. *Sic habetur dist. 44. cap. nulli clerico &c.* Anticipare etiã notabiliter horam comestionis diebus ieiuniorum non licet. Vnde D. Augustinus in regula dicit quando autem aliquis nõ potest ieiunare nõ tamen ante horam prandij aliquod alimentorum sumat nisi cum ægrotat. Accubare etiam ad mensam ex nimia festinantia et auiditate, non adhibita aut non expectata benedictione maioris: vel etiam surgere è mensa nec gratiarũ habere actionem, est quid brutale non hominis ratione præditi & Deum colentis. Vnde habetur in sacris canonibus *dist. 44. cap. non liceat.* Nec oporteat Clericos ante sacram horam diei tertiam inire conuiuia, nec aliquando nisi hymno dicto comedere panem, & post cibos gratias auctori Deo referre.

§. 4. *De exemplis varijs eorum qui in disciplina circa Gustum floruere.*

INnumera possent huc adduci exempla eorum qui in mortificando gustu præcelluere; quiq; cibo potuq; parco contenti fuere. Sed referamus aliqua ne materiæ ordo præpositus videatur neglectus.

Igitur primò se offert beatus ille Venetiarum protopatriarca Laurẽtius Instinianus, q. etsi in adolescentia sua vt erat prænobili prosapia natus, multis assueuisset mundi delicijs, tamen

ad

ad Venetum Patriarcatum euectus vulgari tantum mensa vsus est, edulijsq; palato suo insipidis. Vnde si errore aliquo quandoq; esculenta poculentaq; ad gustum acerbiora apposita essent, vt pro vino acetum, neminem arguebat sed silentio dissimulabat.

Sanctus Thomas Cantuariensis Archiepiscopus, & Martyr Christi gloriosus, antequam diuinitus esset illustratus, multis quidem lautitijs à parentibus genere nobilibus & copiosis fuit enutritus; sed postquam persecutione regia pro iustitiæ defensione exagitari cæpit, admirandam vitæ mutationem inijt. Nã (teste Eduardo præcipuo eius vitę scriptore,) qui ante mensa opiparè vtebatur instructa, magnosq; dominos, atq; adeò ipsum quoq; Anglorum Regem habebat conuiuas, leguminibus, alijsq; vilissimis cibis pauperibus ad mensam adhibitis, vesci voluit. Sic temperantia ab eo ad gustum mortificandum fuit in delicijs habitæ.

Idem quoq; egregiè præstitit S. Godefredus Ambianensis Episcopus; nam etsi pro immensa sua charitate, qua flagrabat, nihil deesse suis subditis quoad victum necessarium, sinebat; tamen ipse solo pane, paucisq; herbis & fructibus vitam tolerabat: cumq; cocus nescio quid herbis miscuisset, eum coercitum coarguit dicens. An ignoras tu miseram carnem subigi non posse nisi tormento ieiunij? cur mihi apposuisti cibum tãta arte paratum? Vide, ne deinceps in hoc genere delinquas, & me ad iracundiam prouoces.

Sanctus Vuolstanus Episcopus die quodam post Sacrum Missæ peractum delitescens in loco abdito odorem carnis, quę pro ipso assabatur, perceperat: & quoniam cogitatio inde menti oborta, ad eam comedendam appetitum illiciens non sinebat eum orationi attentius vacare, proposuit nihil neq; tunc neq; in posterum vitæ tempus de carne delibare sicut & fecit. Quo medio mirificè adiutus est non solum ad Sanctissimam vitam ducendam; sed etiam felicissimam mortem obeundam.

Sanctus Rupertus Abbas cùm totam quadragesimam solo pane

pane & aqua contentus transegisset sub Pascæ festum deside- rio teneri cæpit vescendi pane auenaceo, sed cum eo ad mensam allato vir Dei animaduerteret se pauxillum concupiscentiæ indulsisse, vehementer expauit, & rigidus in seipsum vindex gustare inde noluit, sed pauperibus ad monasterij fores dari iussit. Erat ibi tum iuuenis quidam splendida facie, qui tum vnà cum scutella accepit, & mox euanuit; ita tamen vt loquentibus illis de scutella ablata, ea subitò in mensam deciderit. Erat enim Angelus Domini è cælo missus, qui eleemosinam viri Dei acceperat. *Prædicta exempla habet Dauroutius flor. exempl. cap.6. tit.46.*

Sed cur ego hunc inanem laborem suscipio percurrendi Sãctos,& Sanctas,qui temperantiæ virtute ac præsertim abstinẽtia & sobrietate floruerunt. Nonne satis est dicere omnes sanctos tùm veteris tùm noui testamenti tales fuisse. In veteri testamento Elias, Eliseus, Daniel, Ananias, Misael, Azarias, & Nazaræi omnes, qui tanto sunt odio ebrietatem insectati; vt non solùm abstinerent à vino,& sicera,& omne quod inebriare potest; sed nec vuas quidem passas auderent attingere, vt omne gulæ illecebram, omnemq; occasionem prurientis concupiscentiæ ad vinum procul arcerent. In nouo deinde testamento hanc viam ingressi sunt primò Christus Dominus & Magister, quem secuti sunt Apostoli eius omnes, & discipuli qui segetum spicas euellẽtes & manibus confricantes illa simplici esca inediam comprimebant: Cumq; numero duodecim essent,nil aliud ad corporis sustentationem in deserto habuere nisi quinq; panes ordeaceos duosq; pisces, quibus tamen Dominus & auctor naturæ quinq; millia hominum famem expleuit. Atq; iteratò quatuor millia virorum satiauit solis septem panibus & paucis pisciculis. Post Apostolos Domini & discipulos, admirabili vitæ parsimonia præluxere prisci illi Sancti in Eremo Patres vt testatur Diuus Hieronymus,qui in illa Eremi parte, quæ iuxtà Syriam Saracenis iungitur, refert se vidisse Monachos, ex quibus vnus tringinta annos clausus hordeaceo pane & lutulẽta aqua vixit: alter in cisterna veteri quinq;

caricis, ideſt ſiccis ficubus ſingulis diebus veſcebatur. Et idem Diuus Hieronymus in vita S. Pauli primi Anachoretæ aſſerit illum in orationibus & ſolitudine vitam duxiſſe ſola frigida & arbore palmæ contentus, quæ ei victum & amictum ad vitæ ſuſtentationem ſuppeditabat. Et Palladius in Sanctorum Patrum hiſtoria refert ſe vidiſſe ſenem centum & decem annorũ, qui multa ſigna in dies faciebat, & inceſſanter medebatur infirmis. Hic in tàm grandæua ſenectute tres vncias panis, & tres oleas ſolùm ad vitæ ſuſtentationem ſumebat in veſpere; cum in iuuentute ſemel tantummodo comederet in hebdomada. Horum exemplis excitati non defuerunt omni tempore homines tùm mares tùm fæminæ; tùm in ſeculo tùm in clauſtris degentes, qui Deo deſeruientes in fame, ſiti, frigore, nuditate, laboribus, vigilijs, orationibus, meditationibus, carnis mortificatione ac ſpiritus viuificatione duces nobis ad patriam extitere. Hos debemus ſequi & imitari.

CAPVT SEXTVM.

De Diſciplina circa Tactum.

SI qua diſciplina ſeruanda eſt circa ſenſus externos maximè circa tactum ſeruanda eſt. Nullus enim de reliquis ſenſibus luxuriam æquè accendit & promouet, quia, vt docet *S. Thomas* 2.2.*q*.154. *art*.4. actus eius actui venereo cognatus & finitimus eſt, modico interuallo ſeparantur ab inuicem, eamq; ob rē nullus alter cautela indiget ampliori. Ideo ſi circa reliquos ſenſus multò magis circa hũc inueſtigare debemus. Primò motiua inducentia ad hanc diſciplinam. Secundò Res circa quas verſari debet. Tertiò Modum dictam diſciplinam exercendi. Quartò Exempla eorum qui in tali circa tactum diſciplina fuerunt inſignes.

§. 1.

§. I. *De Motiuis inducentibus ad disciplinam circa Tactum.*

SVpponio nos hic agere de tactu vitioso, libidinoso, impudico circa quem debet pręcipuè exerceri hæc disciplina. Hoc igitur supposito.

Primum Motiuum arripiendi hāc disciplinam, & coercendi hunc tactum, est; quia disponit; immo est inchoatio fortissima actus luxuriosi consumati mortaliter peccaminosi; & ipse actus per tactum perficitur, quæcunq; igitur damnant luxuriam, damnant etiam vitiosum, libidinosum & impudicum contactum. Sed in specie de ipso tactu *sic loquitur Diuus Hieronymus.* Tactus alienorum corporum, & fæminarum ardentior appetitus vicinus insaniæ est. Ob hunc sensum cupimus, irascimur, gestimus, inuidemus, æmulamur, solliciti sumus & expleta voluptate, per quamdam plenitudinem rursus accendimur, quærimusq; facere quod cum fecerimus iterum pæniteamus. *Hæc Hieronymus.* Nec mysterio vacat quod summus rerum creator & Dominus Deus non solum interdixerit primis parentibus esum arboris scientiæ boni & mali; sed etiam legem tulerit non tangendi eam. Præcepit nobis Deus (verba sunt Euæ) ne comederemus & ne tangeremus illud. Quorsum id, nisi quia probè intelligebat quanta dispositio hic contactus esset ad violandum, quod traditum ipsis fuerat, sanctum mandatum?

Secundum Motiuum. Quia seruata disciplina & continentia tactus, seruatur pudicitia, seruatur & castitas. Quanti autem facienda sit pudicitia audi *Cyprianum* de duodecim abusibus. Pudicitia, inquit, nobilium ornamentum est, exultatio humilium, nobilitas ignobilium, pulchritudo debilium, prosperitas laborantium, solamen mestorum, augmentum omnis pulchritudinis, decus religionis, defensio criminum, multiplicatio meritorum. De Castitate verò quid dicam? quàm rarus, quàm pretiosus sit thesaurus quis posset satis explicare? Audi *Bernardum in Epist. 42. sup. med.* [quid castitate

decorius? quæ mundum de immundo conceptum semine, de hoste domesticum, angelum deniq; facit de homine. Differunt quidem inter se homo pudicus & Angelus; sed felicitate non virtute; nam etsi castitas illius felicior, huius tamen fortior esse cognoscitur. Sola est castitas quæ in hoc mortalitatis & loco & tempore statum quemdam immortalis gloriæ repræsentat.] Et *Diuus Chrysostomus*. [Omnes virtutes spirituales res sunt angelicæ præcipuè tamen castitas res est angelica; per hanc enim solùm singulariter homines angelis similantur, & vincitur natura virtutibus.] Et *Diuus Hieronymus in Epistolis*. [Grandis virtutis est & solicitæ diligentiæ superare quod natas is in carne non tamen carnaliter viuere, tecum pugnare quotidie, & in carne; non tamen carnaliter viuere, tecum pugnare quotidie, & inclusum hostē Argi (vt fabulæ ferunt) cētū oculis obseruare.] *Idē* magnus est pudicitiæ labor, sed maius est præmium: temporalis custodia; sed remuneratio æterna. Et *S. Isidorus de summo bono*. Amanda est pulchritudo castitatis cuius degustata delectatio dulcior inuenitur quàm carnis. Castitas enim fructus est suauitatis, pulchritudo inuiolata Sanctorum, castitas securitas mentis, sanitas Corporis. Hęc & multa alia Sancti Patres proferunt de laudibus Castitatis. Qui autem vult castitatem custodire, debet tactus disciplinam seruare. Frustra enim vineam quis nititur custodire, qui sepem vineam defendentem conseruare non curat. Et frustra vestimenta defendit qui ignem ab illis arcere nō studet. Vnde Spiritus Sanctus in prouerbijs 6. dicit. *Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta illius non ardeant? aut ambulare super prunas vt non comburantur plantæ eius? sic qui ingreditur ad vxorem proximi sui non erit modus cum tetigerit eam*.

Tertium Motiuum est consideratio malorum penè innumerabilium quæ ex praua voluptate exoriuntur, de qua suprà egimus; & hic aliqua addemus. Non est autem maior voluptas, quàm ea quæ ex tactu improbato percipitur vtpote quę absorbet rationem, & hominem de homine reddit brutum.

Cæte-

Cæterum de dicta voluptate hæc scripsit moralis ille *Seneca Epistola* 28. [quis hostis, *inquit*, in quemquā tàm contumeliosus fuit quàm in quosdam voluptates suæ? Quidam se voluptatibus mergunt, quibus in consuetudinem adductis latere non possunt. Ob hoc miserrimum est quod eò peruenerint, vt illis, quæ superuacua fuerint facta sunt necessaria. Seruiunt itaq; voluptatibus non fruuntur; & mala sua (quod malorum est vltimum) amant. Indurandus est itaq; animus, & à blandimentis voluptatis procul abstrahendus. Si voluptati cesserimus cedendum est dolori, cedendum & labori, cedendum est paupertati.] *Hac Seneca,* quò certè rationabilius, verius, sanctius loqui non poterat: & optimè dicit. Si voluptati cesserimus cedendum est dolori & quæ sequitur; quia illa omnia sunt effectus voluptatis vt patet benè consideranti & pensanti exitus illorum qui se totos voluptatibus mancipatunt. Et *Boetius libro de Consolatione.* [Quid autem, *inquit*, de Corporis voluptatibus loquar? quarum appetentia quidem plena est satietatis, satietas verò penitentiæ, quarum motus quid habeat jucunditatis ignoro. Tristes verò esse voluptatum exitus, quisquis reminiscitur, libidinum suarum intelliget. Quæ si beatos explicare possunt; nihil causæ est quin pecudes quoq; beatæ esse dicantur. Nihil ergo dubium est quin ad beatitudinem deuia quædam sint; nec perducere quemquam eò valeant, ad quod se perducturas esse promittunt.]

§. 2. *De Rebus & Actionibus circa quas versari debet disciplina tactus.*

DIsciplina tactus versari debet circa omnia illa, per quorum contactum homo experitur in se aliquam sensus titillationem, aliquem motum carnalis concupiscentiæ, & aliquam carnis alterationem. Huiusmodi sunt primò quotquot sunt diuersi sexus personæ nempe vir & mulier. Vnde *D. Augustinus de Virginitate.* [Nihil, *ait*, sentio quod magis ex arte virtutis dejciat animum virilem, quàm blandimenta fæminea,

cor-

corporumq; ille contactus, sine quo vxor haberi non potest] Deinde psonę eiusdē sexus adinuicē vt mulier cū muliere vir cū viro, & præsertim adolescentes & iuuenes; præterea animalia, hæc etiam possunt excitare aliquem inordinatum motum, vt canes, feles & similia animalia præsertim domestica.

Quantum ad actiones seu actus debemus quàm maximam exercere disciplinam & summoperè continere nos à tactu qui perficitur per oscula, per amplexus, & per contactū manuū vel alterius Corporis membri, seu partis. Hos libidiniosos & impudicos tactus ab Apostolo vocantur nomine turpitudinis, cū ad Ephesios scribens ait cap. 5. *Omnis fornicatio, aut immūditia, aut turpitudo nec nominetur in vobis*. Vbi Glosa. Turpitudo vt in osculis, amplexibus, & huiusmodi. Vnde idē Apostolus subdit. *Omnis fornicator aut immundus &c. non habet hereditatem in regno Christi & Dei.* Non resumit autem de turpitudine, & turpiloquio, & scurrilitate; quia sub illis, scilicet sub fornicatione & immunditia, includuntur & continentur. Intantum enim oscula, amplexus, tactus & stultiloquia sunt peccata, inquantum emanant à luxuria, quæ in fornicatione, & immunditia notatur secundum *Sanctum Thomam*. 2. 2. *q*. 154. *art*. 4. Pro cuius maiori intelligentia sciendū *ex dicto Angelico Doctore*, quod aliquid potest esse peccatum dupliciter. Vno modo secundum speciem suam: & hoc modo oscula, amplexus, & tactus secundùm suam rationem non nominant peccatum: possunt enim hæc fieri absq; libidine vel propter consuetudinem patriæ; vel propter naturalem amorem & inter parentes & filiolos; & inter nutrices seu gerulas & infantes; Vel propter aliquam necessitatem; Vel ob aliquam rationabilem causam. Alio modo dicitur aliquid esse peccatum ex causa sua; sicut ille qui dat eleemosinam vt inducat aliquem ad aliquod peccatum; talis enim peccat propter intentionem corruptam, à qua procedit illa eleemosina. Et hoc modo oscula, amplexus, & tactus frequentissimè sunt peccata nempe ex causa vnde procedunt; nā pcedūt ex affectu libidinoso qui tēdit in delectationē carnalem: delectatio autem carnalis (extrà actum coniugij in-

ter coniuges) est peccaminosa; Ergo & actus qui tendunt & ordinantur ad illam: Cum enim finis est illicitus, etiam media ordinata ad talem finem sunt illicita; Et qui permittit tales contactus per oscula, & amplexus & similia sibi fieri ab eo, quem æstimat ad ista moueri amore libidinoso similiter peccat, quia agens & patiens pari pæna puniuntur iuxta diuinam legem, & Sacros Canones, *secunda. quæst. prim. capit. notum vbi Glos.* At si quis permitteret talia sibi fieri ex dilectione fraterna, seu honesta amicitia, seu quadam humanitate, seu more patriæ non peccaret; quamuis hoc faciens ex libidine moueretur, & quamuis ipse tangens peccato se obstringeret: quia tamen ista oscula, amplexus, & tactus quacunq; ex causa cohonestentur possunt facillimè transire in actus libidinosos & excitatiuos alicuius titillationis sensus; ideò multò securius non tangere, neq; permittere se tangi ex quacunq; causa excepta necessitate, & amore naturali parentum. Ex quibus colligitur quàm periculosè agant illi qui facili negotio tãgunt adolescentes, pueros, & puellas; & quàm periculosius Ecclesiastici illi qui sub specie beneuolentiæ, & fraternæ cuiusdam charitatis se tangunt siue sint mares inter se, siue fæminæ inter se; nam inter marem & fæminam contactus nullo modo cohonestari potest. Vnde Apostolus ad Corintios scribens ait. *Bonum est mulierem non tangere.* Nam vt dicit Spiritus Sanctus. Eccles. 13. *Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea.* Ad cuius propositum fertur quod cum quidam reprehenderet fratrem quendam coràm B. Iordano Magistro ordinis Prædicatorum ex eo quod quædam mulier ex deuotione tetigisset manum eius: ille autem volens se excusare diceret quod mulier bona esset & sancta. Respondit B. Iordanus. *Terra vtiq; bona est, & aqua similiter bona; & nihilominus ex vtraq; se ad inuicẽ contingente fit lutum.* Caueamus ergo prædicta omnia, quia sunt pabula luxurię, eiusq; ignem accendunt ita & taliter, vt non raró difficulter & nonisi magno lachrymarum imbre possit extingui.

§.3. De

§. 3. *De Modo exercendi dictam Disciplinam circa Tactum.*

MOdus exercendi prædictam disciplinam duplex. Alter interior. Alter exterior *ex Diuo Antonino In summa 2. p. tit. 5. cap. 5. §. 3.*

Interior est huiusmodi. Quando superuenit tibi suggestio & tentatio tangendi personam aliquam in aliqua parte corporis eius, ad quam personam tangendam impelleris carnali quadam affectione & propensione vel propter illius speciem; vel propter quodcunq; aliud naturæ donum; vel saltem propter simpathiam quamdam; aut reciprocum amorem; tunc non debes acquiescere & sequi illum impulsum. Dicit enim B. Iacobus Apostolus. *Resistite Diabolo & fuget à vobis.* Rationē reddit Diuus Chrysostomus; quia Diabolus debilis est hostis; qui non vincit nisi violentem. Vnde & Phil. 3. Eth. vocat peccatum intemperantiæ (quale est peccatum libidinis & concupiscentię) vocat, inquam, peccatum puerile. Et meritò quidem; quia sicut puer, si in sua voluntate dimittatur, crescit in propria voluntate: Vnde in Ecclesiastico dicitur. Equus indomitus euadit durus, & filius remissus euadit præceps: ità concupiscentia si ei satisfit, accipit maius robur. Et quemadmodum puer emendatur per hoc quod coercetur: Vnde in Prouerbijs. Noli subtrahere à puero disciplinam, tu virga percuties eum, & animam eius ab inferno liberabis: ita quando concupiscentia coercetur, reducitur ad debitum honestatis modum. Et hoc est quod Magister intendit in lib. 6. Miscell. cum ait quod mente in spiritualia suspensa atq; ibi fixa & manente, & concupiscibilis .i. concupiscentię carnalis impetus frangitur, & paulatim repressus extinguitur; maior enim erat cum sequeremur, non omnino nullus sed & minor cum refrænamus. Hinc Philosophus 3. Eth. ait quod quemadmodum puer debet secundùm podagogi præcepta viuere; ità concupiscibile consonare rationi. Et hic est modus interior exercendi disciplinam prædictam.

Exte-

Exterior Modus adhuc est triplex ducta similitudine ab igne, cui comparatur carnalis concupiscentia. Ad expellendũ enim, aut saltem minuendum ignis calorẽ in aliqua re triplex modus inuenitur nempe; Vel per aquæ frigidæ superfusionẽ; Vel per lignorum subtractionem; Vel per elongationem ab igne. Exemplum est manifestum in olla ebulliente apud ignem quæ si ita ebulliat vt humor in illa contentus superfluat, aliquis ex his tribus modis adhibetur, scilicet Vel frigida super infunditur, Vel ligna submouentur; Vel ipsa olla ab igne elongatur. Ita planè quando mens interius feret concupiscentiæ calore ita ut substantia & humor diuinæ gratiæ, cælestiumq; virtutum euanescat, ista tria debent adhiberi; Vel frigidam superinfundere; Vel ligna subtrahere; Vel ollam ab igne elongare.

Primus modus exterior est ad aquam recurrere, & quidem triplicem, videlicet ad aquam lachrymarum & compunctionis; ad aquam laboris & afflictionis; & ad aquam sacrarum scripturarum & diuinæ lectionis. Primò igitur recurrendum est ad aquam conpunctionis considerans infirmitatem tuam & periculum, quod tibi imminet, & deuotè poscens diuinum auxilium. *Vt sciui* (dicitur Sap.cap.8.) *quoniam aliter non possum esse continens, nisi Deus det; & hoc ipsum erat summa sapientia scire cuius donum esset, adij Dominum & deprecatus sum illum.* Nec tamen ex hoc potest se excusare incontinens, quod continere non possit nisi Deus dederit; sicut nec etiam excusatur peccator ex hoc quod perseuerat in aliquo peccato cum inde non possit recedere per penitentiam nisi Deus infundat gratiam: quia vt dicit Diuus Thomas. Deus nulli gratiam subtrahit facienti quod in se est; sed semper paratus est infundere se præparati. Sic & continentiæ donum à Deo datur cum quis & per orationes & per subtractionem occasionum illud quærit. Et de hoc potest intelligi illud Psalmi 73. *Confregisti capita draconum in aquis.* i. principia tentationum carnalium quales sunt tactus, in aquis.

Quod si aqua hæc non est satis addatur secunda aqua alicuius

cuius corporalis afflictionis,& laboris carnē affligendo vt periculum non sequatur: Sic Diuus Benedictus cum vehementer tentaretur in solitudine proiecit se nudum inter vepres & vrticas, & dolore corporis abstulit vulnus mentis. Sic B. Frāciscus tentatus concupiscentiâ cum non sufficeret flagellis se cædere ad temperandum ardorem, nudus stetit inter niues formando de illis vxorem & filios &c. Sic B. Bernardus in aquā gelidam se aliquando immisit ad comprimendum calorem huiusmodi. De quodam etiam Monaco iuuene narrat B. Hieronymus quod cum fortiter tentaretur de similibus; nec vigilijs iuuaretur ad depellendum tentationis impulsus; tandem Abbas monasterij hoc remedium adinuenit. Præcepit alijs suis Monacis vt quotidie aliquis ex ipsis diuersas molestias & cōtumelias tentato Monaco irrogarent: & vltrò apud Abbatem accusarent illum se ab ipso esse diuexatos. Quòd cum per aliquot dies factum esset post aliquod temporis spatium interrogauit eum Abbas quomodo se haberet circa illas antiquas tētationes. Cui respōdit. Pater mi. Mihi viuere nō permittitur: & quomodo luxuriari conceditur? Atq; per hunc modum afflictiuum & mortificatiuum de illa tentatione est liberatus.

Tertia aqua extinguens vel temperans ardorem concupiscentiæ est lectio & meditatio diuinarum scripturarum; de qua D. Hieronymus Epist. ad Nepot. *Ama scripturarum studia, & carnis vitia non amabis*. Et sapiens. *Vigilia honestatis* (idest studia honesti) *tabefaciet Carnes*. In diuinis enim scripturis continetur quàm detestanda sit concupiscentia cum suis actibus propter fæditatem, vilitatem, breuitatem, indignitatem: quàm nociua propter infinita propemodum mala, quæ ex illa proueniunt tùm in anima, tùm in corpore; tùm in fama, tùm in bonis: quàm deniq; conprimenda, & fugienda propter finem ad quem deducit qui est gehenna; nam concupiscentia cum conceperit parit peccatum: peccatum verò cum consumatum fuerit generat mortem.

Secundùs modus exterior est subductio, & subtractio lignorum. Si enim appositio & additio lignorum auget ignem, auget

get calorem; e contrà illorum imminutio imminuit ignem, imminuit calorem. Ista ligna sunt cibi & potus: qui non solùm ratione quantitatis, sed etiam ratione qualitatis incendūt ignem noxiæ concupiscentiæ; tantòq; vehementius quanto cibaria sunt delicatiora, magisq; nutritiua. Hinc Apostolus scribens ad Corintios, volensq; eos hortari ad Castitatem, cæterasq; virtutes præmittit ieiunium Castitati dicens. *Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in ieiunijs in Castitate*, &c. Quia reuera abstinentia ciborum plurimùm conducit ad continentiam; quemadmodum illorum abundantia est fomen libidinis. *Sine Cerere & Bacco friget Venus* iuxtà commune adagium. Et Christus Dominus apud Mattheum 17. *Hoc genus dæmoniorum.* (i. tentatiuum de libidine) *non eijcitur nisi in oratione & ieiunio.* Et propterea in ieiunijs ab Ecclesia indictis interdicitur omnis esus carnium; & in ieiunio quadragesimæ etiam esus lacticiniorum, ouorum & casei vt patet in sacris sanctionibus præsertim *cap. deniq; dist.* 4. & ratio est, quia huiusmodi cibaria sunt magis nutritiua & per consequens incentiua libidinis, contra quam sunt instituta ieiunia. Quòd autem vinum sit excitatiuum carnalis concupiscentiæ experientia ipsa ostendit plusquam satis; & Spiritus Sanctus in Prouerbijs 29. testatur dicē. *Luxuriosa res est vinū* Vnde Apostolus omnes admonet dicens. *Nolite inebriari vino in quo est luxuria.* Quam doctrinam bene tenens Hieronymus, illi se subscribit dicens. *Venter mero æstuans facilè despumat in libidines.* Hinc in Prouerbijs 29. *Qui delicatè pauerit seruum suum in fine sentiet eum contumacem.* Seruus autem est Corpus. Qui ergo vina pretiosa, & lautiores epulas exquirunt; & corpus suum delicatè in omnibus nutriunt, ne mirentur si incentiua luxuriæ patiantur. Sed non excusationem habent; quia non remouent occasionem sui incendij; sicut qui videret domum suam ardere; & nihilominus materiam conbustibilem apponeret; certè si is diceret sibi displicere incendium non haberet credentem quia sibi est in causa: ita in re proposita.

Tertius modus exterior est elongatio ab illis Personis, & lo-

cis, & Rebus, & Actionibus, quæ dant, vel dare solent aut possunt motiuum tentationis. Ideò Apostolus 1. ad Corintios 6. *fugite fornicationem*. Vbi ait *Ambrosius*. [Cum alijs vitijs potest expectari conflictus, hanc fugite ne approximetis, quia non potest aliter melius vinci.] Ratio huius esse potest; quia huiusmodi delectationes in particulari consideratæ nimis excitant & incitant concupiscentiam ad se; materiæ autem aliorum vitiorum consideratæ parum vel nihil mouent, præcipuè illos, qui non sunt addicti illis vitijs; nam exempli gratia qui nō est addictus vitio auaritiæ cogitando de vsuris, de simonia, de furto, de fraude à se vel ab alijs commissa non mouetur nec inclinatur ad obiecta cogitata: sed castus, pudicus, & honestus recogitando turpia à se vel ab alijs perpetrata (etiam si bona intentione recogitet) sentit aliquam carnis titillationem; & aliquando etiam fortiter tentatur. Et ideò nō debet quis absq; magna necessitate talibus mentem occupare; & si quando necessitas adest puta per lectionem, studium, concionem, auditionem confessionum & similium; tunc procedendum cum magna rationis vigilantia ne caro, quæ videbatur mortua, his rebus reuiuiscat. Ideò optimè Apostolus. *Fugite fornicationē*. Cum ergo tētatur quis erga aliquā personā melius certè remediū adinuenire nō potest quā elōgare se à cōuictu & conuersatione illius quantum honestè & sine aliorum nota fieri potest. Vnde & illa mala fæmina quæ oculos iniecerat in Ioseph victa concupiscentia eius, cum à casu aliquando solus Ioseph sine arbitris .i. alijs domesticis intrasset in aliquam partem domus vt operis quippiam faceret, ausa fuit illa tenere eum per clamidem vt secum rem haberet: At ille opitulante sibi gratia diuina cernens periculum non immoratus est verbis resistens, sed illico è manibus illius se præripiens, & fugiens dimissa clamide foras exiuit. Hinc benè *Isidorus relatus cap. valet dist.* 81. [Congruum est inde corporaliter euelli vbi quis illecebris deseruiuit. Nam locus, vbi aliquis prauè vixit, memoriæ repræsentat quicquid ibi vel cogitauit, vel dixit, vel gessit.] Nemo debet viribus suis fidere. Homo in sacris literis vocatur fænum,

palea,

palea, stuppa. *Homo sicut fænum dies eius* Psal. 103. *Stuppa collecta synagoga peccantium, & consumatio illorum flamma ignis.* Eccl. 21. Sed quæ securitas esse potest stuppæ vel paleæ iuxtà ignem? Exemplum notabile in Dialogis Sancti Gregorij legitur, Dial. 4. cap. 11. De illo Presbytero Sãcto vxorato; qui vxorem, quam ante suam promotionem susceperat, à se remotam habebat. Hic igitur cum esset iam senex in operibus pietatis & in sanctitate iam veteranus, constitutus in extremis adeò vt nec halitus videretur esse amplius in illo, clara voce dixit vxori, quæ accesserat vt videret an expirasset necne, & os suum ori illius admouerat vel sic aliquem halitum sentiret de eo exire; dixit, inquam, Adhuc igniculus est (scilicet in corpore) tolle paleam. Quod illa intelligens se inde remouit. Quo peracto haud multò post clamare cæpit. Benè venerint Domini mei, vt quid ad misellum hunc seruulum venistis (loquebatur de SS. Apostolis Petro, & Paulo) Ecce venio, Ecce venio: & sic cum eis in cælum conscendit. Quapropter omnes Sãcti Patres singulare præsidium contrà cõcupiscentiæ carnalis tentationes communiter asserunt fugam occasionis Hinc illa pulcherrima Carmina Alani de planctu metro 3.

Si vitare velis venerem, loca tempora vita;
Nam locus & tempus pabula præbet ei.
Si tu persequeris sequitur; fugiendo fugatur;
Si cedis cedit; si fugis illa fugit.

§. 4. *De Varijs exemplis quibus ostenditur quanti facienda sit disciplina Tactus.*

ET primò se offert strenuissimus ille Heros Godefridus Bullonius qui Hierusalem ciuitatem è manibus Saracenorũ liberauit. Hic interrogatus aliquando vnde ei tantum robur in lacertis, & manibus vt hostes etiam armatos posset gladio à vertice ventrem vsq; dissecare, dextram protulit & dixit. Huc vsq; manus ista ab omni libidinoso cõtactu sese cõtinuit. Rectè sanè; quia si digni sunt in quos prodigiosè nonnunquam ani-

animaduertat Deus qui lingua vel alijs membris suis abutuntur, vt Nicanor cuius dextra exaruit quam superbè extenderat. Et Ieroboam eadem mulctatus pæna propter minas manu intentatas Prophetæ Domini. Quid mirum castas interdum manus prodigiosè roborari?

Narrat B. Gregorius Turonensis Episcopus Sanctum Sacerdotem Nicetium, qui post fuit Lugdunensis Episcopus, tantæ puritatis cultorem extitisse, vt non modò alijs iugiter prædicaret, & à polluto tactu, & à verbis obscænis esse desistendum; sed & ipsemet formidaret etiam infantium membra nudis manibus contingere: & si quando ratione officij tangere deberet, non nisi veste interiecta attingebat. Sciebat nimirum à quouis carnis tactu aliquantam capi voluptatem licet non admodum illicitam, vt tantò longius abesset à tactu culpabili.

Cum quidam familiaris B. Mariæ d'Oegnies amicus ex nimio spiritualis affectionis excessu manum eius aliquando stringeret, licet casto animo nihil turpe cogitaret, sensit tamen ex illa nimia vicinitate primos motus insurgere. Cumq; illa prorsus hoc ignoraret audiuit vocem ab excelso scilicet. Noli me tangere, nec tamen illa intellexit quid significaret. Deus enim mitis & nostris infirmitatibus compatiens noluit illum coràm sancta muliere verecundia confundere: volebat tamen tanquam zelotes amicæ suæ castitatem custodire, & illam propter innumera pericula castigare. Vnde cum illa diceret ei. Audiui nūc quamdam vocem sed quid significet prorsus ignoro. Noli me tangere. Ille quid hoc esset intelligens, & sibi de cætero diligentius cauens, & Domino qui eius infirmitatem detegere noluit, gratias agens recessit.

Gebhardus Abbas ex Canonico Monacus Hissaugiensis factus cum sanus & incolumis aliquamdiu inter fratres laudabiliter conuersatus fuisset, vt patientia eius coram omnibus probaretur in grauissimum languorem incidit itaut membris omnibus penè resolutis manum ad os non valeret porrigere, nec de vno latere in aliud sine aliorum adiutorio se mouere,

Hac

Hac infirmitate plus integro anno miserabiliter sed cum multa patientia ægrotauit quousq; misericos Deus vires ei restituit manducandi, sedendi, legendi, & in scamniolis super terram instar paruulorum reptandi: præter enim linguam hactenus nullum membrorum suorum mouere potuit. Quadam verò die vir Domini Vuilelmus Abbas cellam ægrotantis ingreditur, & vt vsum vel dexteræ manus à Domino precibus deuotis peteret Gebhatdum iacentem exhortatur. Renuit ille cum summa detestatione, confirmans se corporis salutem omnino paruipendere, vt benè decocta scorea purgatus posset ad Deũ peruenire. Pius autem pater misericordia motus dexteram illius apprehendens benedixit, orat, deosculaturq; eum, & pristinæ sanitati cernentibus cunctis subitò restituit. Post paucos verò dies vxor fratris ipsius Gebhardi ad eum gratia visitationis cum familia multa aduenit, ad quam in sella portatus gestatoria cùm inter loquendum brachij sui miraculosam sanitatem proferret in medium, illa dexteram ipsam sanatam muliebri affectu quasi sanctificatum quippiam deosculatur. Et ecce brachium ipsum miraculosè sanatum mox ad tactum fæminæ quamuis deuotæ, miraculosius ad pristinam rigiditatem reuertitur. At ille dissimulato quod acciderat, germani salutata vxore, ad cellam suam reportari se fecit: Vuilehlmus autem Sanctissimus pater discens in Spititu Sancto quod accidit mox ad cellam ægotantis venit dicens: Hæc est pæna temeritatis tuæ frater, qui manum Deo consecratam, ipsiusq; miseratione sanatam, fæminæ gloria tactus inani dedisti osculandam. Admonitus deinceps ne simile feceris esto: iterumq; apprehendens ipsum brachium sancta sua beneditione sanauit, quem totum non multò post orationibus suis ad pristini status valetudinẽ reduxit. Veruntamen ex ea infirmitate quoad vixit semper vno pede claudicauit quatenus memor eorum quæ sustinuerat amplius non peccaret; nam cum esset vir tàm generis nobilitate clarus, quâm ingenij acrimonia sublimis, animiq; constantia, sapientia, scientia, & eloquentiæ singulari prærogatiua insignis, & magnæ quoq; iu seculo reputationis, pia Domini casti-

ga-

ſtigatione flagellatus eſt, ne fortè omnibus ſuccedentibus proſperè mens in elationis orcum laberetur.

Quid viro coniugali propter inhoneſtos contactus in Cameracenſi Ciuitate ſub venerabili Rogero eiuſdem loci Epiſcopo acciderit accipe. Virũ quemdam fuiſſe percepimus, qui tali vitio ſubiacebat vt non ei ſufficeret delectatio coitus cum vxore, quin etiam eam contrectationibus illicitis moleſtaret. Ergo nocte quadam vxore reclamante, Deiq; vindictam imprecante, maritus perpetrato violenter ſcelere, ad ventris officium ſurrexit, mox autem ſoluto ventre per ſecreta naturæ in cloacam eius viſcera deſcenderunt. Nec mora, clamans reportatur ad lectum, & publica voce confeſſus cum diriſſimo manuum cruciatu, quas, quaſi ignibus vrerentur, abſcindi petijt, in horam die tertiam expirauit. Vide igitur quàm digna tali operi vindicta illata ſit. Si ergo viri flagitium cum vxore tanta animaduerſione punitum eſt, quid illi ſuſtinebunt qui vel cælibes vel caſtitatem profeſſi, huiuſmodi tentant? *Prædicta exempla habet Dauroutius, flor. exempl. cap. 6. tit.* 48.

CAPVT SEPTIMVM.

De Diſciplina circa ornatum, & veſtitum.

APoſtolus Paulus ſcribens ad Timotheum, & in illius perſona omnes Eccleſiaſticos inſtruens inter ea, quæ requirit in illis eſt ornatus dum dicit *oportet Epiſcopum eſſe ſobrium, prudentem, ornatum* &c. Porrò hic ornatus non ſolum debet eſſe interior in anima, qui conſiſtit in virtutibus, & vitæ ſanctimonia, de quo nos tractauimus in prima parte huius operis per totam, & de quo ornatu loquitur *S. Hieronymus ſcribendo ad Nepotianum his verbis.* [Vis ſcire quales Deus quærat ornatus? habeto iuſtitiam, temperantiam, prudentiam, fortitudinem; nihil enim hoc monili pretioſius, nihil hac gemmarum varietate diſtinctius; hæc enim ornamenta tibi ſunt & ſcuta,] *Ita Hieronymus*. Sed etiam debet

eſſe

esse ornatus exterior, qui consistit præcipuè in quatuor videlicet in cibo, in potu, in habitu, in incessu. De disciplina in cibo & potu egimus suprà cap. 5. & etiam in prima parte dist. 2. cap. de remouendis comessationibus & ebrietatibus. De incessu tractabimus cap. seq. De habitu in hoc loco. Et quia habitus Ecclesiasticorum potest attendi circa duo, nimirum circa tonsuram, & circa vestes, idcirco primò videndum qualis debeat esse tonsura Ecclesiasticorum. Secundò quales debeant esse vestes tum eorum qui sunt in dignitatibus, tum eorum qui sunt in minoribus constituti. Tertiò In quibus casibus liceat recedere ab habitu ipsorum ordinariò. Quartò de quibusdam exemplis.

§. 1. *An & quomodo Ecclesiastici debeant ferre tonsuram.*

TOnsuræ nomine intelligimus coronam factam per abrasionem capillorum, quam Ecclesiastici gestare debent in vertice capitis maioris vel minoris rotunditatis iuxtà cuiusq; gradū. Coronę vsus antiquissimus est in Ecclesia, vt latè probat *Valentia relatus ab Augustino Barbosa de officio Episcopi.* Et adeò antiquus vt ab ipsomet Diuo Petro Apostolorum Principe originem habuisse asserat Beda, qui Sanctus Apostolus fertur coronam Capillorum gestasse toto reliquo capite detonso, idq; in memoriam spineæ coronæ Iesu Christi Domini Nostri. Hinc Sanctus Isidorus verè Apostolorum esse institutum inquit libro de officijs. Illud tamen est certum & in confesso apud omnes tonsuram primò fuisse ordinatam & præscriptam Ecclesiasticis omnibus à S. Aniceto summo Pontifice & Martyre, vt habetur *in cap. prohibete dist.* 23. *his verbis*: [Prohibete fratres per vniuersas regionum vestrarum Ecclesias vt Clerici iuxtà Apostolum comam non nutriant; sed desuper caput in modum spheræ radant.] Postea idem statutum fuit à Concilio Cartaginensi vt habetur *in cap. Clericus de vita & honestate Clericorum sic.* Clericus neq; comam nutriat neq; barbam.] Post modum ab Alexandro. 3. Pontifice vt habetur *ibid. cap. Clericus his verbis*. [Clerici qui comam nutriunt &

barbam etiam inuiti à suis archidiaconis tondeantur.] De vsu abradendi barbam & caput in modum coronæ seu circuli latè Baronius & alij auctores citati à Barbosa.

Quamobrem cum hoc institutum habendi Coronam in capite modo suprà explicato sit antiquissimum; & per sacras sanctiones tàm sæpius repetitum & præscriptum, mirum quomodo reperiantur Ecclesiastici adeò suæ conditionis, status & dignitatis obliti, vt Coronam prædictã in capite habere non curent? Videntur quodammodo erubescere, si tàm nobile suæ sortis, & gradus, & electionis signum præseferant. Caueant ne super illos cadant illa verba Christi Domini Luc. 9. [Qui me erubuerit & meos sermones, hunc filius hominis erubescet cum venerit in maiestate sua & Patris, & Sanctorum Angelorum.] Quis non miretur? dicam melius quis non tristetur, & tabescat videre aliquos (vt ipse in quadam Europæ regione ingemiscens vidi) qui vt liberius possint laicorum & vitam & mores exercere, dedita opera coronam non gestant? Quid fœdius intueri Sacerdotem in Altari coma militari ornatum, quem verius appellares militem quàm Sacerdotem? Nec mirum, quia statim ab Altari redeunt ad mundanas ineptias; & quia non possunt tàm facilè coronam deponere sicut casulam & albam, & reliqua sacra indumenta; nolunt illam omnino gestare ne agnoscantur inter laicos Ecclesiastici. O tempora. O mores. Videant hi, quicunq; illi sunt, ne grauiter ipsis irascatur Dominus, & Angelus eius, qui grauiter iratus fuit Moysi eò quod signum Circũcisionis neglexerat in filio; quod erat signum distinctionis populi Dei à reliquis infidelibus. Profectò cum illa Corona indicet consortium regiæ dignitatis cum Christo, cuius per Sacerdotium iam participatio donatur; nunquam deberemus illius obliuisci; quin potius deberet esse nobis stimulus continuus, vt regio ac excelso animo infima & terrena hæc omnia despiceremus, & ad æternum regnum adspiraremus. Nam vt benè ait Pater Ballarinus ex nostris in suo opere de Doctrina Concilij Tridentini. Corona Clericalis significat primò Spineam coronam Capiti Christi impositam vt

Cle-

Clerici moneantur debere ipsos semper ante se gerere speciem & figuram Christi. Secundò regiam dignitatem, quæ Clericis conuenire videtur. Tertiò perfectionem vitæ ad quam Ecclesiastici anhelare debēt; figura enim circularis perfectissima est. Sit igitur Ecclesiasticis pia & Sancta solicitudo non nutriendi comam more fœminarum vel militum; sed potius studium resecandi sibi crines & capillos,& simul cum eis superfluas cogitationes, curas, affectiones nimis terrenas, inanes, & luxuriātes. Studeant gestare coronam in capite in continuam Domini Nostri Iesu Christi memoriam, in argumentum suæ dignitatis; deniq; in stimulum ad Christianam perfectionem, quam nobis concedat Deus, qui est benedictus in secula.

§. 2. *De Habitu externo Ecclesiasticorum qualis debeat esse.*

NOn est nobis sermo de vestibus sacris, quibus indui debent Ecclesiastici in sacris peragendis: sed de vestibus, quibus induuntur in communi conuinctu, & conuersatione inter alios. Hæc autem indumenta non sunt prorsus eadem omnium; nam quædam conueniunt Ecclesiasticis in dignitate constitutis, quales sunt Cardinales, Episcopi, cæteriq; Prælati: quædam cæteris in inferiori gradu positis. Itaq; videndum breuiter. Primò de vestibus Cardinalium, & Episcoporum. Secundò de vestibus aliorum.

Primò igitur quod attinet ad Cardinales. Cum hi obtineant supremum in Ecclesia Dei gradum post summum Pontificem, conuenit illis splendor quidam, ornatus, & maiestas externa vt eorum dignitas magnifiat. Est enim valdè proprium humanæ naturæ à sensibilibus moueri vt docent Philosophi, taleq; iudicium formamus de re aliqua interius, qualis illa apparet exterius, nisi intellectus aliunde corrigatur. Vt igitur populi intelligant quanta Cardinales & Prælati dignitate præfulgeāt, datur illis ornamentum exterius in veste purpurea atq; hiacintina. Nec refert quòd Apostoli tali externo apparatu vsi non fuerint, immo potius in paupertate, in fame & siti, in frigore &

barbam etiam inuiti à suis archidiaconis tondeantur.] De vsu abradendi barbam & caput in modum coronæ seu circuli latè Baronius & alij auctores citati à Barbosa.

Quamobrem cum hoc institutum habendi Coronam in capite modo suprà explicato sit antiquissimum; & per sacras sanctiones tàm sæpius repetitum & præscriptum, mirum quomodo reperiantur Ecclesiastici adeò suæ conditionis, status & dignitatis obliti, vt Coronam prædictã in capite habere non curent? Videntur quodammodo erubescere, si tàm nobile suæ sortis, & gradus, & electionis signum præseferant. Caueant ne super illos cadant illa verba Christi Domini Luc. 9. [Qui me erubuerit & meos sermones, hunc filius hominis erubescet cum venerit in maiestate sua & Patris, & Sanctorum Angelorum.] Quis non miretur? dicam melius quis non tristetur, & tabescat videre aliquos (vt ipse in quadam Europæ regione ingemiscens vidi) qui vt liberius possint laicorum & vitam & mores exercere, dedita opera coronam non gestant? Quid fædius intueri Sacerdotem in Altari coma militari ornatum, quem verius appellares militem quàm Sacerdotem? Nec mirum, quia statim ab Altari redeunt ad mundanas ineptias; & quia non possunt tàm facilè coronam deponere sicut casulam & albam, & reliqua sacra indumenta; nolunt illam omnino gestare ne agnoscantur inter laicos Ecclesiastici. O tempora. O mores. Videant hi, quicunq; illi sunt, ne grauiter ipsis irascatur Dominus, & Angelus eius, qui grauiter iratus fuit Moysi eò quod signum Circũcisionis neglexerat in filio; quod erat signum distinctionis populi Dei à reliquis infidelibus. Profectò cum illa Corona indicet consortium regiæ dignitatis cum Christo, cuius per Sacerdotium iam participatio donatur; nunquam deberemus illius obliuisci; quin potius deberet esse nobis stimulus continuus, vt regio ac excelso animo infima & terrena hæc omnia despiceremus, & ad æternum regnum adspiraremus. Nam vt benè ait Pater Ballarinus ex nostris in suo opere de Doctrina Concilij Tridentini. Corona Clericalis significat primò Spineam coronam Capiti Christi impositam vt

Cle-

Clerici moneantur debere ipsos semper ante se gerere speciem & figuram Christi. Secundò regiam dignitatem, quæ Clericis conuenire videtur. Tertiò perfectionem vitæ ad quam Ecclesiastici anhelare debẽt; figura enim circularis perfectissima est. Sit igitur Ecclesiasticis pia & Sancta solicitudo non nutriendi comam more fæminarum vel militum; sed potius studium resecandi sibi crines & capillos,& simul cum eis superfluas cogitationes, curas, affectiones nimis terrenas, inanes, & luxuriãtes. Studeant gestare coronam in capite in continuam Domini Nostri Iesu Christi memoriam, in argumentum suæ dignitatis; deniq; in stimulum ad Christianam perfectionem, quam nobis concedat Deus, qui est benedictus in secula.

§. 2. *De Habitu externo Ecclesiasticorum qualis debeat esse.*

NOn est nobis sermo de vestibus sacris, quibus indui debent Ecclesiastici in sacris peragendis: sed de vestibus, quibus induuntur in communi conuinctu, & conuersatione inter alios. Hæc autem indumenta non sunt prorsus eadem omnium; nam quædam conueniunt Ecclesiasticis in dignitate constitutis, quales sunt Cardinales, Episcopi, cæteriq; Prælati: quædam cæteris in inferiori gradu positis. Itaq; videndum breuiter. Primò de vestibus Cardinalium, & Episcoporum. Secundò de vestibus aliorum.

Primò igitur quod attinet ad Cardinales. Cum hi obtineant supremum in Ecclesia Dei gradum post summum Pontificem, conuenit illis splendor quidam, ornatus, & maiestas externa vt eorum dignitas magnifiat. Est enim valdè proprium humanæ naturæ à sensibilibus moueri vt docent Philosophi, taleq; iudicium formamus de re aliqua interius, qualis illa apparet exterius, nisi intellectus aliunde corrigatur. Vt igitur populi intelligant quanta Cardinales & Prçlati dignitate præfulgeãt, datur illis ornamentum exterius in veste purpurea atq; hiacintina. Nec refert quòd Apostoli tali externo apparatu vsi non fuerint; immo potius in paupertate, in fame & siti, in frigore &

nuditate vitam duxerint. Hæc enim fuit certa quædam ratio illorum temporum, quando Ecclesiæ fundaměta ponebantur; decebat vt hi, qui electi erant ad Crucis exaltationem, & Euangelij propagationem, pauperes, debiles, inermes, obscuri, & idiotæ essent & nullis humanæ pompæ subsidijs inniterentur; ne orbis conuersio humanæ potentiæ & sapientiæ adscriberetur; quia vt dicit Apostolus. 1. Cor. 1. *Non multi sapientes secundum Carnem, non multi potentes, non multi nobiles; sed quæ stulta sunt műdi elegit Deus vt confundat sapientes; & infirma mundi elegit Deus vt cőfundat fortia; & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret; vt nő glorietur omnis caro in conspectu Dei.* Quamuis autem Apostoli & prima Ecclesiæ fundamenta non prȩditi essent nobilitate, sapientia, & potentia huius seculi; nihilominus habebāt pro nobilitate mundi gratiam Spiritu Sancti, qua pleni erant; & virtutes cælestes, quibus erant instructi; pro sapientia humana sapientiam diuinam, qua se ornatum dicebat Apostolus cum 1. Cor. 2. ait. *Sapientiam autem loquimur inter perfectos, Sapientiam verò non huius seculi neq; principum huius seculi qui destruuntur; sed loquimur Dei sapientiam in mysterio &c.* Pro potentia vero huius seculi habebant miracula, quibus præesse se ostendebant non hominibus modò sed ipsis elementis & ipsimet naturȩ. His igitur præsidijs instructi Apostoli venerationem sibi apud populos conciliabant. Vnde in actis Apostolorum legimus. *Magnificabat eos populus cæterorũ autem nemo audebat se coniungere illis.* Nunc autem cum Ecclesia satis fundata & propagata sit, & signa cessarint; nisi aliquid esset quòd hominum oculos suspensos teneret, nulla esset reuerentia & auctoritas Præsulum, & ipsa Ecclesiæ debita obedientia facilè corrueret & ad nihilum redigeretur. Hac igitur de causa optimo consilio institutum est vt Cardinales cæteriq; Ecclesiæ Præsules exterioribus etiam fulgeant ornamentis.

Adde quòd non ambitionis & elationis argumentum; sed ad sacræ significationis mysterium color purpureus & hiacinthinus in sublimi constitutis dignitate conceditur. Purpura enim

enim ornamentum est regium, & huiusmodi colore vtuntur Reges; significat ergo Dei ministros, eiusq; in terris locumtenentes, quales sunt Præsules, excelso regioq; animo præclaros esse debere ad sublimia quæq; pro Dei honore & gloria perpetranda. Color etiam hiacinthinus similis est colori cælesti ad præmonstrandum debere Ecclesiasticos terrena quæq; pessundare & sola cælestia intendere, & quamuis corpore in terris habitent, corde tamen in Cælis fixos esse debere. Vnde Ecclesiæ tanquam sponsæ Christi dilectę calceus hiacinthinus assignatur apud Ezechielem. 16. Calceaui te hiacinthino seu vt alij legunt ianthino .i. Calceo iacinthini seu violacei seu cęlestis coloris (pro eodem enim hæc tria sumuntur) quo calceo in cælestibus perambulet, & lunam .i. omnia mutabilia,& terrena conculcet. Per purpuram etiam & iacinthum significatur quòd hi primarij Ecclesię Senatores,dico Cardinales, sint veluti Reges iuxtà illud Diui Petri. *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium*. Et sint regnum Sacerdotale Christi,quem præ oculis semper habere & imitari debent, vt quemadmodũ ille in passione purpuram induit,& seipsum ac Ecclesiam suam sponsam dilectam pretioso suo sanguine purpurauit; ita & ipsi pro Christo & pro Ecclesia certent vsq; ad mortem; & si necessitas postulet ipsum etiam sanguinem libenter profundere sint parati. Vt igitur huius constantiæ, huius charitatis, & huius in subeundo etiam martyrio si opus fuerit, promptitudinis quam debent habere, moniti essent Cardinales, ideò Paulus huius nominis secundus, Pontifex Maximus anno Domini 1464. cui Platina à secretis fuit, vestem purpuream Cardinalibus primus concessit; quemadmodum ante eum Innocentius, huius nominis quartus,etiam Pontifex Maximus eosdem Cardinales galero rubro primitus insigniuerat vt illi tunc intelligerent se debere esse paratos vnà secum ad fortiter resistendum Friderico secundo Imperatori hosti Ecclesiæ acerrimo, & si opus esset etiam ad sanguinem effundendum.

Itaq; Cardinales vtuntur prædictis duobus coloribus pur-

pureo seu rubro: et hiacintino seu violaceo seu Cęlestiis exceptis tamen Dominica tertia Aduentus, & Dominica quarta Quadragesima, quibus diebus vtuntur colore rosaceo nempe rosarũ exsiccatarum. Cæterum qualitas vestium quoad materiam, vt plurimum dictę vestes conficiuntur vel ex panno grauiori; vel ex lana leuiori quàm saiettam vocant idq; tempore hyberno: tempore æstiuo vel ex camelotto vndato, vel ex serico vndato vel sine vndis arbitrio ipsorum dummodo sit sericum simplex nempe armesinum seu tabinium; non autem ex raso, aut oliserico quod vellutum vulgariter dicunt. Hoc autem intelligendum est de Cardinalibus qui non sunt assumpti ex Regularibus; nam Regulares non solent vti vestibus sericis; neq; mutant colorem sui ordinis; excepto birreto quod concessit illis Gregorius huius nominis 14. summus Pontifex: & excepto etiam galero; hæc enim duo sunt rubra. Quibus autem temporibus Cardinales rubro aut violaceo colore in vestibus vti debeant; & quando ęquitent simul Pontificaliter seu solemniter fuit latè prouisum per Clementem huius nominis octauum Pontif. Max. & per Sacram Congregationem Rituum; & iterum dilucidius per Paulum quintũ & per eamdem Sac. Cong. vt in libello Romæ impresso in Tipographia Reuerendæ Cameræ Apostolicæ anno *1618.* & testatur Barbosa.

Secundò quod attinet ad vestes aliorum Ecclesiasticorum. Commendatur in illis mediocritas cum honestate coniuncta, quæ nihil vanitatis, nouitatis, & superfluitatis redoleat. Qua de re sic statuit. *Conc. Tridentinum.* [Oportet Clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, vt per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant.] Cui cõformiter loquuntur Concilia alia, & Canones antiqui; nam *cap. Clerici* 23. *dist. sic habetur.* [Vestimenta etiam vel calceamenta clericis nisi quæ religionem deceant, vti, aut habere non liceat.] Et *cap. fin. dist.* 41. [Clericus professionem suam, & habitu, & incessu probet; & ideo nec vestibus, nec calceamentis decorem quærat.] Et 21. *q.* 4. *cap.* 1. [Omnis iactantia, & ornatura Corporalis à sacrato ordine aliena est; eos ergo

go Episcopos, vel Clericos, qui se fulgidis & claris vestibus ornant, emendari oportet. Quod si in hoc permanserint epitimio (.i. suspensioni vnius septimanæ) tradantur. Similiter & eos qui vnguentis inunguntur.] Et *cap. 3. ibidem.* [Episcopi Presbyteri, Diaconi secularibus indumentis non vtantur nisi, vt condecet, tunica Sacerdotali: sed neq; dum ambulauerint in Ciuitate, aut in via, aut in plateis sine operimento præsumant ambulare præter si in itinere longo ambulauerint &c.] Et *cap. fin. ibidem.* [Præcipimus vt tàm Episcopi, quàm Clerici in statu mentis, in habitu Corporis Deo, & hominibus placere studeant, & nec in superfluitate, scissura, aut colore vestium, nec in tonsura, intuentium (quorum forma & exemplum esse debent) offendant aspectum; sed potius quod eorum deceat sanctitatem præseferant. Quod si moniti ab Episcopis emendare noluerint Ecclesiasticis careant beneficijs.] Et fusius & distinctius *in cap. Clerici. De Vit. & honest. Cler.* [Clerici officia, vel Commercia secularia non exerceant maximè inhonesta, mimis, histrionibus & ioculatoribus nõ intendant: & tabernas prorsus euitent nisi fortè causa necessitatis in itinere constituti. Ad aleas & taxillos non ludant; nec huiusmodi ludis intersint. Coronam & tonsuram habeant congruentem; & se in officijs Ecclesiasticis, & alijs bonis studijs exerceant diligenter. Clausa deferant desuper indumenta, nimia breuitate vel longitudine non notanda. Pannis rubeis, aut viridibus, necnon manicis aut satularibus consuticijs, frænis, tellis, pectoralibus, calcaribus deauratis aut aliam superfluitatem gerentibus non vtantur. Cappas manicatas ad diuiniũ officium intrà Ecclesiam non gerant; sed nec alibi qui sunt in sacerdotio, & personatibus constituti, nisi iusta causa timoris exegerit habitum transformare. Fibulas omnino non ferant; neq; corrigias auri vel argenti ornatum habentes; sed nec annulos nisi quibus competit ex officio dignitatis. Pontifices autem in publico & in Ecclesia super indumentis lineis omnes vtantur, nisi Monachi fuerint, quos oportet ferre habitum monacalem: palijs difficulatis non vtantur in publico sed vel

post

post collum, vel ante pectus hinc inde connexis.]

Summa prædictorum in hoc consistit, quod Ecclesiastici debent cauere à duobus extremis in ornatu exteriore, nimirũ primò à luxu, à superfluitate, ab excessu, qui oriri solet ex quadã animi elatione, eamq; fouet. Secundò à sordida quadam, contemptibili & abiecta ratione viuendi, & vestiendi; quod aliquando est in causa vt sacrum ministerium vituperetur. Sic incedentes inter ista duo extrema, & virtutis medium tenentes Ecclesiastici humilitatem personæ sine diminutione dignitatis, & grauitatem morum sine animi elatione conseruabunt. Nemini autem dubium esse arbitror cuius longitudinis debeant esse vestes Clericorum præsertim eorum, qui sunt in sacris ordinibus constituti. Omnibus notum existimo debere esse talares scilicet dimissas vsq; ad talos; quemadmodum declarauit & sanciuit Sixtus. V. in sua Constitutione incipien. *Cum Sacrosanctum*, in qua ponit pænam priuationis ipso iure beneficiorum contrà non deferentes vestes talares. Vtrùm autẽ ad euasionem dictæ pænæ requiratur vt omnes vestes sint huiusmodi nempe pallium & toga; an verò sufficiat vnum de duobus? in dubium vertitur apud Doctores. Pars affirmans quòd sufficiat vnum aut alterum videtur magis recepta. Ita ex sententia multorum refert Barbosa de officio & potest. Sed quod deplorandum est non pauci incedunt in veste & pallio tantæ breuitatis vt vix genua attingant; & non rarò etiam varijs scissuris superfluè & curiosè dispositis. Collaria item gestãt prominentia ita vt, quando accedunt ad sacrum peragendum, sit opus illa deponere ne fortè plicas contrahant & venustatẽ deperdant; eaq; reponunt indecenter vel iuxtà altare, vel in Sacristia. Ridiculum planè hoc, & Sacerdotali statui indecorum. Certè huiusmodi vsus non fuit nec est piorum Sacerdotũ; sed originem traxisse videtur à vanis quibusdam Sacerdotibus non adhuc moribus aut ætate prouectis, qui & seculo & Ecclesiæ inseruire ac placere gestiunt. Sed nemo potest duobus Dominis seruire. Non possumus Deo placere & mundo. Non possumus aulæ & altari deseruire. Igitur collaria huius-

modi

modi à mente deuotorum Sacerdotum debent penitus ablegari: & talia adhiberi ab Ecclesiasticis, vt nihil vanitatis & leuitatis sapiant, & sacrificantibus non sint impedimento.

§. 3. *In quibus casibus sit licitum secedere ab ordinario habitu Clericali.*

QVia Sixtus quintus in supracitata constitutione præscribit diffusè habitum Ecclesiasticum; ideò Augustinus Barbosa ponit limitationes quasdam & casus, in quibus pœnę sacrorum Canonum & dictæ Constitutionis non habent locum. Igitur.

Primò Excusatur Clericus qui propter paupertatem non potest sibi emere habitum sibi condecentem, & qualem sacri Canonis præscribunt.

Secundò Excusatur qui ad euitandum aliquod probabile periculum habitum transformaret.

Tertiò Excusatur qui domi suæ & per consequens in occulto per aliquod temporis spatium dimittit habitum, paulò post illum reassumpturus.

Quartò Limitatur Constitutio Sixti quinti vt non procedat quando quis semel tantum habitum dimisit nisi tanto tempore in illa habitus dimissione perseueret vt publicè pro laico existimetur.

Quintò Limitatur vt non procedat in Clerico peregrinante, seu aliàs itinerante. Licitum est enim Clericis in itinere habere vestes breuiores.

Sextò. Licitum est habitum mutare; immo etiam deponere si ex delatione habitus Clericalis iusta esset causa timoris.

§. 4. *De Exemplis quorumdam qui in moderato ornatu excellure.*

QVia exempla Sanctorum, qui fuerunt alijs norma viuendi, magis moueant; ideò pauca de istis afferemus studendo semper breuitati.

Sit igitur primum exemplum de Sancto Augustino Hipponensi Episcopo & Ecclesię pręclarissimo Doctore de quo scribit Possidonius in eius vita quod vestis eius & calceamenta & lectualia ex moderato & competenti habitu erant, nec nitida nimium, nec abiecta plurimùm: quia his plerumq; vel iactare se insolenter solent homines, vel abijcere: ex vtroq; non quę Iesu Christi sed quæ sua sunt ijdem quærentes: At iste beatus medium tenebat, neq; in dexteram neq; in sinistram declinans.

Diuus Nicolaus creatus Episcopus Myrensis cæpit vti veste viliori & neglectiori quàm antea solebat, in qua nullus omnino esset nitor aut fastus; sed castigatæ potius humilitatis & modestiæ significatio: nec enim alio quouis pacto poterat sapientius aut facilius Sacerdotum in vestitu luxuriem amputare. Et tamen tantum abfuit vt ea res aliquid illi detraxerit de opinione vt etiam multum auxerit.

Recentius est exemplum Sancti Caroli Borromæi, qui inter alia eius gesta admiranda vestibus vtebatur exterius quidem vt Cardinalis; interioribus verò ex simplici panno, & tela; quin etiam cubicularis amictus ex panno erat cinericio, rudi, & crasso. Quam ipsam vestem quatuordecim totis annis nunquam mutauit, multaq; alia eiusmodi, quæ non est necesse referre quia nota sunt.

De Iuliano Cæsarino Cardinale illud memoriæ proditum est ferè illum in suis vestibus cubitasse, interulam intimam nō ex lino sed ex panno gestasse, longa exercuisse ieiunia, omnibus sextis ferijs pane & aqua ieiunasse, quotidie Missam celebrasse. Deniq; vt hoc etiam addamus ita in eleemosynis profusum fuisse vt à suis alter Martinus appellaretur.

CA-

CAPVT OCTAVVM.

De Disciplina circa Incessum & Conuersationem.

NOn satis est Ecclesiasticos seruare disciplinam in vestitu; nisi etiam illam seruent in incessu & conuersatione familiari. Quæ disciplina in eo sita est, vt talis sit corporis compositio, talis incessus, talis custodia sensuum, talis gestus tales deniq; omnes nostri motus vt ædificationem pariant in ijs, qui nos aspexerint, & nobiscum fuerint conuersati. Nam vt inquit sapiens. Eccl. 19. *Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus; amictus corporis, & risus dentium, & egressus hominis enuntiant de illo.* Et iterũ de scribẽs actiones viri apostatæ dicit. *Homo apostata vir inutilis graditur ore peruerso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur.* Et *Diuus Augustinus relat. in §. vlt. dist* 41. [Incompositio Corporis inæqualitatem indicat mentis. In incessu igitur debet esse quilibet Ecclesiasticus ornatus, & disciplinatus, vt grauitate incessus mentis & morum grauitatem præseferat.] Quapropter primò videndum de motiuis inducentibus ad disciplinam huiusmodi. Secundò qualis debeat esse hęc disciplina nempe qualis incessus, & qualis conuersatio Ecclesiasticorum. Tertiò à quibus debeant abstinere Ecclesiastici in conuersatione. Quartò de nonnullis exemplis ad hanc rem facientibus.

§. I. *De Motiuis inducentibus ad disciplinam circa incessum & conuersationem.*

CVm Ecclesiastici præsertim animarum pastores ad hoc sint à Domino vocati, vt proximis sint adiumento ad salutem æternam consequendam, vtiq; non mediocriter studere debent modestiæ, compositioni externæ, & disciplinæ in

incessu, gestibus, & motibus, & communi conuersatione. Atq; ad id moueri possunt multipliciter.

Primò quia sæpe in sacris literis commendatur nobis modestia. Nam Apostolus ad Galatas. 5. scribens ponit eam inter fructus Spiritus dum inquit. *Fructus Spiritus est, Charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* Idem ad Philipenses. 4. *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Idem ad Colossenses. 3. *Induite vos ergo sicut electi Dei Sancti & dilecti viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam &c.* Et Diuus Petrus in sua prima Epistola cap. 3. *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe; sed cum modestia & timore &c.* Et sæpius etiam alibi:

Secundò quia exterior hæc modestia & disciplina, animi ac Spiritus tranquillitatem & pacem fouet ac conseruat. Et ratio est quia vt plurimum indeuotio, dissipatio mentis, cordis distractio & interioris hominis inquietudo prouenit ex sensuum relaxatione, & ex actionum nostrarum, motuum, et gestorum inordinatione; vnde plurima intrant in animam quæ illam perturbant; Nihil enim est in intellectu, vt inquit Philosophus, quod prius non fuerit in sensu. Hinc Diuus Hieronymus super illud Iob. 38. *Nunquid aperta sunt tibi porta mortis, & astra tenebrosa vidisti?* dicit in sensu tropologico portas mortis esse sensus nostros. Dicit vocari ostia tenebrosa, quia dant ingressum tenebris peccatorum.

Tertiò quia magnam homini gratiam, beneuolentiam, auctoritatemq; conciliat apud proximos. Et hoc, propter interiorem bonitatem & sanctitatem, quam proximi concipiunt de viro modesto, composito, & in omnibus ordinato: interiora enim non vident; sed vident exteriora; & de exterioribus argumentum faciunt de interioribus. Nec falluntur, (quando hæc modestia disciplina, & morum compositio est vniuersalis in omnibus motibus, & actionibus; & est perseuerans ad longum tempus & non ad horam) quia sicut vmbra sequitur corpus

pus, & fumus ignem; sic homo exterior sequitur interiorem. Tunc igitur quicquid ab ore viri modesti & ad modum supra dictum compositi egreditur quasi celitus elapsum ab hominibus accipitur, cordibusq; eorum imprimitur.

Quartò quia tacita est admonitio vt in modesti componant mores suos. De Sancto Francisco legitur in Cronicis Minorum, quod quadam vice socio dixerit. Eamus ad concionandum. Exiuit cum socio, perambulauit ciuitatem, & nullo sermone habito iam domũ redibat. Miratus socius interrogauit Patrem dicens Pater mi cur non prædicamus? Respondit tunc Sanctus. Fili iam prædicauimus. Quibus verbis innuere voluit illam compositionem, modestiam, atq; in habitu & in incessu disciplinam, qua ornati vicos & plateas obibant optimam esse concionem, quæ populum moueret ad deuotionem, ad contemptum mundi, ad compunctionem pro peccatis, & ad mentis eleuationem in Deum atq; cælestia. Nimirum quia exempla multò fortius mouent quàm verba.

Quintò Deniq; quia est inuitatio efficax ad imitationem cum ex ijs qualis quisq; sit cognoscatur vt suprà innuimus. *Cicero in oratore.* [Imago animi vultus est, indices oculi.] Sed multo melius sapiens in Ecclesiastico 19. *Ex visu*, inquit, *cognoscitur vir*, (scilicet qualis sit lætus an tristis? placidus an iracũdus? pudicus an impudicus? sincerus an simulator? ꝓbus an imꝓbus? horũ enim affectuũ testes sunt oculi, eorumq; aspicientibus dant significationem) *& ab occursu faciei cognoscitur sensatus*; idest prudens ex obiecta, conspecta, & cognita facie. Et in Prouerbijs. 27 *Quemadmodum in aquis resplendent facies perspicientium, sic manifesta sunt corda hominum prudentibus*. Pergit Ecclesiasticus. *Amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enunciant de illo*. Fingat, simulet, dissimulet, prodet se ipsa moribus & gestibus suis natura. Sicut enim ex vnguibus leo, ex plumis auis, ex fructu arbor, ex sonitu metallum agnoscitur; ita hominis animus ex gestu, incessu, motuq; corporis. Hinc dicimus quod quibusdam vel probitas, vel nequitia eluceat ex oculis. Sapienter & verè *S. Augustinus in*

Regu-

Regula. Impudicus oculus impudici cordis est nuncius. Et *Diuus Ambrosius de officijs lib* 8.*cap*.18 [Est in ipso motu,gestu, incessu tenenda verecundia. Habitus enim mentis in corporis statu cernitur. Hinc Homo cordis nostri absconditus aut leuior, aut iactantior, aut turbidior; aut contrà grauior & constantior & purior & maturior æstimatur. Itaq; vox quædam est animi, corporis motus.] Affertq; ibidem S.Ambrosius exẽpla duorum, quorum cum in incessu luceret imago leuitatis, species quædam scurrarum percursantium,alterum in Clerum recipere noluerit,alterum sibi præire recusauit. Nec fefellit (ait S. Ambrosius) sententia: vterq;.n. ab Ecclesia recessit,vt qualis incessus ꝓdebatur talis perfidia animi demonstraretur.Itaq; sicut inclusus ignis scintillis quibusdam se prodit; ita & in animo insidens virtus moribus, motibusq; honestissimis quasi quibusdam igniculis se ostendit. In facie prudentis lucet sapientia.

§.2. *Qualis debeat esse disciplina circa incessum & conuersationem.*

CIrca Incessum hanc disciplinam præscribit *Diuus Bonauentura in speculo disciplinæ particul*.3. *cap*. 6. Scilicet vt in incessu attendatur & Modus, & Discretio.

Modus requirit, vt non impetuosis & fractis gressibus quis ambulet: nec erecta ceruice: non prominenti pectore; seu etiã inclinato super humerum capite; aut vagabunde pendentibus manibus; quæ omnia vel leuitatem,vel superbiam, vel remissionem, vel hypocrisim sapiunt. *Idem de triplici statu religiosorum*. Incessus tuus sit maturus; non leuiter curras, & sine necessitate; nec corpus multum erectum geras; sed mediocriter depressum, nec vagus sis oculis; nec brachijs ventiles; nec aliter more seculariũ incomposito gressu incedas, sed plano,& humili modo quasi à deuota oratione recedas. *Et Diuus Bernardus in tractatu de modo benè viuendi scribens ad sororem sic scribit*. [Soror in Christo amabilis professionẽ tuam habitu, et

in-

incessu demōstra. Sit in gressu tuo simplicitas: sit in incessu honestas. Nihil dedecoris, nihil lasciuię, nihil petulātię, nihil insolētię, nihil leuitatis in incessu tuo appareat. Animus .n. in Corporis gestu apparet. Gestus corporis signū est mentis. Corporis gestu animus proditur, Soror charissima: ergo incessus tuus non habeat imaginem leuitatis, incessus tuus non offendat oculos alterius. Non præbeas de te spectaculum. Non des alijs locum de te obtrectandi.]

Discretio quoq; debet esse in incedendo, nede illorum numero censeamur, de quibus dicitur per Prophetam Isaiam. 59. *Non est iudicium in gressibus eorum*. Porrò in illorum gressibus non inuenitur iudicium, qui non attendunt necessitatem neq; ordinem in eundo. Necessitas importat discursum inutilem: nempe quando quis per domum, vel extrà domum vagatur inutiliter & otiosè, quod certè magnum est instabilis mentis indicium. *Addit Diuus Bonauentura quadam pro Religiosis nouitijs; & dicit*. [Non discurrant per domum, nec per hortum. In domo ne per officinas de loco ad locum, de fratre ad fratrē inutiliter euagentur, aut loca rumoribus audiendis, vel collucutionibus aperta frequentent, sed in locis sibi concessis vt sunt Ecclesia, Capellæ, cellæ, Capitulum si extranei fuerint, vel alijs locis si qua sibi fuerint specialiter deputata cum silentio residentes. Officinis priuatis putà vbi cibaria præparantur, infirmi vel hospites recreantur; aut fratrum congregationi, vel comedentibus, & bibentibus se nullatenus ingerant non vocati. Erubescant præcipuè ad reficientium mensam accedere, vel eis nisi pro euidenti ministerij necessitate assistere. Effrontis est hominis non erubescere ad comedentes. Veruntamen si quando eos loca sibi non concessa necessitas adire compulerit, ad ostium pulsare aliquantulum possunt, vel vt aliquis egrediatur ad eos, vel ipsi vocati securius & honestius intrent. In hortum non vadant absq; licentia nisi eos vel ab aliquo professo mitti contigerit aut vocari; ad loca sua postquam ab eo recesserint, vel eius negotium fecerint quàm citius reuersuri. Et alia quamplurima tradit pro Nouitijs. Ordo in

eundo

eundo consistit in hoc vt quilibet cuiq; locum suum in incedendo tribuat siue dexteram siue locum propè murum iuxtà consuetudinem regionum. Similiter vt non passim iunior antecedat seniorem; neq; frequentes & nimium propinquos transitus faciat ante ipsum.) *Hæc & alia tradit Diuus Bonauentura de disciplina cira Incessum.*

Circa Conuersationē. Plurima, præclara, & in praxi obseruanda tradit *Diuus Bonauentura in toto tractatu spec. discipl. sed præsertim in partic. quarta dicti spec. quæ est de modo conuersandi in omni loco secularium.* Quæ libenter omitto ne videar inanem suscipere laborem, cùm illius opuscula omnibus possint in promptu esse. Si qui tamen sunt, quibus istorum voluminum copia non supetit, pro his afferam pauca quædam, quæ ipse dicit in tractatu *de triplici statu Religiosorum cap. 38. quod est de bono exemplo dando in conuersatione Sic igitur dicit.* [Inter homines quantum in te est caue omne, quod potest eis esse non bonum exemplum sicut decet fidelem seruum Dei, qui debet Domini sui honorem promouere, & inhonorationem cauere vbi potest. Nos enim sumus familia ipsius. Sicut ergo pater familias ex disciplina familiæ suę honoratur; vel ex indisciplina inhonoratur, ita scias quicquid nos facimus inter homines hoc aliquo modo redundat vel in laudem Domini nostri, vel in contemptum. Et quia specialiter positi sumus inter homines vt ipsi ædificentur ex nobis, parum proficient verba nostra si non etiam ædificemus bono exemplo. Et si non sumus tàm perfecti vt possimus eis magnum virtutis exemplum ostendere saltem caueamus omnia mala exempla, quæ nos ipsi solemus reprehendere in alijs, videlicet, ne rumores seculares recitemus apud eos, vel libenter audiamus; vel delicata fercula; vel multa fieri pro nobis diligamus; vel nimis mollia, vel pretiosa instrumenta; nec iræ vel discordiæ scintillas emittamus: vel verba scurrilia; vel iocos dissolutos moueamus, & maximè ne auari pro muneribus possimus notari, quia ex hoc citò vilescimus apud eos si viderint nos ea ambire, & auarè quærere, ad quorum contemptum nos eos hor-

hortamur prædicando.] *Hæc Seraficus Bonauentura, qui ibidẽ cap. 31. Quod est de exemplo Christi in omnibus habendo; hæc dicit.* [In omnibus virtutibus & bonis moribus præpone semper clarissimum speculum, & totius sanctitatis perfectissimum exemplar, scilicet, Vitam & mores Filij Dei Domini Nostri Iesu Christi. Qui ad hoc nobis de cælo missus est vt aperiret nobis viam virtutum, & legem disciplinæ suo exemplo daret nobis, & erudiret nos per semetipsum vt sicut ad imaginem eius naturaliter creati sumus, ita ad morum eius similitudinem per imitationem virtutis pro nostra possibilitate reformemur, qui eius imaginem in nobis fædauimus per peccatum. Quãtò enim quisq; se ei in virtutis imitatione hic conformare studuerit, tanto ei in prima gloria & claritate appropinquabit & similior erit. Describe tibi in corde tuo mores & actus suos. Quam humiliter se habuit inter homines. Quàm benignus inter discipulos. Quàm modestus in edendo & bibendo. Quàm misericors super pauperes, quibus se similem fecerat per omnia; & qui de eius specialiter familia videbantur. Quomodo nullum spreuit, vel horruit etiamsi erat leprosus. Quomodo diuitibus non adulabatur. Quàm liber fuit à curis mundi, nec anxius pro corporis necessitatibus. Quàm verecundus in visu. Quàm patiens ad contumelias. Et quam mitis in responsis: Non enim studuit se vindicare verbo mordaci & amaro; sed blando, & humili responso alterius malitiam sanare. Item quam compositus in omnibus gestis suis. Quàm solicitus de animarũ salute, quarum amore voluit incarnari; & mori dignatus est. Quomodo seipsum præbuit exemplum omnis boni. Quomodo mulierum familiaria colloquia vitauit causa exempli; vnde etiam discipuli mirabantur, quando solus cum Samaritana loquebatur eo quod quasi insolitum videbatur in ipso. Item quàm patiens laboris & penuriæ. Quàm compatiẽs afflictioni. Quomodo cõdescẽdit infirmari imperfectioni. Quomodo omne scandalũ cauebat. Quomodo peccatores non spreuit. Quomodo pænitentes clementer suscepit. Quam placidus in omnibus dictis suis. Quàm studiosus ad orationem. Quàm prom-

Q ptus

ptus in ministrando sicut ipse dixit. Ego in medio vestrum sum sicut qui ministrat. Item quàm sobrius ad vigilias. Quàm obediens parentibus. Quomodo omnem iactantiam, & singularitatis ostentationem declinauit. Quomodo omnem gloriam & potestatem huius mundi fugit. Et multa alia ipsius acta memoriæ tuæ propinqua sint, vt in omnibus factis & verbis tuis semper adhuc quasi exemplar respicias, incedens, stans, sedens, & comedens, tacens & loquens, solus & cum alijs. Et ex hoc magis diliges eum, & familiaritatis eius gratiam, & fiduciam assequens, & in omni virtute perfectior eris. Et hæc sit sapientia tua, & meditatio, & studium, semper aliquid de ipso cogitare; vnde vel prouoceris ad imitandũ eum; vel afficiaris ad eum amandum. Talia meditando & ruminando tempus vtiliter expendis, dum occuparis in bonis studijs circa ipsum Dominum Iesum Christum, & mores tuos emendas ad formam vitę ipsius & conuersationis semper ad eum respiciens qualiter in suis se habuit, vel se habere potuit iuxta extimationem tuam; quia qui in omnibus semper est optimus, optimo & perfectissimo modo se gerebat.] *Hæc Bonauentura.* O, vtinam hoc esset studium nostrum.

Deniq; pro Conclusione huius. §. non prætermittam huc afferre id quod statuit. *Conc. Tridentinum sess. 22. cap. 1. de reform.* circa hanc materiam. *Inquit enim.* [Sic decet omnino Clericos vitam & mores suos componere, vt habitu, gestu, incessu, alijq; omnibus rebus nihil nisi graue, moderatum, ac religione plenum præseferant.] Et *Concilium Maguntinum de vit. & honest Cler. cap. 2. sic statuit.* [Clerici à vulgari vita seclusi non vagis oculis, non effræni lingua, aut petulanti, fluidoq; gestu, tumidoq; gressu incedant: sed pudorem & verecundiam mentis simplici habitu, incessuq; ostendant: deinde & omnem verborum obscænitatem non minus quàm operum deuitent.]

§. 3.

§.3. *A quibus actionibus debeant abstinere Ecclesiastici.*

IN prima parte huius operis distinctione secunda retulimus multas actiones, à quibus debent Ecclesiastici abstinere. Hic autem nonnullas tangemus, quæ sunt merè externæ & respiciunt conuersationem aliorum, in quibus debent Ecclesiastici exercere disciplinam.

Prima igitur actio, à qua debent Ecclesiastici abstinere, sunt commessationes, & inhonesta conuiuia. De his egimus in prima parte satis diffuse; ideò non est opus hic eadem repetere. Videndus est textus *in cap. 1. Ne clerici vel monachi.* Item *cap. cum decorem. De Vit. & honest. Cler.* Diuus Hieronymus *in epist. 2. ad Nepotianum rel. in cap. 23. de Vita Cler. sic inquit.* Conuiuia tibi vitanda sunt secularium, & maximè eorum qui honoribus tument *& cap. 17.* Consolatores nos Christiani potius in mæroribus suis quàm Conuiuas et in prosperis nouerint. Facilè contemnitur Clericus qui sępè vocatus ad prandium non recusat.

Secundò Ecclesiastici vitare debent spectacula, Comædias, fabulas, choreas, hastiludia, aleas, taxillos, & alia his similia *cap. Non oportet de consecr. dist. 5.* Non oportet ministros altaris, vel quoslibet Clericos spectaculis aliquibus, quæ aut in nuptijs, aut scenis exhibentur interesse; sed antequam thymelici (idest qui ministrant ludentibus) ingrediantur surgere eos de conuiuio, & abire. Idem habetur *cap. 1. Ne Clerici vel Monachi*, & alibi sæpe apud sacros Canones. Non decet, igitur, Ecclesiasticos interesse Comædijs, quia vt plurimum sunt de rebus lasciuis, turpibus, & de amoribus mundanis prouocatiuis ad libidinem, & ad malum. Verum quidem est quòd si Comedias audiunt ob solam vanam curiositatem, absq; periculo probabili lapsus etiamsi res turpes repræsententur in tali casu quidam existimant non peccare mortaliter secluso scandalo, quod his temporibus non videtur adesse; quia Clerici præsertim seculares frequentissimè Comædijs intersunt. Nihilomi-

ominus quia intentio nostra in hoc operè est non solum auertere Ecclesiasticos à peccatis mortalibus, sed etiam à venialibus, & manuducere illos ad perfectionem quam status illorum requirit, ideò hortamur & obsecramus illos in Domino vt in hoc sequantur quantum fieri potest sacros Canones; & præsertim dispositionem capitis penultimi de Vit. & honest. Cler. vbi sic habetur. Clericici officia vel commercia secularia non exerceant maximè inhonesta. Mimis ioculatoribus, & histrionibus non intendant, & tabernas prorsus euitent nisi fortè causa necessitatis in itinere constituti. Ad aleas & taxillos non ludant, nec huiusmodi ludis intersunt.

Tertiò Ecclesiastici non debent incedere laruati, aut personarum habitum suscipere *cap. cum decorem. De Vit. & honest. Cler. vbi Innocentius tertius Episcopo Liuerniensi sic mandat*. Cum decorem domus Dei & infra. Interdū ludi fiunt in Ecclesijs theatrales, & non solum ad ludibriorum spectacula introducuntur in eis monstra laruarū, verùm etiam in aliquibus festiuitatibus Diaconi, Presbyteri, Subdiaconi insaniæ suæ ludibria exercere præsumunt. *Et infra*. Fraternitati vestræ mandamus quatenus ne per huiusmodi turpitudinem Ecclesiæ inquinetur honestas, prælibatam ludibriorum consuetudinem vel potius corruptelam curetis à vestris Ecclesijs extirpare. *Vnde colligit Glosa ibidem*, minus decere vt histriones & similes (dum comœdias agunt, vel laruati incedunt) sibi accomodent habitum monachalem, vel religiosum, vel Ecclesiasticum, eoq; in similibus abutantur. Peccant enim,& grauiter sunt puniendi, vt ex sententiâ multorum resoluit. *Barbosa in tractatu de Iure Ecclesiastico vniuerso lib. p. cap.* 40. Videntur excipi repræsentationes de rebus spiritualibus, & praxis videtur talis. Tutius autem agitur si etiam in istis consulatur Ordinarius, ab eoq; licentia expectetur.

Sunt aliæ actiones quas non est opus hic repetere, quia de illis alibi egimus præsertim *in prima par. dist*. 2. & habentur & breuiter apud Barbosam loco citato.

§. 4.

§. 4. *De duobus exemplis spectantibus ad morum compositionem.*

QVod exteriora sint signa interiorũ, & incompositio morum indicet incompositionem mentis abundè testatur. *Diuus Gregorius Nazianzenus dũ describit mores externos Iuliani Apostatæ*, dicẽs quòd alij nõ benè cognitas illius cõditiones habuerunt donec exitus acta probauit post acceptam dignitatem Imperatoriam: Sed ego (inquit Nazianzenus) probe illum noui, simulq; eum vidi, & cum eo Athenis communicaui. Nullum in eo signum vidi quod bonũ videbatur, ceruix erat arrecta, humeri mobiles, oculi leues omnem in partem volubiles, visus ferox, pedes instabiles, nares habiles ad ridendum, & contemnendũ, risus effrænis, facilitas in negando, & concedendo quid eodem tempore, praxis eius sine fundamento & ordine, interrogationes importunę, responsiones sine proposito. Sed quare conditiones eius tàm exactè enumero? Vt concludam, dico, illum mihi ante opera sua notum fuisse, & post eadem exactius illum noui. Et si iam adessent, qui nobis tunc socij erant, testarentur me talia signa in eo videntẽ dixisse. Quàm venenatum serpentem alit Resp. Romana? Et vellem me tunc mendacem fuisse, melius enim fuisset, quàm tanta in orbe excitari incendia, qualia nunquam antea visa erant. *Hæc ait Sanctus Gregorius Nazianzenus.*

Sed afferamus aliud exemplum ex opposito contrarium per quod videbimus quantum externa compositio ædificet etiam magnates & principes. *Refert Surius in vita S. Bernardi.* Quòd cum Innocentius secundus vna cum Cardinalibus visitauit Monasterium Clareuallense, omnes Monachi simul cum S. Bernardo eorum Abbate exierunt obuiam, vt par erat, tanto Principi. Tanta erat modestia, & compositio illorum Monacorum vt & Pontifici, & Cardinalibus admirationem incuteret & lachrymas excuteret. Omnes mirabantur aspicientes tan-

tantam modestiam, & grauitatem illius sanctissimi cætus; & præcipue quod in festo & gaudio tàm solemni & insolito, quale erat de aduētu Vicarij Dei in terris, & Principum Ecclesiæ, omnes haberent oculos humi defixos, nec eos aliquam in partem conuerterent; cùmq; ipsi ab omnibus attentè aspicerentur, ipsi verò neminem nec per transitum auderent aspicere. O mira modestia & morum compositio.

CAPVT NONVM.

De Disciplina circa quotidianas occupationes & de ordine Vitæ tenendo.

O*Mnia honestè & secundum ordinem fiant* inquit Apostolus. Ordo est anima Vniuersi. Vbi non est ordo, ibi est confusio; & vbi confusio ibi horror; vbi horror ibi infernus. Deus omnia constituit in modo, specie, & ordine: Et omnia intantum sunt, inquantum ordinata sunt. Itaq; magna est ordinis necessitas; ideò reperitur in omnibus, in natura, in artibus, in doctrinis, in gubernatione Ecclesiastica, ciuili, militari; in familijs, cætibus, cænobijs Religiosorum, quorum vita cænobitica miranda est propter obedientiam ordinatam. Quod igitur tàm necessarium est & reperitur in omnibus; deesse non debet in vita & in actionibus cuiusq; pręsertim Ecclesiastici status. De ordine igitur videbimus. Primò quid & quotuplex sit. Secundò de motiuis ad illum amplectendum. Tertiò de modo illum exercendi. Quartò de Varijs exemplis spectantibus ad hanc materiam.

§. 1. *Quid & quotuplex sit ordo.*

ORdo in vniuersum duplex esse videtur. Alter dici potest ordo rerum, seu situs, seu collocationis. Alter actionũ seu temporis. Indicata est hæc diuisio *à S. Ambrosio in libris de officijs lib. 1. cap. 24. vbi ait.* De ordine quoq; rerum, & opportuni-

tunitate temporum non dissimulandum puto. Atq; in laudibus Abraham Patriarchæ recensentur ab eodem. [Moderatio, *inquit*, pro negotijs, ordo rerum, opportunitas temporum, mensura verborum.] In opificio Mundi vterq; ordo mirabiliter eluxit. Prior quidem, quia corpora disposita suis locis distributa sunt; elementa intra Cælum, grauiora leuioribus subiecta, grauissimum pro immobili centro constitutum; & sic de alijs cælestibus orbibus. In humano quoq; corpore cernitur mirabilis ordo rerum; quia caput suprà pectus, cor in medio, pedes tanquam totius molis fundamenta in imo positi videntur. Posterior etiam ordo actionum & temporis in procreatione partium est adhibitus; cum prius (siue tempore, siue natura hoc non disputo) primi diei opera prodierint quàm secundi; prius cælū factū est, quā aqua & terra; & prius terra virentes herbas proferre iussa est, quàm aquæ pisces, volucresq; produxerint. Illius prioris ordinis rursus talis traditur definitio à S. Augustino, lib. 9. de ciuit. cap. 13. *Parium, dispariumq; rerū sua unicuiq; loca tribuens dispositio*, sed breuius Gerson. *ordo est debita collocatio rei*. De hoc priore ordine, qui est debita collocatio corporum seu personarum suis locis non est nobis in hoc loco sermo. Sed de posteriori, qui est actionum & temporis. Omissis igitur multorum de hoc ordine definitiones; possumus illū sic definire. *Ordo est constans actionum in sua quaque tempora dispositio*. Placet pro genere, *Dispositio*, quia hæc significat non qualemcumq; distributionem aut collocationem; sed aptam, opportunam, congruam, distinctam. *M. Tullius lib p. de off.* id exigit à viro, quem format ad virtutem, cum ait. [Talis est igitur ordo actionum adhibendus vt quemadmodum in oratione constanti, sic in vita, omnia sint apta, & inter se conuenientia.] Nec mirum dispositionem hanc opportunam, & conuenientem esse oportere in ordine, quoniam ordo partus est Prudentiæ. S. Bernardus qui Discretionis nomine Prudentiam vestit. Discretio, inquit, omni virtuti ordinem ponit. Adieci, *constantem*, quia necessarium est in ordinibus religiosis, immo in cuiusq; personæ actionibus, vt ordo illarum stabilis

sit,

sit, et mordicus teneatur, nec vlla ratione nisi grauissima turbetur, aut mutetur, publicus potissimũ, qui multos attingit. Dixi, *Actionum*, vt distinguerem ab ordine rerum, seu situs, & collocationis: & nomine actionis intelligimus operationes mentis, linguæ, manus, & totius Corporis. Deniq; addidi, *in sua quoq; tempora*, scilicet disponendas, distribuendasq; esse actiones; quia nisi suo quæq; actio tempore fiat nullus est ordo, sed confusio; qualis esset si quis tempore studendi dormiret, ambularet &c.

Tradita ordinis definitione quæramus modò quotuplex hic ordo actionum seu temporis sit. Equidem duplicem esse reperio, & vtrumq; apprimè seruandum. Alter est publicus, communis, vniuersalis spectans ad vniuersam familiam præsertim Religiosorum, quem prisci Patres ordinem regularem, & ordinem disciplinæ nonnunquam vocitauerunt; nimium quia ille sine hoc ordine stare, vigere, & florere non potest; quoniam hic ordo positus est in eo, quod actiones communes religiosæ vitæ, somnus, vigiliæ, meditatio, Missa, lectio, lucubratio, studium, exhortatio, labor manuum, corporis exercitatio, refectio, quies, silentium, disputatio, collatio, diuinum officium, opera misericordiæ in proximos, conscientiæ discussio, & alia similia statis ac suis temporibus atq; horis aptè, prudenterq; designatis fiant, nec inde leui de causa moueantur. Non defuerunt Religiosi qui accuratissimè ordinem vniuersum cænobij, distributionemq; horarum singularum diei, noctisq; descripserint tum vt præsentes intelligerent quid sibi quaq; hora præstandum esset, tum ne posteri recederent ab ordine, institutoq; maiorum. Extant Clementis 8. Papæ decreta generelia de reformatione regularium Anno 1602. sancita & à Paulo 5. Pontifice illius successore probata & edita, in quibus hoc legitur præscriptum de ordine publico: Cuius vtilitatem & necessitatem vterq; Pontifex cognouerat. Quo verò omnia, inquit; ordinatè peragantur, appendatur tabella in loco conspicuo vniuscuiusq; conuentus; in qua distinctè adnotetur quid singulis horis cuiusq; diei quilibet frater præ-

stare

ſtare debeat, vt certo quoq; ſigno præmonitus maiore animi præparatione ſuo muneri ſatisfacere poſſit.

Alter actionum ordo priuatus eſt, qui ordo vitæ poteſt non incongruè nuncupari. Poſitus eſt hic in apta prudentiq; diſpoſitione temporis illius qui ſupereſt à communibus actionibus itaut vbi deſinit, & ceſſat ordo communis ac diſciplinæ, ibi ſumat initium & ſeruandus ſit ordo vitæ: ne ſine ordine vnquam viuere deprehendamur. Etenim debet ac ſolet vir ſpiritualis ordinatè viuere, hoc eſt certis ſtatiſq; horis ac temporibus actiones vitæ ſpiritualis ac religioſas virtutes exercere: certam hanc diei ſiue horræ partē lectioni ſpirituali tribuere, illam ſtudio doctrinarum, aliam lucubrationi, canonici precibus recitandis ſuam quoq; dare, & corporis exercitationem non in tempus reijcere incertum. Et ſi talis ordo vitæ eſt neceſſarius ijs qui ſunt in aliquorum religioſorum cætu aggregati, qui gaudent ordine communi & diſciplinæ, vt ſi quod temporis ſpatium ſupereſt exordine communi, vtiliter expendatur, quantò magis erit neceſſarius ijs, qui nullæ familiæ Religioſorum ſunt obſtricti, & libertatem habent quoquo modo viuendi, & diſponendi de rebus, & actionibus ſuis? Certè videò illis eſſe pluſquam neceſſarium, ſed procedamus ad reliqua.

§. 2. *De Motiuis ad amplectendum & tenendum aliquem Vitæ ordinem.*

PRimum motiuum ſit auctoritas Sacræ Scripturæ nos ad ordinem ſeruandum adhortantis. Duos expendo locos. Alter eſt in veteri teſtamenro in libris Canticorum. 2. *Ordinauit in me charitatem.* Loquitur ſponſa introducta in cellam vinariam. Si vertantur hæc ex Hebraico ad verbum ex quibuſdam interpretibus habemus. Vexillum eius ſuper me dilectio. Translatio eſt à militia, in qua vexillo erecto inſtruitur atq; ordinatur acies. Itaq; ſenſus erit: ſtatuit me ſub vexillo charitatis, & iuſſit me hoc ordine militare, ordine, inquā, amoris,

qui non minus ordinatus est quàm acies instructa: Vnde sicut in acie seruatur & ordo rerum in dispositione partium exercitus, & militum tum equitum tum peditum; & ordo actionum in pugnando loco & tempore debitis: ita in hoc ordine charitatis disponuntur actiones virtutum tum circa Deum, tum circa seipsum, tum circa proximum suis quæque locis, & temporibus habendæ. Alter locus est in nouo testamento in Epistola 1. ad Corint. 14. quem in principio huius Capitis attuli. *Omnia autem honeste, & secundum ordinem fiant.* Multa disseruerat in eo capite Paulus, de ordine, modoq; loquēdi in Ecclesia ad plebemq; conuersam, [illegible] modica confusio nascebatur tum ex zelo dicendi [illegible] etiam mulieres loquerentur; tum ex imprudentia [illegible], qui præditi dono linguarum varijs linguis loquebantur apud eos, qui non nisi vnam intelligebant. [illegible] præceptorum plenam obsignat caput [illegible] ordinem commendat. *Honeste* S. Ambrosius [illegible] interpretantur, cum pace, & disciplina; [illegible] discordia: posteriore, *secundum ordinem* [illegible] Sanctus Anselmus ad ordinem temporis [illegible], prius & alia posterius agantur: id quod [illegible] quoq; debemus in ordine communi disciplinæ [illegible] perturbatio magna esset si qui prandium præponeret meditationi &c.

Secundum motiuum [illegible] Sanctorum Patrum. *S. Chrysostomus super* [illegible] *Corinthios paulò ante citata grauissimè* [illegible] ædificat vt ordo rectus, vt pax, vt charitas, [illegible] contraria diruunt. Non solùm autem in spiritualibus, [illegible] in alijs omnibus hoc videris. Nam siue in Choro, [illegible] nauigio, siue in curru, siue in castris ordinem confunderis, & maioribus suo loco eiectis in illorum ordinem minora induxeris, omnia corrumpis; & sic quæ sunt suprà, fiunt infrà. Neq; nos ergo ordinē corrumpamus.] *S. Basilius instituens ad vitam solitariam S. Gregorium Nazianzenum*, monet qua ratione vigintiquatuor diei noctisq; horas rectè atq; ordinatè dispenset tum ante, tum post mensam, cui

iubet

iubet horam certam destinari. *S. Ephræm*, in eadem ætate sanctitate florens viro spirituali distributionem tẽporis ordinatã suadet. [Tẽpus, *inquit*, quacũq; in re ita tibi partire vt verseris ordinatè in cibo & potu, in sermone et oratione atq; lectione.] post Annũ millesimũ *B. Petrus Cluniacẽsis Monast. Abbas.* Gisleberto Monacho suo, qui secesserat in eremum, diei totius ordinem præscribens, iubet vt auspicetur diem ab oratione; sequatur hanc meditatio; meditationem lectio spiritualis; hæc tria manuum opus excipiat scribendis primum libris, deinde ne caput oculiuè lædantur, aut tornandis vasculis, alijq. rebus aut mattis texendis aut fiscellis. Nec subtrahit suum sacris mysterijs pcibusq; canonicis. Eadẽ ętate *S. Bernar. Fratrib. Cartusianis de Monte Dei*, Vitæ solitariæ religiosè traducendæ dãs præcepta. [singulis, *inquit*, horis secundum communis instituti canonem sua distribue exercitia, cui spiritualia spiritualia, cui corporalia corporalia, in quibus se exoluat omne debitum, Spiritus Deo, Corpus Spiritui; vt si quid fuerit intermissum, si quid neglectum, si quid imperfectum suo modo, suo loco, suo tempore non habeat impunitum, vel irrecompensatum.] *Ludouicus Blosius Abbas Letiensis in speculo Monachorũ.* [In priuatis tuis, *inquit*, exercitijs vide vt sis ordinatus. Præscribe tibi quid quaque hora agere, et in quo te occupare velis: ità tamen vt si quando vel ex obedientia, vel ex alia causa rationabili seu ex quouis casu emergente quodlibet exercitium abbreuiaberis, aut etiam in totum omiseris non inordinatè angaris.] Omitto alios vitæ spiritualis magistros qui idem suadent.

Tertium Motiuum sit ductum ab vtilitatibus in animam & spiritum redundantibus. Prima vtilitas spiritualis continet pacem, concordiam, quietem; nam ex Augustino nihil aliud est pax nisi tranquillitas ordinis. Et hoc est verum tàm de ordine cõi & disciplinæ, q̃ de ordine vitę. Secũda. Res, quę ordine fiũt, benè fiunt; nam inter circunstantias, quæ bonam actionem faciunt, Theologorum omnium sententia tempus, & modus requiruntur. Vnde *B. Laurentius Iustinianus. de discipl. & præf.*

qui non minus ordinatus est quàm acies instructa: Vnde sicut in acie seruatur & ordo rerum in dispositione partium exercitus, & militum tum equitum tum peditum; & ordo actionum in pugnando loco & tempore debitis: ita in hoc ordine charitatis disponuntur actiones virtutum tum circa Deum, tum circa seipsum, tum circa proximum suis quæque locis, & temporibus habendæ. Alter locus est in nouo testamento in Epistola 1. ad Corint. 14. quem in principio huius Capitis attuli. *Omnia autem honestè, & secundùm ordinem fiant.* Multa disseruerat in eo capite Paulus, de ordine, inquā; loquēdi in Ecclesia ad plebemq; conuersam, [illegible] modica confusio nascebatur tum ex zelo dicendi [illegible] etiam mulieres loquerentur; tum ex imprudentia [illegible], qui præditi dono linguarum varijs linguis [illegible] apud eos, qui non nisi vnam intelligebant, [illegible] præceptorum plenam obsignat caput verbis [illegible] quibus ordinem commendat. *Honest* S. Ambro[illegible] interpretantur, cum pace, & disciplina; [illegible] discordia: posteriore, *secundùm ordinem* [illegible]. Sanctus Anselmus ad ordinem tempori[illegible], prius & alia posterius agantur: id [illegible] quoq; debemus in ordine communi disciplinæ [illegible] perturbatio magna esset si qui prandium præponeret meditationi &c.

Secundum motiuum [illegible] Sanctorum Patrum. *S. Chrysostomus super il[illegible] ad Corinthios paulo ante citata grauissimè [illegible]* ædificat vt ordo rectus, vt pax, vt charitas, [illegible] contraria diruunt. Non solùm autem in spiritualibus, [illegible] in alijs omnibus hoc videris. Nam siue in Choro [illegible] nauigio, siue in curru, siue in castris ordinem confunde[illegible] maioribus suo loco eiectis in illorum ordinem minora [illegible]xeris, omnia corrumpis; & sic quæ sunt suprà, fiunt infrà. [Neq; nos ergo ordinē corrumpamus.] *S. Basilius instituens ad vitam solitariam S. Gregorium Nazianzenum*, monet qua ratione vigintiquatuor diei noctisq; horas rectè atq; ordinatè dispenset tum ante, tum post mensam, cui

iubet

iubet horam certam destinari. *S. Ephræm*, in eadem ætatè sanctitate florens viro spirituali distributionem tēporis ordinatā suadet. [Tēpus, *inquit*, quacūq; in re ita tibi partire vt verseris ordinatè in cibo & potu, in sermone et oratione atq; lectione.] post Annū millesimū *B. Petrus Cluniacēsis Monast. Abbas.* Gisleberto Monacho suo, qui secesserat in eremum, diei totius ordinem præscribens, iubet vt auspicetur diem ab oratione; sequatur hanc meditatio; meditationem lectio spiritualis; hæc tria manuum opus excipiat scribendis primum libris, deinde ne caput oculiuè lædantur, aut tornandis vasculis, alijq, rebus aut mattis texendis aut fiscellis. Nec subtrahit suum sacris mysterijs p̄cibusq; canonicis. Eadē ętate *S. Bernar. Fratrib. Cartusianis de Monte Dei*, Vitæ solitariæ religiosè traducendæ dās præcepta. [singulis, *inquit*, horis secundùm communis instituti canonem sua distribue exercitia, cui spiritualia spiritualia, cui corporalia corporalia, in quibus se exsoluat omne debitum, Spiritus Deo, Corpus Spiritui; vt si quid fuerit intermissum, si quid neglectum, si quid imperfectum suo modo, suo loco, suo tempore non habeat impunitum, vel irrecompensatum.] *Ludouicus Blosius Abbas Lætiensis in speculo Monachorū.* [In priuatis tuis, *inquit*, exercitijs vide vt sis ordinatus. Præscribe tibi quid quaque hora agere, et in quo te occupare velis: ità tamen vt si quando vel ex obedientia, vel ex alia causa rationabili seu ex quouis casu emergente quodlibet exercitium abbreuiaberis, aut etiam in totum omiseris non inordinatè angaris.] Omitto alios vitæ spiritualis magistros qui idem suadent.

Tertium Motiuum sit ductum ab vtilitatibus in animam & spiritum redundantibus. Prima vtilitas spiritualis continet pacem, concordiam, quietem; nam ex Augustino nihil aliud est pax nisi tranquillitas ordinis. Et hoc est verum tàm de ordine cōi & disciplinæ, q̄ de ordine vitę. Secūda. Res, quę ordine fiūt, benè fiunt; nam inter circunstantias, quæ bonam actionem faciunt, Theologorum omnium sententia tempus, & modus requiruntur. Vnde *B. Laurentius Iustinianus. de discipl. &*

praef. monac. conuers. cap. 10. [Quæque res, ***inquit***, quæque operatio, vt Deo placeat & virtuosè fiat habere debet in se tempus, modum & intentionem.] Tertia in eo posita est vt qui ordinatè viuat multò plura faciat, quàm si sine ordine viueret, non enim tempus insumit in consultando quænam actio sit vtilior ac præmittenda; cuinam operi manus prius admoueat, sed absq; temporis iactura continua successione multa peragit. Quarta est acquisitio multorum habituum bonorum, atq; in primis disciplinæ, vitæq; regularis in religiosis; quam non percipit inordinatus, qui nunquam aut rarò temporibus statutis orat, legit, studet, manibus laborat. Actus enim frequentari debent, vt habitus comparetur, eodem tempore, modo, cæterisq; circunstantijs, quæ in vsu virtutis requiruntur; quod Philosophi & Sancti Patres vna voce clamant. Ex habitu comparato nascitur facilitas, ex facilitate delectatio, ex delectatione celeritas, & alacritas, quæ sic dilatant cor Ecclesiastici vt currat in via mandatorum, votorum, & consiliorum, & quemadmodum loquitur scriptura faciat Dei voluntatem Corde magno & animo volenti. Quinta. In vita ordinata vitatur tædium, otium, fabulæ effusio ad exteriora. Hinc prudentes Religionum institutores ac moderatores ita diurnum, nocturnumq; tempus in cænobijs partiti sunt, vt otio, fabulisq; nulla temporis portio relinquatur, nisi religiosis illis, qui regularem ordinem deseruerint. Sexta. Extraneorum ædificatio. Hi ordinem admirati concipiunt opinionem honorificam de sapientia, probitateq; domesticorum, totiusq; Religionis. Et idē dicendum de ordine actionum & vitæ cuiusq; personæ.

Quartum motiuum sit ex vtilitate, quam valetudini corporis affert vita ordinata. Et fit manifestum ex damnis, quæ contrahit corpus ex inordinata ratione viuēdi. Obseruauit id Aristoteles, qui probaturus motum ordinatum esse naturæ congruentiorem, quàm inordinatum. Argumentū, inquit, quod cum ordinatè & laboramus, & bibimus, & comedimus, naturam, viresq; nostras & seruamus & augemus. Contrà inordinatè cum agimus, deprauamus naturam, atq; de suo statu dimo-

mo-

mouemus. Morbos enim naturalis ordinis corporum esse motiones nulli dubium est. Et sanè ipsa experientia docet eos suā labefactare valetudinem qui studendi cupiditatem cohibere nesciunt, atq; ab ea incitati tempore communis quietis ac somni vigilant; alijs comedentibus ipsi ieiunant; alijs ieiunantibus ipsi nimis comedunt; alijs religiosè animum relaxantibus ipsi contemplantur & sic de similibus. Iure optimo reprehendebatur *à Seneca Portius Latro*, qui nesciebat compēsare vires suas; proinde tùm ingenio, tùm Corpori oberat quàm maxime. Addo & prudentiæ laudem obfuscasse; quia pertinet ad eam virtutem, quam discretionem appellant magistri spirituales, dispensatio ordinata virium horarum & exercitationum. Nemo, inquit Seneca, plus ingenio suo imperauit: nemo plus indulsit. In vtraq; parte vehementi viro modus deerat, nec intermittere studia sciebat, nec repetere; Cum se ad scribendum concitauerat, iungebantur noctibus dies: & sine interuallo grauius sibi instabat, nec desinebat nisi defecerat. Rursus cum se dimiserat, in omnes lusus, & in omnes iocos se resoluebat. Ita solebat & ipse cū se assidua, & nunq̃ intermissa contentione fregerat, sentire ingenij lassitudinem quæ non minor est, quàm corporis sed occultior. Deinde paulò post grauiora refert illus peccata & damna. Sæpe cum per totam noctem lucubrauerat, ab ipso cibo statim ad declamandum perueniebat. Iam verò cum rem inimicissimam corpori faceret vetari nullo modo poterat. Post cænam ferè lucubrabat, nec patiebatur alimenta per somnum quietemq; æqualiter digeri; sed perturbata & dissipata in caput agebāt. Itaq; & oculorum aciem cōfuderat, & colorem mutauerat. *Hæc Seneca de Porcio*. Ecce quomodo inordinata viuendi ratio multum detrimenti affert corporis valetudini, & quomodo ordinata confert.

Quintum motiuum ductum sit ab imitatione Dei, Naturæ, Artis & Doctrinæ, Ecclesiæ Catholicæ, & Gubernationis politicæ, & œconomicæ.

Et primò quis non contempletur mirabilem ordinem, quo Deus condidit vniuersa, & per quem admirabilitatem impressit in

sit in operibus suis ; quod considerans Propheta dicebat Mirabilia opera tua & anima mea cognoscit nimis. (Non loquimur hic de ordine collocationis cælorum, elementorum, aliarumq; rerum inter se : neq; de ordine in actibus internis diuinis, sed de ordine productionis rerum, qui proponitur nobis ad imitãdum.) Summus rerum opifex Deus hanc pulcherrimã vniuersitatem sex distinctis diebus condidit, vt veterum sanctorumq; Patrum est communis opinio, & Sacræ Scripturæ verba satis apertè declarant. Proferam ex Sanctis Patribus *S. Athanasium perspicuè loquentem, lib. 3. aduersus Arian.* [Tota *inquit*, rerum natura intrà sex dies condita est. Et primò quidem lux, quòd spatium diem appellauit : secundò autem firmamentum : tertiò verò in vnum congregans aquas, aridam exhibuit, & varios in ea fructus produxit : quartò solem & lunam fecit, cæterarumq; Stellarum chorum : quintò animalium in aquis, & volucrium in cælo nationem procreauit : sextò quadrupedia in terris ; postremò hominem fecit. Nemini dubitare fas est quin Deus simul omnia temporis puncto producere potuisset, quod eius potestati nihil obsistat : sed libuit in tempore per interualla, distinctis diebus Mundum, eiusq; ornamenta, diuitiasq; procreare duas ob causas ; primùm quidem vt ordo actionum, res pulcherrima in ipsa procreatione cerneretur, deinde ad maiorem diuinæ maiestatis gloriam; tertiò ob vtilitatem mortalium, quibus actionum, temporisq; ordo propositus est ad imitandum.] Priorem causam exhibet *S. Gregorius Nazianzenus orat. 26.* In ordinis laudibus copiosus, qui docet aliud primum, aliud secundum, aliud tertium numerari, & sic deinceps in opificio mundi. [Vt simul, *inquit*, cum rebus creatis ordo statim ingrediatur, qui omnia constituit & colligauit.] Ante S. Gregorium id significauerat. *Philo desertissimus Iudæorũ lib. de opif. mundi his verbis.* [Nam si omnia simul & semel condidisset, minus ordinis fuisset in rebus tàm pulchrè conditis. Nec enim est quicquam pulchri in confuso ordine. Ordo verò est consequentia & series rerum præcedentium & consequentium.] Quòd verò in gloriam diuinæ maie-

maiestatis; demonstrant tùm multæ huius ordinis laudes tùm à Philosophis tùm à Sanctis Patribus traditæ. Quòd etiam ad nostram imitationem, *Sanctus Ambrosius lib. de Abel & Cain cap. 6.* expressit dicens. [Vtiq; simul omnia fieri iubere potuit Deus, sed distinctionem seruare maluit, quàm nos in omnibus imitaremur negotijs.] Alio item loco in opificio Mundi, obseruans quædam prius facta quàm ornata, hæc habet. [Dum Deus successiuè hunc mundum produxit ac perfecit, imitatores sui nos Deus esse voluit, vt primò faciamus aliqua, postea venustemus: nedum simul vtrumq; adorimur, neutrum possimus implere.] *Ita Ambrosius.*

Ordinem verò Naturæ quis non videt: quomodo Natura tàm ordinatè procedat in actionibus, quas vel annua, vel mēstrua, vel diurna vice suis certis horis ac temporibus peragit, quà corrumpendo, quà renouādo, quà renouādo res mortales? Ne longum faciam per omnia rerum naturalium genera percurrendo, duo eligo, quæ nos possunt stimulare vehementer: ex corporibus inanimatis astra cum suis orbibus: ex animatis, Grues in aere. Astra ordinatè procedunt in situ, positione, & et cursu vt videantur quidam ordinatissimus exercitus. Sic vbi legimus nos in Genesi. *Perfecti sunt Cæli, & terra, & omnis ornatus eorum.* Hebraicè, & Chaldaicè habetur. *Omnis exercitus vel militia eorum.* Et quoniam hic stellarū progressus quo oriuntur & occidunt, ex ordine currendi quodammodo est ad numerum, ideò ab auctore libri de mundo ad Alexandrum in choreas quasi quasdam duci dicuntur. Atq; ex eadem numerosa progressione motuq; existimauit Pithagoras musicum gigni concentum, vt M. Tullius innuit, & Macrobius explicauit. Ex hoc constanti cursu, atq; ordine nascendi, progrediendi, & occidendi fit vt illuminent hæc inferiora, diei noctisq; vicissitudinem perpetuam, & mortalibus accommodam efficiant: tum lumine moto quatuor anni tempestatum cunctis animantibus per necessariam aeri, terrisq; inducant varietatem, in qua flores primùm ac frōdes gignunt verè in arboribus & plātis: deinde fructus æstate producant, qui partim eadem tem-

sit in operibus suis? quod considerans Propheta dicebat Mirabilia opera tua & anima mea cognoscit nimis. (Non loquimur hic de ordine collocationis cælorum, elementorum, aliarumq; rerum inter se: neq; de ordine in actibus internis diuinis sed de ordine productionis rerum, qui proponitur nobis ad imitādum.) Summus rerum opifex Deus hanc pulcherrimā vniuersitatem sex distinctis diebus condidit, vt veterum sanctorumq; Patrum est communis opinio, & Sacræ Scripturæ verba satis apertè declarant. Proferam ex Sanctis Patribus S. *Athanasium perspicuè loquentem lib. 3. aduersus Arian.* [Tota *inquit*, rerum natura intrà sex dies condita est. Et primò quidem lux, quòd spatium diem appellauit: secundò autem firmamentum: tertiò verò in vnum congregans aquas, aridam exhibuit, & varios in ea fructus produxit: quartò solem & lunam fecit, cæterarumq; Stellarum chorum: quintò animalium in aquis, & volucrium in cælo nationem procreauit: sextò quadrupedia in terris, postremò hominem fecit. Nemini dubitare fas est quin Deus simul omnia temporis puncto producere potuisset, quod eius potestati nihil obsistat: sed libuit in tempore per interualla, distinctis diebus Mundum, eiusq; ornamenta, diuitiasq; procreare duas ob causas; primùm quidem vt ordo actionum, res pulcherrima in ipsa procreatione cerneretur, deinde ad maiorem diuinæ maiestatis gloriam; tertiò ob vtilitatem mortalium, quibus actionum, temporisq; ordo propositus est ad imitandum.] Priorem causam exhibet *S. Gregorius Nazianzenus orat. 26.* In ordinis laudibus copiosus, qui docet aliud primum, aliud secundum, aliud tertium numerari, & sic deinceps in opificio mundi. [Vt simul, *inquit*, cum rebus creatis ordo statim ingrediatur, qui omnia constituit & colligauit.] Ante S. Gregorium id significauerat. *Philo disertissimus Iudæorū lib. de opif. mundi his verbis.* [Nam si omnia simul & semel condidisset, minus ordinis fuisset in rebus tàm pulchrè conditis. Nec enim est quicquam pulchri in confuso ordine. Ordo verò est consequentia & series rerum præcedentium & consequentium.] Quòd verò in gloriam diuinæ

maie-

maiestatis; demonstrant tùm multæ huius ordinis laudes tùm à Philosophis tùm à Sanctis Patribus traditæ. Quòd etiam ad nostram imitationem, *Sanctus Ambrosius lib. de Abel & Cain cap. 6.* expressit dicens. [Vtiq; simul omnia fieri iubere potuit Deus, sed distinctionem seruare maluit, quam nos in omnibus imitaremur negotijs.] Alio item loco in opificio Mundi, obseruans quædam prius facta quàm ornata, hæc habet. [Dum Deus successiuè hunc mundum produxit ac perfecit, imitatores sui nos Deus esse voluit, vt primò faciamus aliqua, postea venustemus: nedum simul vtrumq; adorimur, neutrum possimus implere.] *Ita Ambrosius.*

Ordinem verò Naturæ quis non videt: quomodo Natura tàm ordinatè procedat in actionibus, quas vel annua, vel mēstrua, vel diurna vice suis certis horis ac temporibus peragit, quà corrumpendo, quà renouādo, quà renouādo res mortales? Ne longum faciam per omnia rerum naturalium genera percurrendo, duo eligo, quæ nos possunt stimulare vehementer: ex corporibus inanimatis astra cum suis orbibus: ex animatis, Grues in aere. Astra ordinatè procedunt in situ, positione, & et cursu vt videantur quidam ordinatissimus exercitus. Sic vbi legimus nos in Genesi. *Perfecti sunt Cœli, & terra, & omnis ornatus eorum.* Hebraicè, & Chaldaicè habetur. *Omnis exercitus vel militia eorum.* Et quoniam hic stellarū progressus quo oriuntur & occidunt, ex ordine currendi quodammodo est ad numerum, ideò ab auctore libri de mundo ad Alexandrum in choreas quasi quasdam duci dicuntur. Atq; ex eadem numerosa progressione motuq; existimauit Pithagoras musicum gigni concentum, vt M. Tullius innuit, & Macrobius explicauit. Ex hoc constanti cursu, atq; ordine nascendi, progrediendi, & occidendi fit vt illuminent hæc inferiora, diei noctisq; vicissitudinem perpetuam, & mortalibus accommodam efficiant: tùm lumine moto quatuor anni tempestatum cunctis animantibus per necessariam aeri, terrisq; inducant varietatem, in qua flores primùm ac frōdes gignunt verè in arboribus & plātis: deinde fructus æstate producant, qui partim eadem tempesta-

peſtate, partim autumno matureſcunt: tum hieme plantas quieſcere ſinant vt vires nouas ad generationem ſumant. Idē ferè dici poteſt de animantibus, quarum generationem vt cæterarum rerum à Sole, Luna, cæteriſq; aſtris pendere eſt inconfeſſo apud Philoſophos. Sed quid dicam de Gruibus quomodo ſtata hora omnes obdormiſcunt, ſtata item hora omnes expergiſcuntur: certo tempore clamant omnes; certo item acclamāte vna per vices, cæterę ſilent: nonnunquam ſilent omnes, vel ſe ſuburrantes iniecto in os lapillo vel ſine lapillo, voluntario ſilentio præſagiunt ac prænuntiat ſerenitatem? Quomodo ordinatè ſimul volantes procedunt? Et volantes quomomodo artificiosè literam Græcorum deltam conficiunt, quæ triangulum efficit æquilaterum? Vnde dixit Diuus Hieronymus. Grues vnam ſequuntur ordine literato. Ferunt ex hoc ordine didiciſſe priſcos ductores militum aciem cuneatam. Etenim benè ſcindit aerem hæc figura acuminata. Cauent ab ea turbanda ſtudio diſciplinæ: cauent ab ordine deſerendo; ne vel à vento, vel ab hoſtibus abripiantur. Poſſem plurima alia Naturæ exempla in medium adducere, præſertim de apibus, & formicis; ſed propero ad alia.

Accedo ad doctrinas & ad artes, quæ ſine ordine neq; addiſci, neq; tradi poſſunt. [Optimus eſt, *inquit S. Gregorius Nyſſenus*, in diſciplinis ordo.] Addo neceſſarium eſſe primùm inter ipſas ſcientias vt Gramatica Logicę, Logica Philoſophiæ, hæc Theologiæ præmittatur. Deinde neceſſarius eſt adeo in ipſis doctrinis vt ineptus magiſter cenſeatur is, qui ſine methodo docet. Etenim & tradere & addiſcere oportet prius illa, quę ducunt in cognitionem poſteriorum, ſeu ſine quibus ſequentia non intelliguntur; quoniam noſtra mens non niſi ex cognitis ignota cognoſcere poteſt. Proinde magiſter Philoſophorum methodum omnem ad duas vias reduxit, quas ad initia, & ab initijs nuncupauit: Vnde poſteriores Philoſophi compoſitiuum ordinem, & reſolutiuum deduxerunt, illum qui ex principijs progreditur ad finem; hunc qui ex fine procedit ad principia.

Sed

Sed & ipsa Ecclesia Catholica, quis non miretur quam sit ordinatissima vt castrorum acies? Tum quia Dei parentis imitatrix est in opificio mūdi; quod longa oratione demonstat S. Gregorius Nazianzenus: Tum quia imago est patriæ celestis: quæ dicitur Ecclesia triumphans, de cuius ordine mirifico legantur interpretes Apocalypsis: Tum quia est à domo Salomonis figurata, quæ propter ordinem mirabilem, Reginam Sabam in stuporem adduxit. Omitto hic ordinem ministrorū, qui non facit ad nostrum propositum; & obseruo tantummodo ad nostrā imitationē ordinem actionum spiritualium ad religionem erga Deum spectantium in certa tempora, atq; horas distributarum. Præclarè enim ait S. Nilus ordo, si in vlla re, in religionis cultu maximè est necessarius. Propterea ante aliquot secula conscriptus fuit liber, qui inscribitur ordo Romanus, antiquus de diuinis Catholicæ Ecclesiæ officijs, & ministerijs per totius anni circulum: qui liber editus est vnà cum multis alijs, qui de ritu atq; ordine Missæ, canonicarum horarum, aliarumq; actionum Ecclesiasticarum pertractāt. Et sanè in horis canonicis decantandis, seu recitandis, statis horis ac temporibus certis, semper obseruantissima fuit Ecclesia.

Venio demum ad gubernationem tum militarem, tum politicam, tum æconomicam. In gubernatione militari tanti fit ordo, vt in eo ponantur omnia. Multitudinem inordinatam esse potius victimam, quam pugnam alicubi scripsit Vegetius. Turbatos exercitus sibi ipsis impedimento esse tradidit Quinctilianus. Exercitus bene esse, docuit Aristoteles, magis in ordine positum esse, quàm in duce; quia dux est constitutus propter ordinem. Hinc militum turmæ dicuntur ordines: & Romani florente Rep. tenacissimi erāt disciplinæ militaris, in qua præcipuus est ordo, seuerissimeq; castigabantur ordinis desertores, vt docti viri de militia Romana scribentes obseruarunt: nec boni Duces aliud prius quærunt in pugna, quàm hostilis exercitus ordinem turbare. Hinc B. Laurentius Iustinianus. Confusa, inquit, & inordinata pugna facilè prosternitur & dissipatur. Gubernatio quoq; politica simul & æconomica, si

S bonæ

bonæ sint, amantissimæ & tenacissimæ sunt ordinis. Vnde idē B. Laurentius de discipl. & perfect. min. conuers. cap. 10. [Omnes prouinciarum duces, ciuitatumq; rectores, quo prudentiores sunt, eò populum sibi commissum ordinatius regunt.] Ex ordine mirabili magni huius palatij, quod Mundus dicitur, colligi docet S. Athanasius summi Dei gubernatoris præsentiam; & iure, quia ad prudentem & sapientem rectorē pertinet ordinare. Hinc illa memorabilis *B. Augustini*, sententia metientis optimam gubernationem ex ordine temporis & actionum, *sic enim lib. de optim. mon. cap.* 18. *ait.* [Et ipsa est optima gubernatio vt omnia suis temporibus distributa ex ordine gerantur; ne animum humanum turbulentis implicationibus inuoluta perturbent. Domus est parua Ciuitas, paruusq; mundus, proinde suum domesticum ordinem habet à patre familias. Vt ergo boni Ciues ciuitatum ordinem, boni filij familias domesticum seruant; sic nos debemus facere in nostra operationum Republica vt omnes ordinatæ sint.] Et hæc de motiuis ad ordinem amplectendum et tenendum in nostris actionibus, & in ipsa viuendi ratione.

§ 3. *De Modo exercendi ordinem, & ipsa ordinata præstandi.*

QVia varia sunt Personarum, immo ipsorum Ecclesiasticorum genera; nam alij sunt Regulares, alij seculares; & ipsorum omnium varij gradus, & dignitates; & proinde etiam varia munera, officia, negotia & occupationes, ideò nō potest designari vnus, & idem, vniformis & inuariabilis ordo pro prædictis omnibus, sed vnusquisq; præscribere sibi potest talem suarum actionum ordinem, talemq; temporis & horarum distributionem, qualem sua conditio, status, dignitas, & munus patiuntur. Si quis tamen optaret habere aliquod exemplar, ad cuius instar posset & ipse consimilē sibi ordinem Statuere afferam ordinè vitæ, quem tenebat Venerabilis Dei seruus Alexander Saulius Episcopus primùm Aleriæ in Corsica

ca (cuius insulæ meruit vulgò dici Apostolus) deinde Ticini èx nostræ Congregationis familia, cuius expectamus propediem in Beatorum album per Sanctissimũ adscriptionem Diuina opitulante gratia. Is igitur (vt ex processibus ꝑ ipsius canonizationẽ formatis habetur) talem seruabat diurnum vitæ ordinem quando non infirmabatur, aut Diæcesis visitatione detinebatur. Diebus ferialibus post noctumam quinq; horarum quietem surgebat è stratulo; & trium horarum spatio in suo consueto orationis recessu orabat mentaliter solus sine lumine. Deinde si dies illucescebat vacabat orationi vocali recitando Horas breues B. Virginis cum illius corona vt dicunt; nec non Psalterium cum officio defunctorum. Si autem adhuc tenebræ erant, vt accidere solet hyemis tempore, sacrarum literarum studio incumbebat; vel literas conscribebat. Tum suam Conscientiam expiabat apud consuetum suum à Confessionibus Sacerdotem. Postea sacrum celebrabat præmissa semper præparatione orationis & mentalis & vocalis prælegẽdo aliquid de aureo illo libello de Imitatione Christi Ioan. Gersoni attributo, quem semper penes se habebat. Post sacrũ peractum vacabat instructioni Clericorum sui Episcopalis seminarij per horam circiter. Frequenter post Clericorum instructionem, si hora prandij differebatur, deambulabat aliquãtulum in hortulo & interim mente ferebatur in Deum; nec rarò positis genibus velut in extasim rapiebatur. Hora refectionis accumbebat mensæ vno aut altero ferculo contentus adhibita semper lectione scripturæ sacræ, aut Sancti cuius festũ illo die agebatur, quam excipiebat Martyrologium. A prandijs conuersationem ducebat cum doctis ac pijs viris, quibus cum de aliqua thelogica materia, vel ad doctrinam vel ad mores pertinente sermo erat. Inde secedebat in suum Conclaue, vbi studijs vacabat vsq; ad Vesperarum horam, quibus persolutis iterum Seminarij alumnos instruebat. Quo peracto frequenter inuisebat ęgrotos, eosq; tùm spiritualibus tum corporalibus subsidijs recreabat. Domum reuersus studium repetebat vsq; ad horam vespertinæ refectionis; quam condiebat

ſolita ſpirituali lectione, inde erat illi ſermo cum præfatis viris ad animi aliquantulum leuamen. Poſtremò conuocabatur familia dato ſigno ad conſcientiæ expiationem, ad recitandas Beatæ Virginis letanias, atq; ad aſperſionem aquæ luſtralis cum oratione *Viſita quæſumus Domine* &c. quo deniq; perhabito vnuſquiſq; cum ſilentio ad ſuum dormiturus ſe recipiebat cubile. Singulis autem diebus Sabbatinis veſperi ſermonem habebat vniuerſæ familiæ de recta piaq; viuendi ratione. Diebus feſtiuis eumdem penè ordinem tenebat excepto eo quòd perſolutis precibus, ſi per valetudinem aut alias occupationes licebat, templum adibat confeſſiones quorumcunq; accedentium excepturus vſq; ad horam habendi miſſarum ſolemnia inter quæ concionem vnius horę ad populum habebat. Peracto ſacro diuina emologeſi frequentem populum reficiebat. A prandijs templum iterum repetebat catechiſmum traditurus ad paruulos & rudiores. Et huiuſmodi fuit ordo vitæ, & actionum venerabilis huius viri: Quem vtinam nos Eccleſiaſtici ſi non ita adamuſſim, aliqua ſaltem ex parte imitaremur; ſed vnuſquiſq; proprium donum habet à Deo; alius quidem ſic; alius verò ſic.

Verũ nõ eſt ſatis ſtatuiſſe ſibi ordinẽ actionũ gerẽdarũ, tẽporiſq; diſtributionẽ ad Horas Canonicas, ad Miſsã, ad lectionẽ, ad orationẽ, ad refectionem, ad recreationem, ad ſtudium, ad negotia, & ſimilia: ſed opus eſt illis benè perfungi; nam vt habetur Deuteronomij. 6. *Iuſtè quod iuſtum eſt proſequaris*, ideſt ea quæ ſunt iam ex ſe recta & bona, etiam rectè & bene peragito. Diuus Hieronimus ſcribens ad Paulinum, qui eo nomine prædicabat ipſum Hieronymum Beatum, quod commoraretur Hieroſolymis, vbi peracta ſunt noſtræ redemptionis myſteria, ſic dicit. *Non Hieroſolymis vixiſſe; ſed Hieroſolynimis benè vixiſſe laudabile eſt.* Sic poſſumus & nos dicere. Non diuini officij penſum perſoluiſſe; ſed benè perſoluiſſe laudabile eſt. In hoc ſtat noſtrum bonum, progreſſus ſpiritualis, omniſq; noſtra perfectio, nimirum vt ea, quæ agimus, benè agamus. Si v.g. illam orationem, quam quotidie habemus,

benè

benè habeamus. Si Missã, q̃ celebramus, debita animi corporisq; præparatione, attentione, reuerentia, gratiarumq; actione celebremus. Si diuinum officium, quod persoluimus, attentè, reuerenter & deuotè persoluamus. Si Sacramenta, quæ administramus, ritè ac rectè debita vitæ sanctimonia, ac intentione administremus. Et sic de cæteris Ecclesiasticis functionibus, vitæq; actionibus. In eo tota res nostra consistit non vt quis simpliciter Ecclesiasticus sit; non vt Sacerdos sit, non vt Parochus sit: Sed vt bonus Ecclesiasticus, bonus Sacerdos, bonus Parochus sit.

Semen illud, quod Euangelicus seminator terræ mandauerat, vtiq; in se bonum erat, attamen non eumdem fructũ vbiq; protulit; sed quà trigesimum, quà sexagesimum, quà centesimum. Sic semen piarum actionum, & sacrarum Ecclesiæ functionum non in omnibus eumdem meritorum & salutis fructũ producunt sed iuxtà dispositionem agentium & iuxtà modum agendi. Et hoc est benè tenendum. Videat vnusquisq; de quorum ipse numero sit, an ex illis qui trigesimum, vel sexagesimum, vel centesimum fructum reportant. O vtinam non essemus magis de illorum numero, quos Apostolus scribit superædificare fundamento fidei lignum, fænum & paleas, quæ ardebunt in die Domini. Caueamus ne ea, quæ ratione muneris nostri peragimus, inutiliter & infructuosè, & quod deterius est, perniciosè agamus. Attendamus, vt cum Diuo Gregorio eloquar, ne bona quæ agimus euanescant; ne per hoc, quod à nobis rectè geritur, fauor aut gratia humana requiratur; ne appetitus laudis subrepat, & quod foris ostenditur, intus à mercede euacuetur.

§. 4. *De Varijs exemplis circa disciplinam de ordine actionum.*

SAmuel Propheta in primis nobis in exemplum vitæ ordinatæ proponitur *à S. Gregorio Papa lib. 5. cap. 4. in* 1. *Reg.* 9. dum explanat ea verba puellarum ad Saulem, qui quærebat Sa-

Samuelem Videntem in historia Regum. Hic est: ecce ante te, festina nunc, hodie venit in Ciuitatem. Quasi dicant, *inquit Gregorius*, si id, pro quo in ciuitate venit, expleuerit, videre in secreto suo repositum non potestis. Quod profecto verbum non ad verbum sed ad exemplum Religiosorum est. Nam Sanctus vir tantæ erat districtionis vt statutas dies, & horas haberet, in quibus eum, qui cuperet, videre potuisset. Dicunt ergo: festina: ac si dicant: si statutum tempus transierit in horis suæ quietis, verbis aut actionibus non intendit. Quia ergo remotæ vitæ ordinem sumpsimus, hoc obseruate attentius debemus. Statuendæ nobis sunt horæ ministerij vt breuiter persistamus in opere, festinanter redire valeamus ad contemplationis arcem. *Hæc S. Gregorius.*

Cum Samuele associemus Danielem pariter prophetam, de quo legimus, cap. 6. scriptum. *Ingressus est domum suam, & fenestris apertis in cænaculo suo contrà Ierusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat, confitebaturq; coràm Deo suo, sicut & antea facere consueuerat.* Postrema verba demonstrant consuetudinem orandi statis horis. Quod si morem hunc ordinatum habebat in precando, verisimile est sui similem in reliquis actionibus vitæ fuisse.

Descendamus ad tempora Euangelica. Theodoretus de Publio Eremita. Nemo vnquam vidit quiescentem vel minimam parte diei; sed psalmodiam quidem oratio; orationem verò psalmodia; vtramq; autem excipiebat diuinorum colloquiorum lectio. Deinde cura hospitum venientium; deinde faciebat aliquid ex operibus necessarijs.

Idem de Simone Stylita. Totam noctem & diem vsq; ad horam nonam orat perpetuò. Post nonam autem, primum quidē diuinam doctrinam exhibet præsentibus. Deinde audita vniuscuiusq; petitione cum aliquas fecerit curationes, componit lites eorum, inter quos est controuersia. Circa occasum autē solis deinceps incipit conuenire Dominum.

Theodosius iunior Imperator, cuius aula ob sanctitatem asceterium dicebatur, diem more Religiosorum partiebatur,

tri-

tribuens horas suas precationi, scriptioni, negotijs, vt obseruauit Matthæus Raderus qui aulam Sanctam scripsit.

Idem Raderus refert Anachoretam interrogatū à iuniore, quem ordinem viuendi seruaret, respondisse. Horas quaternas noctu somno indulgeo; quaternas rei diuinæ tribuo; totidem operi. Rursum de die vsq; ad sextam laboro; à sexta ad nonam lego sacros codices; hora nona paro cænulam; & si quid extrà ordinem in domicilio meo curandum est.

At ne putemus solos viros Sanctos ordinis priuati studiosos fuisse audiatur ex eodem auctore Alexandra virago, quæ pudicitiæ conseruandæ gratia se abdidit in sepulchro. Rogata enim à Melania, quomodo otium, quod maximum sæpe parit Religiosis negotium, falleret. A prima, inquit, luce vsq; ad nonam certis Deum precibus adeo; proximam horam lanæ faciendæ, & penso trahendo impendo. Deinde cælestium heroum vitas disco, & fortissima facta recognosco, quibus pro Deo, Christoq; testando sanguinem expenderunt. Vbi demū cæpit aduesperascere laudibus Deo, Diuisq; dictis, cibum gusto. Noctem maximam partem in votis & precibus pono.

Propioribus nostro seculis S. Bernardinus Senensis quotidie matutinis precibus, meditationi, scriptioni, lectioni, proximis consulentibus certas, statasq; dabat horas, vt in eius vita legitur apud Surium, qui etiam aliorum plurimorum Sanctorum consimilem vitæ ducendæ ordinem refert vt patet legenti illorum vitas.

CAPVT DECIMVM.

De Disciplina cohibente frequentes obambulationes, & Negotia impertinentia, deq; Amore solitudinis.

Solitudo sola beatitudo dicebat Eminentissimus Sanctæ Ecclesiæ Princeps Cardinalis Franciscus Boncopagnus Archiep. Neapolit. vitæ integritate, doctrinæ præstantia, dignitatis sublimitate, ac nobilitate generis clarissimus. Et iure quidem

dem optimo, quia ex amore solitudinis & silentij multorum malorum deuitatio, & multorum bonorum adeptio consequitur: vt ex dicendis patebit. Ideo videndum primò Damna quę sequuntur ex inutilibus circuitionibus, & negotijs ad Ecclesiasticos impertinentibus; Quæ damna per solitudinem & silentium deuitantur. Secundò Vtilitates consequentes ipsam solitudinem & silentium. Tertiò Modum declinandi ab inutilibus negotijs & circuitionibus. Quartò Exempla varia.

§. I. *De Damnis quæ sequuntur ex inutilibus circuitionibus, & Negotijs impertinentibus.*

VOco Negotia impertinētia, ea quę per sacros Canones ꝓhibētur, quę alibi recēsui *p. par. dist. 2. c.* 11. §. 4. et hic breuiter ꝑcurrā, & sūt. Actio causarū nomine Aduocati, aut Procuratoris corā Iudice seculari. Officiū tabellionatus in ꝓphanis negotijs. Ars medēdi. Inter pres seu mediator seu proxeneta in negotiationibus & mercaturis. Negotiatio omnis generis. Cōductio prædiorum alienorum lucri causa. Susceptio curæ, aut tutelæ aliorum. Fideiussio pro alijs. Procurator negotiorum Principis aut alterius. Famulatus laicorum etiam Principum. Præcursor aut assecla fæminarum, & similia. Igitur Ecclesiastici, qui se implicant huiusmodi & similibus negotijs secularibus, & impertinentibus ad ipsorum statum; aut verò inutiliter tempus terunt, & otiosè huc illucq; perambulant, multa mala incurrunt.

Primò amittunt tempus, quæ est res pretiosissima, & cuius à nobis à Deo reddendam esse rationem docuit S. Gregorius Nazianzenus, præsertim cum amissum nunquam recuperari possit, ꝙ auri argentiq; dissimilitudine docebat senior quidam Monachus apud Dorotheum. Tempus autem amittitur non solum in otio cum nihil planè agitur, sed etiam in negotio cum id agitur quod non oportet, vel non expedit, vel alienum est à nostra professione. *Seneca, sic inquit.* [Quædam tempora eripiuntur nobis; quædam subducuntur, quædam effluunt. Turpissi-

pissima tamen est iactura, quæ per negligentiam venit: & si volueris attendere magna vitæ pars elabitur malè agentibus; maxima nihil agentibus; tota aliud agentibus.] Non discordat. *S. Bernardus lib. de vit. solit.* [otiosum, *inquit*, non est vacare Deo; immo negotium negotiorum omnium hoc est: Quod quicunq; in cella non agit fideliter & feruenter, quodcunq; agit, quod propter hoc non agit, scilicet vt Deo, seruiatur: in eo, quod agit, otiatur.] optimum producit S. Doctor suæ doctrinæ fundamentum ab Hieronymo, Gregorio, Theologisq; receptam sententiam. *Otiosum id esse, quod nullam habet vtilitatem, vel vtilitatis intentionem.* Talia sunt negotia secularia & impertinentia.

Secundò exponunt se periculo peccandi in tractatione negotiorum secularium. *S. Hilarius in psal. 1. declarando quid sit apud Psalmistam cathedra pestilentiæ ait.* Multos, etiam in metu Dei constitutos secularium tamen honorum ambitio corrũpit; & volunt Ecclesiæ legibus subditi, fori legibus iudicare. Sed quamquam ad hæc ipsa officia, quæ agunt, ferant secum religiosam voluntatem beneuolos sese continentesq; præstando: tamen necesse est eorum, in quibus diuersabantur, negotiorum quodam pestilenti contagio polluantur. Publicarum enim causarum ordo manere eos volentes etiam in Ecclesiasticæ legis sanctitate non sinit. Et quamuis religiosi propositi tenaces sint, tamen necessitate sedis obtentæ, cum ad contumeliam, cum ad iniuriam, cum ad pænam, cunctantẽ licet voluntate, coguntur, facit eos necessitatis ipsius participes, cum tanquam lue morbida imbuuntur.] *Hæc Hilarius de Episcopis causas iudicare coactis.* Hoc multo magis dici potest de Ecclesiasticis regularibus, qui dum secularia negotia tractare volũt iterum se in pelagus immittunt, vnde emerserant, dum in portum religonis sese pacificè receperant. Contrà quos proferri potest illa *S. Ioannis Damasceni similitudo de Nautis in lib. 3. paralell. c.74.* [Nautæ, *inquit*, & gubernatores nihil non agũt vt mare traijciant atq; ad portum perueniant. Nos contrà id obnixo studio contendimus, vt in negotiorum huiusce vitæ

fluctibus ac tempestate iactemur: quippe qui in foro ac tribunalibus perpetuò versemur.] *B. Petrus Damianus* Monachos suos adhortans vt secularibus relinquant secularia iura componere profert Aaronis exemplum, qui Moyse ad montem ascendente cum populo remansit, & idolum fabricatus est: tum comminans illis ex periculo peccandi, lapsum; nisi se ipsos moderentur *hac ait.* [Sic nimirum, sic plerumq; contingi, vt qui propriæ non contentus, alienæ progreditur saluti consulere, sui potius cogatur periculum sustinere: cumq; alij velut inter procellosa naufragia palpitanti manum porrigit, ipsum quoq; præcipitem vorax fluctus inuoluit.] Postea subdit tutius esse illis è littore lumen præbere naufragis, quàm se ad eos liberandos in fluctus immittere.

Tertiò. Multum detrimenti reportant in rebus spiritualibus. Nam secularia negotia Ecclesiasticum retardant à perfectione: à studio rerum spiritualium auocant: cor negotiatoris indurãt: ac semen spiritus & deuotionis suffocant. Primùm igitur impediunt ac remorantur Ecclesiasticum ne progrediatur ad perfectionem, quemadmodum deberet. Vnde *S. Ioannes Damascenus hanc de istis profert similitudinem.* [Quemadmodum, *inquit*, qui vinculis adstricti sunt, ægrè incedunt; sic qui huic vitæ implicitì tenentur, virtutis curriculum purè ac plenè perficere nequeunt.] S. Ephrem negotia terrena curasq; seculi arbitratur esse viro præsertim religioso tanquam láqueos quibus aquila teneatur, quo minus euolare possit ad prædam in aera: tanquam capillos, quibus interdum leo retardetur. Deinde mentem auocant à studio rerum spiritualium, quibus oportet addictum & occupatum esse virum religiosæ studiosum perfectionis. Dicit hoc expresè *S. Damascenus, lib. 3. paral. cap. 74. his verbis.* [Inter ea, quæ animum distrahunt, ac mundanis occupationibus distinent, fieri non potest vt quispiam spem, laborem, rerum diuinarum meditationem atq; orationem consequatur.] Confirmat hoc idem Sãctus similitudine oculi qui distractus in diuersa spectanda non potest id intueri ac dispicere, quod menti propositum erat: speculi item

quod

quod sordidum imagines non excipit. Tertiò mentem animumq; indurant ad spiritualia. *S. Gregorij sententia est*, qui de secularium ęstu loquens. [Neq; enim, *inquit*, perfectè homo sufficit ad vtraq; diuisus.] *Et post*. [Curis secularibus intenti, tantò insensibiliores intus efficimur, quantò ad ea, quæ foris sunt, studiosiores videmur. Vsu quippe curæ terrenæ à cælesti desiderio obdurescit animus; & dum ipse vsu suo durus efficitur per actionem seculi, ad ea emolliri non valet, quæ pertinent ad Charitatem Dei.] Quartò suffocant spiritus ac deuotionis semen: quemadmodum illud bonum Euangelij semen spinæ suffocabant. Secularia enim omnia spinæ dicuntur à S. Chrysostomo. Vt spina, inquit, vbicunq; tangitur, tangentem pungit: ita secularia vbicunq; comprehendes, lædunt. Verùm non huiusmodi spiritualia sunt, sed margaritæ cuidam assimilantur, quam cum tractaueris, oculos delectat. *S. Basilius idem sensit*, cum illum Euangelij locum respiciens & illustrans *ait*. [Spinæ namq; carnis voluptates, & diuitiæ, & curæ sunt huius seculi. Acumen autem, quo pungunt, rectè dixeris solicitudinem, quam secum ferunt. Etenim Saluator spinis pares fecit solicitudines, cum de semine in spinas lapso dixit. Hi sunt qui audierunt, & à solicitudinibus & diuitijs, & voluptatibus vitæ euntes suffocantur, & non referunt fructum.]

§. 2. *De Vtilitatibus, quæ consequuntur solitudinem & silentium.*

DVas præcipuas vtilitates ego deprehendo in solitudine vt cæteras omittàm. Prima est quia remouet multorum malorum tùm culpæ tùm penæ occasiones. Secunda præbet oportunitatem familiarius conuersandi cum Deo, arctiusq; illi per amicitiam vniendi.

Vt igitur exordiamur à prima. Quis nesciat quanta spirituali ægritudine anima nostra laboret? quàm prona sit ad peccãdum? quanta sit vis prauæ consuetudinis? quantum nos mo-

neant mala aliorum exempla? quantus sit ignis concupiscentiæ, qui in nobis residet? Et quis ergo in medio occasionum peccandi positus non peccabit? Quis continere se poterit? Quis tanget picem & non inquinabitur ab ea? Quis communicabit superbo & non induet superbiam? An nescimus quod modicum fermentum totam massam corrumpit? An ignoramus quod corrumpunt bonos mores colloquia praua? Sicut in venis silicis quædam ignis scintillæ latent, quæ vbi silex ferro percussus fuerit emicant protinus, quibus facilè ignis accenditur: eodem modo cum tàm ex corruptæ naturæ vitio, quàm ex deprauatæ consuetudinis noua tyrannide cupiditatũ scintillæ, & semina in imo pectore velut in silice lateant; procuIdubio statim atq; peccandi opportunitas oblata fuerit, illę, quæ prius veluti sopitæ videbantur, excitantur: & quæ intus latebant foras erumpunt. Quid diceres de infirmo, qui baculo innixus pedibus vix consistere posset, si quis illum impellere, atq; prosternere conaretur; staret ne? Vtiq; graui casu corrueret. Hinc psalmista. Cum peruerso peruerteris. Hinc Apostolus. Ne commisceamini fornicarijs; & cum huiusmodi nec cibum sumite. Hinc Seneca amico cuidam suo scribens sic ait. [Quid tibi vitandum præcipuè existimem quæris? Turbam. Ego certè confiteor imbecillitatem meam. Nunquam mores, quos extuli, fero. Aliquid ex eo, quod composui, turbatur. Aliquid ex his, quæ fugaui, redit. Auarior redeo, ambitiosior, luxuriosior; imo verò crudelior, inhumanior, quia inter homines fui. Subducendus populo est tener animus, & parum tenax recti. Facilè transitur ad plures. Vnum exemplum luxuriæ aut auaritiæ multum mali facit. Conuictor delicatus paulatim eneruat & emollit. Vicinus diues cupiditatem irritat. Malignus comes quamtumuis candido & simplici rubiginem suam africuit. Quid tu accidere his moribus credis, in quos publicè factus est impetus? Necesse est aut imiteris, aut oderis: Vtrũq; autẽ deuitandum est, ne vel similis malis fias qui multi sunt; vel inimicus multis quia dissimiles sunt.] Hæc non minus sapienter quàm eleganter Seneca. Quodnã igitur remediũ in tot malis

lis præsto erit nisi solitudo? nisi fugere? nisi imitari Prophetã, & dicere cum illo. *Ecce elongaui fugiens & mansi in solitudine.* Apes hyberno tempore suæ sibi imbecillitatis consciæ, in aluearibus latent; seu in cauernis terræ timentes si in publicũ prodeant ne vel ab aere & vento rapiantur; vel à pluuia suffocentur; vel etiam ipso frigore rigescant. Et nos similiter agnoscentes nostræ imbecillitatem naturæ ad salutem æternã comparandam; & quantis excidendi periculis sumus vndiq; circumsepti cõsultius latitamus, quàm in publicum prodimus; ne sic vel à vento vanitatis auræq; popularis in superbiam efferamur; vel à curis & cupiditatibus seculi suffocemur; vel tepidorum ignauia tepefacti in Dei cultu & seruitio penitus frigidi efficiamur. Optimum igitur est consilium fugere, secedere, latitare. De viro tali sapiente, qui nouit declinare ab occasionibus peccatorum, & in portum solitudinis se recipere, sic loquitur Propheta. *Isaias. 32. Et erit,* inquit, *vir sicut qui absconditur à vento, & celat se à tempestate.* Profectò qui valido perflante vento, ac toto æquore horrida tempestate commoto; vult tamen obstinatè nauim conscendere, vela dare, & nauigationem arripere; naufragium pati meretur, nec est dignus vt quis illi compatiatur: sic qui ventos, & procellas tentationum, & peccandi occasiones declinare non curat; imo potius quærit; meretur vt deseratur à Deo; & in peccatũ cadere; peccatoq; quasi immergi permittatur. Hoc enim est tentare Deum. Placeat ergo solitudo.

Secũda vtilitas est; q̃a solitudo præbet oportunitatẽ strictius se vniẽdi Deo, ac familiarius iucũdiusq; suauissima illius cõuersatione fruendi. Hinc dicit ipse Deus per Oseã 2. de anima sibi desponsata. *Ducã eã in solitudinẽ, & loquar ad Cor eius.* In solitudine Deus familiariter locutus est Moysi, eũq; ad principatũ sui populi euexit. In solitudine Angelus cõsolatus est Agar ancillã Abrahę. In solitudine Deus familiariter vsus est Elia. In solitudine elegit Deus Ioannẽ ad prædicationẽ. Et quando nos sumus in solitudine, nostraq; corda ab omni vana cupiditate sunt vacua; & ab omni cura, solicitudine, & perturbatione sunt

ſunt libera, tunc Deus ingreditur, ac nobiſcum cænaturus recumbit. Non aperitur autem Cor Deo, niſi præcludatur mundo. Quia nemo poteſt duobus Dominis ſeruire; ſed aut vnum odio habebit, & alterum diliget; aut vnum ſuſtinebit, & alterum contemnet. Hæc eſt ſolitudo, quam Deus diligit, & quam requirit; nempe ſolitudo Cordis, ſummoq; bono, quod eſt ipſe Deus, firmiter adhærere: parum enim prodeſt ſolitudo corporis, ſi defuerit ſolitudo Cordis. Nam in ſolitudine Corporis poteſt quis verſari in turba prauarum cogitationum, & affectionum. Vnde rectè dixit quidam; *Homo ſolitarius aut Angelus aut Diabolus*. Et certè nonnunquam multò melius eſſet alicui conuerſari, mentemq; per conuerſationem aliorum ab iniquis cogitationibus, prauiſq; deliberationibus auocare, quàm in ſolitudine ignem fouere, & antiqui Serpentis ſibilis cordis aures aperire. Sed propter hoc non eſt incuſanda ſolitudo ſed malitia eorum, qui illa male vtuntur, & in ſui perniciem vertunt. Cæterum negari non poteſt quin ipſa ſolitudo corporis & externa multum conducat ad ſolitudinem cordis et internam. Vnde Apoſtolus, Hebr. 11. in numero ſapientum ponit Sanctiſſimos illos viros qui in deſertis & ſolitudine victitabant dum ait. *In ſolitudinibus errantes in ſpeluncis, & cauernis terræ, quibus dignus non erat mundus*. Illos autem ſecuti ſunt qui à communi hominum vita ſegregati, clauſtriſq; concluſi cænobiticam & monaſticam vitam egerunt, quorum inſtitutum adhuc in familijs Religioſorum noſtrorum temporum perſeuerat.

§. 3. *De Modo declinandi à negotijs inutilibus & circuitionibus.*

PRimus Modus eſt fuga occaſionum; quæ apud Principes, & Magnates maximè ſolent eſſe: quo fonte ſiccato curarum huiuſmodi riuuli quoq; exareſcent. Principes negotia ſæpe Eccleſiaſticis præſertim regularibus induſtrijs imponunt; quòd fideliter & parua impenſa ſperent ab illis expeditum iri.

Qui

Qui apud Principem sunt gratiosi multa petunt eiusdem generis; quibus obsequi necesse est si Ecclesiasticus vult aditum apertum ad Principem. Alij, qui illum vident à Principe benignè admitti, precibus illum fatigant vt sua ipsorum negotia sibi sumat Principi vel commendanda, vel expedienda. Verùm si fugerit aulam; aut nonnisi coactus illam aliquando adierit, compresserit opinionem se apud Principem multùm posse; & sic multorum à se negotia secularia repellet.

Secundus Modus est mortificatio seu compressio carnalis affectus aduersus sanguine coniunctos. Hic enim, fons est alter negotiorum secularium, proinde siccandus. Nam hic immoderatus affectus vrget Ecclesiasticum maximè regularem quærere propinquis lucra, dignitates, stipendia; dominos quibus seruiant; dotes filiabus eorum; litis adiudicationem; veniam delictorum, atq; alia eius generis commoda; quorum causa tribunalia, curiæ, fora frequentantur; magistratus, amici, iudices adeuntur, rogantur, fatigantur. Animaduertit id *S. Basilius const. mon. c. 21.* [Diabolus, *inquit*, cum omnes nos de rebus vitæ huius curas exuisse animaduerterit; atq; expeditissimo cursu ad cælum contendere; in hoc elaborat vt cum animum nostrum in propinquorum recordationem reduxerit eò sensim abducat vt rationibus illorum curandis mentem nostrã ad suscipiendas rerum vitæ huius solicitudines impellat &c.] *Post S Basilium, S. Gregorius Papa*, inter alia multa digna lectu, hæc habet in eamdem sententiam. [Nam sæpe quosdam videmus (quantum ad proprium studium spectat) iam præsentis vitæ desideria non habere: mundum & opere & professione reliquisse: sed tamen pro inordinatis affectibus propinquorũ, prætoria irrumpere; terrenarum rerum iurgijs vacare, libertatem intimæ quietis relinquere; & mundi studia in se iamdudum destructa reparare.] *Hæc Diuus Gregorius Sanctissimus & sapientissimus Doctor.*

Tertius Modus est reuocatio sui ipsius ad interiora. Sunt quidam homines siue natura inquieta, & mobili, siue zelo nõ secundùm scientiam, actuosi adeò vt sese ad exteriora penitus effun-

effundant, atq; in omnia negotiorum genera intrudant. Paralysin vocat hoc vitium B.Petrus Damianus, qui sic eos depingit. [Si quid agunt non ad hoc tendunt vt actiuæ vel cōtemplatiuæ vitæ perferant fructum: sed ad hoc potius vt proprij arbitrij suæq; voluntatis expleant appetitum. Hi sunt, qui ad quælibet peragenda negotia huc illucq; votiua iugiter vagatione discurrunt; & dum quiescere nesciunt videri velut obedientes volunt: sicq; morbum vitij, quo laborant, superducto velamine virtutis obumbrant. Hi nimirum non idcirco laboribus atteruntur vt obediant; sed ideò suis præpositis obedire desiderant, vt laborandi materiam non amittant. Otium videlicet tolerāt, labore fruuntur, quia vagationem, quietem; molemq; negotiorum voluere suauem deputant voluptatem.] Hæc B. Petrus Damianus. His igitur remedium erit optimum reuocatio sui ipsius ad interiora; quia contraria contrarijs curantur, vt ab vtrisq; medicis tùm corporalibus tum spiritualibus traditur. Reuocationem hanc suauiter efficiunt duo. Primum, vt in studijs spiritualibus, quibus diebus singulis melior ac melior fiat, inuigilet. Alterum, vt abhorreat se sub qualibet specie actionum secularium laqueis irretiri, (*vt inquit B. Petrus Damianus.*) Habet deputatum sibi propriæ seruitutis officium: sufficere sibi credat si indictæ obedientiæ præscriptū munus possit implere. Illud ad memoriam reuocet quod scriptum est. Eccles. 11. *Caue ne in multis sint actus tui*. Secularibus relinquantur secularia iura componere.

Quartus Modus est; sumere animum atq; audacter negare petentibus importunè à nobis curas, officia, negotia, quæ iure Canonico prohibentur. Interdum hæc à quibusdam Religiosis suscipiuntur, quia sunt in negando timidiores: nonnunquam onerantur alij, quia seculares amici, cognati procaces sunt atq; audaces in flagitandis priuatis commodis, charitatis nomine prætento. Vitiosum illum pudorem, quo quidam petentibus siue æquum, siue iniquum nihil vnquam audent negare, notauit ac iure reprehendit iusto libro Plutarchus lib. de vit. verecun. qui & vincendum docuit, multis adductis documentis

mentis quæ inde petamur. Nobis hoc loco Saluator sit magister, qui Luc. 12. cum ei quidam de turba dixisset. *Magister, dic fratri meo vt diuidat mecum hæreditatem.* Respondit. *Homo quis me constitit Iudicem aut diuisorem super vos.* Concludam cum *Cassiano lib.4. c.36.* & dicam cuilibet Ecclesiastico presertim Regulari. *Caue ne quid aliquando resumas eorum, quæ renuncians abiecisti.*

§.4. *De Varijs Exemplis.*

SOlitudinis, de qua suprà, quanto amore affecti, quanta cura & sollicitudine illius retinendæ præditi fuerint Sãcti, & optimi quiq; viri, multorum exempla testantur; quorum pauca & breuiter adducemus.

Diuus Bernardus tàm exactam coluit solitudinem, & sensuum custodiam, vt per annum integrum in vna cella agens, eam postea relinquens nesciret vtrum adhuc de super celata, vel testudinata domus esset.

Virginem quamdam, quæ se ab omnium virorum oculis remouerat, transiens per locum Sanctus Martinus eiusdem loci Episcopus inuisere voluerat: at illa per alteram mulierem se excusans nec ab eo videri voluit: quod ille & æquo animo tulit, & vehementer laudauit.

S. Hugo Episcopus Gratianopolitanus cũ per annos quinquaginta populum rexisset, nullam vnquam fæminã sic aspexit vt, si occurrisset, ex cõsideratione vultus posset agnoscere: sed & dicebat idem, viros ipsos non contuendos nimium vel attentè, vel frequenter; per communionem quippe humanæ mutabilitatis atq; compassionis fieri vt affectiones aspecti ad memoriam aspicientis frequenter recurrant, & de conspectu irato iratus, de tristi tristis, de lasciuiente lasciuus fiat; quas passiones satis est, inquiebat, habere vnumquemq; proprias; non in se trasfundere opus esse alienas.

Sed in hoc genere maximè excelluit magnus ille Arsenius Imperatorum Arcadij & Honorij pædagogus primùm, postea

Eremita. Hic etiam ipsorum Monachorum, & verè spiritualiũ virorum consuetudinem fugiebat. Cuius rei causam rogatus (cum ab huiusmodi non læderetur; illis verò etiam ipse prodesse posset) respondit. Ego quidem à Charitate vestra multum pendeo. Sed quid agam? Non possum me diuidere Deo & hominibus. Est enim facilius ei placere quàm istis. Angelorum millibus, & decies mille millibus vnus scopus est, & vna voluntas vt Deum laudent, illiusq; mandatis seruiant. Hominibus autem alijs aliæ sunt voluntates, scopiq; & instituta diuersa: & ideò est eis, vt dixi, difficilius placere quàm Deo.

CAPVT VNDECIMVM.

De Disciplina circa Somnum, & de Vigilantia.

NIhil penè frequentius in sacris literis cõmendatur, quàm vigilantia, vt infrà videbimus. Duplex autem est hæc vigilantia: Altera corporis: Altera animæ. Illa excutit somnum; hæc torporem. Illa materialis; hæc spiritualis: vtraq; tamen omnibus, sed præcipuè Ecclesiasticis necessaria; ideò de vtraq; aliquid videbimus. Et primò Motiua ad amplectendũ vigilantiam. Secundò Quæ, qualis, & quàm necessaria vigilantia Corporis à somno: & materialis. Tertiò Quæ, qualis & quàm necessaria vigilantia animi à torpore: & Spiritualis.

§. 1. *De Motiuis ad Vigilantiam amplectendum.*

PRimum motiuum idq; efficacissimũ sunt verba sacræ scripturæ pluribus in locis nos ad hanc vigilantiam adhortantis tùm in veteri tùm in nouo testamento. Et quidem in veteri, sæpe in Psalmis, nempe in vno loco. *Deus Deus meus ad te de luce vigilo.* Et in alio. *Vigilaui & factus sum sicut passer solitarius in tecto.* Et alibi. *Frustrà vigilat qui custodit eam.* Et in Prouerbijs. *Qui mane vigilant ad me inuenient me.* Item. *Qui vigi-*

vigilat ad fores meas quotidie. Et in Canticis. *Ego dormio & cor meum vigilat.* Et in Eccl. siastico. *Qui vigilauerint ad illam.* (.i. sapientiā) *inuenient illam.* Item. *In somnis vide & vigilabis.* Item. *Iustus cor suum tradet ad vigilandum diluculo.* Isai. *De mane vigilabo ad te.* & alibi sæpe.

In nouo autem testamento apertius & frequentius commēdatur. Nam in Euangelio Matthæi dicitur. *Vigilate quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.* Ibidem. *Vigilate itaq; quia nescitis diem neq; horam.* Ibidem. *Vigilate & orate vt non intretis in tētationē.* Et in Euāgelio Marci. *Videte, Vigilate, orate.* Itē. *Quod vobis dico omnibus dico vigilate.* Et in Euangelio Lucæ. *Beati sunt serui illi quos cum venerit Dominus inuenerit vigilantes.* Et in Actis. *Propter quod vigilate.* Et prima ad Corinthios. *Vigilate state in fide.* Et ad Colossenses. *Vigilate in ea in gratiarum actione,* Et prima ad Thessalonicenses. *Sed vigilemus & sobrij simus,* Et secunda ad Timotheum. *Tu verò vigilia in omnibus labora.* Et prima Petri. Vigilate in orationibus. Ibidem. Sobrij estote & vigilate. In Apocalipsi. Esto vigilans & confirma. Ibidem. Beatus qui vigilat & custodit. Quibus omnibus in locis commendatur tùm vigilantia Corporis, tùm Animi; sed hæc magis.

§. 2. *De Vigilantia Corporis & de Somno nimio excutiendo.*

EXpediret, (si possibile foret, & si naturæ necessitas non obstaret) expediret, inquam, omnino à se ablegare somnum. Quid enim aliud est somnus nisi imago mortis vt ille cecinit.

Stulte quid est somnus gelide nisi mortis imago.

Sicut igitur naturaliter refugimus mortem, ita etiam deberemus fugere somnum. Anaxagoras dicebat duas esse mortis doctrinas alteram tempus, antequam nati sumus, alteram somnum. Diogenes Cynius cum periculosè ex morbo grauissimo decumberet, lethali iam somno experrectus, atq; à medicis inVterro-

terrogatus quomodo se haberet? Recte, inquit, me habeo; nā frater fratrem iam iam amplectitur: alludens ad Homerum qui tanaton .i. mortem & ipnon, .i. sonum germanos fecit. Socrates dicere solebat, mortem similem esse profundo somno, aut diutinæ peregrinationi. Tanta est affinitas inter somnum & mortem, vt vnum pro altero accipiatur aliquando. Volens Christus Dominus Lazarum mortuum suscitare dicebat discipulis, quòd dormiret. Lazarus, inquit, noster dormit; sed eo vt illum excitem à somno. Et Apostolus loquens de dormientibus dicit illos esse inter mortuos. Surge, inquit, qui dormis & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.

Cum igitur somnus sit imago mortis, immo sit frater mortis, debemus illum tanquam mortem à nobis propellere; & si non omnē (hoc .n. est impossibile, quia est datus nobis à natura ad instaurandas vires animalis; tunc enim fit cibi, potusq; digestio, fit sanguis, fit alimentum, fiunt spiritus animales, & vitales) si, inquam, non possumus abigere à nobis omnem penitus somnum, saltem immoderatum; nimius enim & immoderatus somnus non parùm officit non solum ipsi Corpori; sed Animo etiam. Scitè enim ac sapienter dixit Cato.

——— nec somno deditus esto.

Nam diuturna quies vitijs alimenta ministrat.

Hac de causa Spirtus Sanctus adhortatur vnumquemq; in Ecclesiastico dicens. [Hora surgendi non te trices; sed præcurre prior in domum tuam; ibi lude, ibi auocare, & age conceptiones tuas & benedicite Dominum qui fecit te, & inebriauit te ab omnibus bonis suis.] Quod bene exequebatur Regius Propheta; proindeq; dicebat. *Media nocte surgebam ad confitendum tibi super iudicia iustificationis tua.* Atq; ad idem præstandum hortatur alios dicens. *In noctibus extollite manus vestras in sancta & benedicite Dominum.* Idem agebat Propheta Isaias; dum loquens ad Dominum ait. *Anima mea desiderauit te in nocte; sed & spiritu meo inprecordijs meis de mane vigilabo ad te.* Et sane, si verum fateri volumus, nihil commodius ad sapientiam excolendum quàm intempestę noctis silentium.

Nocte

Nocte enim persæpe de Deo cogitamus. Nocte lectioni & meditationi diuinarum scripturarum vacamus. Nocte canimus, psallimus, & precibus Deum obsecramus. Vnde non insciтè dixit Euripides. *Habent religionem tenebræ.* Quia reuera tenebræ valdè conferunt conciliandæ pietati & deuotioni.

E contrà sapiens somnolentos increpat dicens. *Sicut ostium vertitur in cardine sic piger in lecto suo.* Nempe sicut ostium in cardine huc illucq; versatum murmurat & tamen à loco suo non recedit, nec exit; ita piger somni amator de lecto se non mouet quamuis in lecto moueatur: si euocetur, murmurat, huc illucq; se vertit, distēdit brachia, manus scalpit; atq; interim cũctatur surgere. Vnde benè cõtrà tale hominũ genus exclamat sapiens. *Vsquequò piger dormies? quando consurges è somno tuo? Paululum dormies; paululũ dormitabis paululum conseres manus vt dormias, & veniet tibi quasi viator egestas & paupertas quasi vir armatus.* Quæ omnia quamuis mysticè & spiritualiter intelligenda sint; tamen non incongruè literaliter etiam intelligi possunt: somnus enim & somnolentia sunt effectus pigredinis, de qua in Prouerbijs dicitur. *Pigredo inmit soporem.* Quantum autem damnabilis sit pigredo, & somnolentia audi Ecclesiasticum dicentem. *In lapide luteo lapidatus est piger, & omnis qui tetigerit eum excutiet manus.* Quasi dicat. Per suam socordiam ità est maculatus ac si lapide lutoso aut stercore bouum esset impetitus: ac proinde sicut omnes de tali cũ risu loquerentur, & qui talem attingeret mox à sordibus contractis manus suas excuteret; sic omnes de pigri vilitate loquuntur, eiusq; consortium deuitant; & si quid ei cõmiserint mox ab illo subtrahunt, & se eximunt: ò igitur damnabilis pigritudo, & somnolentia.

In parabola illa Euangelica, in qua de semine mentio habetur, dictum est inimicum hominem postquam Pater familias bonum semen in agro suo seminasset, dormientibus hominibus superseminasse zizania. *Cum dormirent*, inquit, *homines venit inimicus homo, & superseminauit Zizania.* Ecce quam grande malum attulit somnus & sopor. Quot proditiones? quot

quot occisiones? quot incendia veniunt ex noxio, intempestiuo, & nimio somno. Si ancilla ostiaria Regis Isboseth; & si ipsemet Isboseth vigilasset, non ingressi essent Baana, & Rea frater eius & ipsum occidissent. O noxius somnus. O infortunatus sopor. Fugiamus ergo nimium soporem, & amplectamur Ieremiæ consilium dicentis. *Consurge, lauda in nocte in principio vigiliarum: Effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini; leua ad eum manus tuas pro anima paruulorum tuorum, qui defecerunt in fame.* Amplectamur, & cordi fixa retineamus verba ipsius Domini dicentis. *Vigilate, & orate vt non intretis in tentationem.* Quibus verbis nos edocere vult vigilias, & orationes pernecessarias esse, & præsertim Ecclesiasticis, vt hoc modo tentationibus resistant, atq; omnem infernalem impetum propulsent.

§. 3. *De Vigilantia Animi in omnibus actionibus quæ, qualis & quàm necessaria sit.*

OMnibus illa Domini verba apud Marcũ cap. 13. prædicãtur. *Vigilate, videte, orate; nescitis enim quando Dominus domus veniat, serò, an media nocte; an galli cantu, an mane: ne cũ venerit repẽtè inueniat vos dormiẽtes.* Sed pręcipuè Ecclesiasticis prędicta cõueniũt. Nobis religiosi Patres et Fratres dictũ est. *Vigilate, videte, orate.* Vigilatè in omnibus vestris actionibus, & omni tempore & omni loco. Videte laqueos, quos vbiq; Satan parat ad capiendos incautos & dormientes, & eos qui mentis oculos habent occlusos. Orate Deum aut ne vos inducat in istos laqueos; aut inde vos irretitos educat. Nescitis enim quando magnus illa magister venturus sit, an in vespera senectutis, an sub auroram iuuentutis, an verò in meridiano virilis ætatis calore. Vigilatè, inquam, ne vos stertentes & sopore distentos inueniat.

Diuus Bernardus Ser. 3. in vigil. Natiu. Dom. volens suos Monachos ad hanc vigilantiam adhortari *sic ait.* [Si essemus in domo illa non manufacta æterna in cælis, vbi nullus inimicus

micus intrat, nullus exit amicus, nihil esset timendum. Nunc verò tribus malignissimis, & validissimis ventis expositi sumus, Carni, Diabolo, Mundo, qui conscientiam illuminatam moliuntur extinguere, insuflantes in cordibus nostris desideria mala, motus illicitos, & ità te repentè turbãtes, vt uix pręnoscere valeas vnde venias aut quò vadas. Ex qbus etsi duo sępius intermittũt, à tertiò tamẽ nemo vnquã sufflãdi inducias extorsit. Ideò vtrisq; manibus & cordis & corporis anima est tegenda ne fortè quæ iã illuminata fuerat extinguatur; nec cedendũ vel recedendum etiamsi grauis tentationum feruor vtrisq; hominis statum vehementer afflixerit, sed dicendum cum Sancto. Anima mea in manibus meis semper. Eligamus potius ardere, quàm cedere. Et sicut quod in manibus nostris tenemus, non facilè obliuiscimur; sic nunquam obliuiscamur negotium animarum nostrarum, & illa cura principaliter vigeat in cordibus nostris. Cum ergo sic lumbi nostri accincti fuerint, & lucernæ ardentes, custodiendæ sunt vigiliæ noctis suprà gregem cogitationum & actionum nostrarum, vt si in prima vigilia, vel secunda, vel tertia dominus venerit, paratos nos inueniat. Prima vigilia est rectitudo operis, vt ad hanc quam iurasti regulam, omnem vitam exæquare coneris, nec transgrediaris terminos quos posuerunt patres tui, in omnibus viæ & vitæ huius exercitijs non declinans ad dexteram neq; ad sinistram, Secunda puritas intentionis vt simplex oculus totum corpus lucidum faciat, ut quidquid feceris propter Deum facias, & ad locum vnde exeunt gratiæ reuertantur, vt iterum fluant. Tertia est custodia Vnitatis vt in congregatione positus voluntates aliorum tuis voluntatibus anteponas; vt non solum sine querela sed & cum gratia inter fratres maneas, portans omnes, orans pro omnibus, vt de te quoq; dicatur. Hic est fratrum amator & populi Israel: hic est qui multum orat pro populo, & vniuersa Sancta Ciuitate Hierusalem.] *Hæc mellifluus Doctor Bernardus.*

Verùm prę omnibus & laicis & Ecclesiasticis vigilantia maximè necesseria est Prælatis & Pastoribus Ecclesiæ. Sponsus ille in

le in Canticis dignitatem & officium suum recensens ait se cõstitutum esse custodem in vineis ad vigilias perpetuò agendas. *Posuerunt me custodē in vineis.* Mysticè exponendo. Per vineã designatur Ecclesia, eius autē custodes & excubitores sunt Sacerdotes & Præsules. Quare semper vigilare debent & impedire ne hanc hæræditatem animalia & feræ depascant. Super muros tuos (ait per Isaiam Deus) constitui custodes, tota die & nocte in perpetuum non tacebunt, impedientq; ne quis vallum tuum transcendat. Solet in Sacris literis Ierosolimæ nomine designari Ecclesia: Custodes autem in muris constituti sunt Sacerdotes & Præsules: illo autem loco eos Dominus constituit semper vt vigilent & explorent num inimicus in procinctu sit vt inclament si quod imminere discrimen viderint, impediantq; ne quis ad muros accedat, adeò vt perpetuò vigilandum sit.

Inter cęteras uisiones vidit aliquãdo Ieremias Virgã vigilãtē oculatam,& circumspicientem. *Virgam*, inquit, *vigilantem ego video*. Non desunt qui dicant hac virga mysticè denotari Sacerdotes & Præsules, quorum est ad instar virgę plebem emendare, animas gubernare; sed debent esse insimul virga oculata & circumspiciens, idest vigilans habens oculos semper apertos, patentes, & Ecclesiarum curæ continuò intendentes.

Meritò Ionas rephēsus fuit ob illud nõ leue delictũ cõmissũ in illa maxima freti ꝑturbatione quãdo, nauis grauissimis agitata ꝑcellis et nautis oñi cõsilio atq; auxilio orbatis, ipse nõ ad laborauit, non cęleste implorauit auxiliũ, immo in carina nauis obdormiēs securus iacebat. Et facta est tēpestas magna in mari & nauis ꝑiclitabatur cõteri &c. Ionas descēdit ad interiora nauis, & dormiebat sopore graui. Similem haud dubio Sacerdotes & Pręsules errorem committunt quando agitantibus Diui Petri nauim fluctibus & procellis persecutionum,& salute animarum in discrimine versante, ipsi intrà voluptatum latebras delitescunt, delitijs indormiscunt tempore, quo remigari potius, omnes corporis animiq; vires intendere, aduersus peccata debacchari hæreses profligare,& Euangelium in Ecclesiæ naui tueri oporteret. Apo-

Apostolus Petrus pridiè q feralis passionis tragędia perageretur reprehenditur à Domino in horto oliuarũ quòd vigilare secum non potuerit, & quòd à somno victus succubuerit; audiuit enim. *Non potuisti una hora uigilare mecum.* Ita nos Ecclesiastici existimare debemus eisdem Domini verbis redargui, eodemq; verborum aculeo pungi & excitari, quòd Iuda insidias moliente; Christo in discrimine versante; Ecclesia afflicta, atq; aduersitatibus & erroribus diuexata, nos alto sopore obruti iaceamus. Mirum quod non possimus vna hora vigilare cum Christo.

Quapropter idem Apostolorum Princeps, & summus Iesu Christi in terra Vicarius prædictis sui Magistri & Domini verbis quasi stimulis excitatus, ipsemet grauiter hortatur fideles omnes ad vigilandum dicens. *Fratres sobrij estote, & vigilate, quia aduersarius vester Diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.* Hãc eamdem adhortationem coapostolus eius Paulus facit dilecto suo discipulo Timotheo; atq; in illius persona instruit omnes Ecclesiasticos dicens. *Tu verò vigila in omnibus labora, opus fac Euangelista, ministerium tuum imple. Sobrius esto.*

Concludam verbis eiusdem Beatissimi Apostoli me & omnes Ecclesiasticos excitans & commonefaciens. *Vigilate, state in fide, viriliter agite & confortamini.* Cogitemus, ò Sacerdotes, ad nos verba hæc dirigi; & nobis seriò dictum. Vigilate; state in fide, religione, pietate, iustitia charitate; viriliter agite aduersus Dæmonem, Mundum, Carnem. Confortamini in potentia virtutis Dei; & ipse Deus adiuuabit nos; quia faciẽti quod in se est, Deus non denegant seipsum.

CAPVT DVODECIMVM.

De disciplina & animi moderatione in omnibus huius vitæ euentibus & varietatibus.

QVuicquid mortalibus in hac fluxibili vita euenire potest vel habet rationem conuenientis vel disconuenientis:

vel iucundi vel tristis: vel prosperi vel aduersi. Sic igitur in omnibus euentibus talis morum disciplina, animiq; moderatio seruanda est, vt in prosperis non extollamur, & in aduersis non deprimamur: immò in prosperis quasi tristemur, & in aduersis ferè gaudeamus: quia si verè sapimus, si oculos mentis benè intendimus, verè deprehendemus mundanas prosperitates nihil veri & solidi boni nobis conferre, imò frequentius plurimùm veri mali: e contrà verò aduersitates nihil veri mali nobis inferre; imò sæpe sepius plurimum veri boni, ijs præsertim qui recto sunt corde: aduersitas enim proficit ad salutem; prosperitas autem attrahit ad interitum. Totum quod dicimus satis liquescet ex conditionibus & proprietatibus vtriusq; fortunæ tàm Prosperæ, quàm Aduersæ. Et primò quidem Prosperæ nimirum. Primò quia vt plurimùm illicitè venit. Secũdò quia breuis. Tertiò quia incerta. Quartò quia instabilis. Quintò quia fallax. Sextò quia vana. Septimò quia amicitiam ueram occultat. Octauò quia excitat & fouet crimina. Nonò deniq; quia ad exitium perducit. Ex conditionibus autem fortunæ Aduersæ. Primò quia mentem illuminat. Secundò quia ad pænitentiam reuocat. Tertiò quia ad Deum adducit. Quartò quia habet Deum adiutorem, & Consolatorem. Quintò quia reddit homines fortes. Sextò quia maiorem Dei amorem excitat in nobis. Septimò quia est mater & magistra virtutum. Octauò quia est signum prædestinationis. Nonò quia ad vera gaudia & ad salutem æternã perducit.

Conditiones & Proprietates fortunę Prosperę.

§. 1. *Quòd mundana Prosperitas vt plurimum illicitè veniat.*

HOmines huius seculi collocant prosperitatem Vel in affluentia diuitiarum: Vel in sublimitate honorum & dignitatum: Vel in redundantia sensibilium voluptatum. At quis nesciat ad omnia prædicta frequentissimè per vias omnino prauas & illicitas perueniri, quæ à rectissima diuina lege damnantur.

Atq;

Atq; vt aliquid de diuitijs proferamus. Nõne luce meridiana clarius est plerosq; sibi diuitias, opes & pecunias comparare dolis, mendacijs, fraudibus, furtis, rapinis, cæterisq; similibus reprobatis artibus? scilicet aut bona & res proximorum occultè auferendo: aut palam per vim rapiendo: aut deprædando: aut violenter inuadendo, & occupando: aut Simoniam committendo: aut illicito opera se submittendo: aut vltrà sortem aliquid accipiendo: aut pactum initum dissoluendo: aut iuramentum licitum perfringendo: aut iudicia peruertendo: aut falsum testimonium ferendo: aut proditionem exercendo: aut militiam infideliter gerendo: aut fraudulenter vendendo: aut fallaciter aliena detinendo; aut periurijs mentiendo: aut miseris non subueniendo: aut aliena inuenta non reddendo: aut re deposita vtendo: aut depositum clàm recipiendo: aut per donationes coniugum à iure prohibitas acquirendo: aut fraudulenter ludendo: aut lucrum in electione Prælati accipiendo: aut mercedem operariorũ; non soluendo: aut pupillos decipiendo & opprimendo: aut instrumenta falsa conficiendo: aut secreta causæ aperiendo; aut naufragorum bona capiendo: aut lucrum pignoris sibi obligati in se transferendo: aut commodatum ad alium vsum cõuertendo: aut pro rebus necessarijs gabellam exigendo: aut pedagium à Clericis reluendo: aut peregrinos & viatores spoliando & ttucidando: aut bona Ecclesiæ non custodiendo: aut deniq; alijs consimilibus modis, quos omnes illicitos esse, iniustos, & damnatos nemo est qui ignoret.

De dignitatum autem & honorum sublimitate quid proferam? An forte huiuscemodi prosperitas purior erit? Nequaquam. Qui ad mundialem gloriam & honores ascendunt plerũq. id assequuntur illicitè, nimirum cor machinationibus tegendo: sensum verbis velando; quæ falsa sunt vera ostendendo; quæ vera sunt falsa demonstrando; simulando & fingendo; ostendendo se habere uirtutes, quæ reuera non habent; detrahendo alijs quæ habent bona, reuelando peccata occulta aliorum; susurrando & seminando discordias inter amicos;

adulando magnatibus; iactando se, & extollendo si quid habent boni; præsumendo suprà uires proprias; decipiendo incautos; cum simplicibus astutè tractando; irridendo & subsannando alios; promittendo quæ non possunt dare; comminando malum quod non possunt infligere; derogando famæ & auctoritati Superiorum; cõmutando spiritualia pro temporalibus, seu vice versa temporalia pro spiritualibus: cæterisq; consimilibus artibus non probatis. Et ecce ascensus ad dignitates.

Sed longè turpius & inhonestius perueniunt ad ipsorum sensibiles voluptates, quæ cum consistant in delectationibus aut venereis, aut cibi, aut potus; in quibus non longè distamus à brutis; quibus modis ac vijs mortales ad hasce delectationes pertingant melius est tacere quàm eloqui. Talis est mundana prosperitas, iniusta, illicita, inhonesta. Et hanc vocabis prosperitatem? hanc desiderabis? pro hac adlaborabis? O labores malè susceptos. O cæcas hominum mentes. O pectora cæca. Ne miremur si nõ rarò videmus homines tali prosperitate tumidos de repentè euanescere vt inquit Propheta. *Vidi impium exaltatum & eleuatum super cedros libani; & transiui & ecce non erat.* Quia scilicet nihil tàm naturale est quàm quòd quælibet res eo generè soluatur, quo erat ligata.

§. 2. *Quod humana Prosperitas sit breuis.*

ADeò breuis est humana & mundana prosperitas, vt sit tanquam memoria hospitis vnius diei prætereuntis vt dicitur Sap. cap. 5. Nam hospes qui tantùm vno die moratur in hospitio, & statim recedit; citò obliuioni traditur ab eis qui illum receperunt, & alios subinde nouos continuò recipiunt. Sic mũdus est quasi hospes, qui nouos hospites recipit & receptos emittit ex hospitio. Generatio præterit, generatio aduenit, terra autem in æternum stat. Vt igitur appareat quàm cõgrua similitudo intercedat inter hospitem & mundũ, obseruandas propono vtriusq; conditiones & proprietates. Primò Hospes concedit suis hospitibus vsum tantummodo suę

domus

domus & vtensilium; non autem dominium: Sic mundus solum vsum rerum temporalium concedit non dominium: Vnde nihil permittit asportari; sed qualiter quis intrauit in mundi hospitium ita egreditur, ideò Eccles. 5. dicitur. *Sicut egressus est nudus de vtero matris suæ sic reuertetur, & nihil secum afferet de labore suo*. Et Apostolus ad Timotheum. *Nihil intulimus in hunc mundum haud dubium quia nec auferre possumus*. Secundò. Hospes successiuè vendit diuersis idem; mundat enim cubiculum & denudat, vt hospes emat paleam; & cum recesserit iterato camerã denudat, vt easdẽ paleas alter de nouo emat: Sic mundus idem successiuè vendit diuersis. Tertiò Hospes non permittit hospitem suum emere meliora extrà hospitium suum; Vnde licet panis aut vinum sint meliora apud vicinum; non tamen permittit illa emere, sed postquam hospitium suũ acceptauit quidquid necessarium est à se emere cogit: Sic mũdus non permittit gaudium Cæli, nec delitias extrà mundum existentes emere quamuis sint meliores; quia non vult lex mũdi vt homo eleemosinas largiatur, sed vt expendat opes circa delicias & circa pompas mundanas: nam vt benè dicit *Beatus Gregorius*. 14. *mor. cap*. 13. [Desiderium cælestium nesciunt qui cor in voluptatibus terrenis defigunt.] Quartò hospes adblanditur, ac vultum hilarem ostendit hospiti, eiq; obedit per omnia, ac deseruit; sed in fine strictissimum computum conficit & exigit: Sic mundus ostendit homini vultum blandum vt Iudas Christo; sed in fine asperum & iniucundum. Vnde *B. Augustinus dicit. Epist. ad Dioscorum*. [Mundus iste periculosior est cum est blandus, quam cum molestus; & magis cauendus est cum se diligi, quàm cum se admonet, cogitq; contemni.] Quintò Hospes abeuntem & non reuersurum obliuioni perpetuæ tradit: Sic mundus omninò obliuiscitur defunctorum. Vnde dicitur Sapien. cap. 2. *Nomen nostrum obliuionem accipiet per tempus, & nemo habebit memoriam operum nostrorum*. Itaq; Prosperitas mundi est valde breuis. Hinc in prouerbijs Sapientum dicitur. Fortuna vitrea est, quæ cum splendet frangitur. *Fortunam citius reperies quàm retineas*, erat simbo-

bo-

bolum cuiusdam Imperatoris. Vnde benè cecinit Ouidius de Ponto.

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo.
Et subito casu quæ valuere ruunt.
Ludit in humanis diuina potentia rebus.
Et certam præsens vix habet hora fidem.

§. 3. *Quòd humana Prosperitas sit incerta & ambigua.*

NOn solum est breuis; sed etiam incerta & ambigua. Vnde *Seneca in quadam Epistola dicit.* [Vitate ergo quæcunq; vulgò placent; ad omne fortuitum bonum suspitiosi, pauidiq; subsistite; nam & fera & piscis aliqua spe oblectante decipitur. Munera illa fortunæ putatis, insidiæ sunt. Quisquis ergo agere vitam tutam volet, viscata ista beneficia deuitet; in præcipiti cursus iste deducit, huius eminentis vitæ exitus cadere est. Cogitate nil præter animum esse mirabile, cui magno nihil magnum est. Non est tuum, fortuna quòd fecerit esse tuum.] Et *alibi dicit sic.* [Nescit fortuna quiescere. Lętis gaudet tristitia miscere Itaq; secundis nemo confidat. Aduersis nemo deficiat. Alternæ sunt vices rerum.] Et Ouidius lib.4. trist. sic cecinit.

Passibus ambiguis fortuna volubilis errat.
Permanet in nullo certa, tenaxq; loco.
Sed modò læta manet; modò vultus sumit acerbos.
Et tamen constans in leuitate sua est.
Largitur quodcumq; libet fortuna, rapitq;
Est gracilis subitò qui modò grossus erat.

§. 4. *Quòd humana Prosperitas sit mutabilis & instabilis.*

MVndana & humana prosperitas similis est aranearum telis, quæ difficilè componuntur, & facillimè dissoluuntur. Sicut nubes, quæ homines refrigerant; & tamen modico colore fugantur. Meritò *Sen. de tranquil. animi dixit.* [Noli

tran-

tranquillitati confidere; In momento enim mare euertitur, & eodem die, quo nauigia luctantur, absorbentur.] Et *Boetius de consol. lib.* 1. *dicit.* [Quãtas rerũ lubrica versat fortuna vices. Premit insõtes debita sceleri noxia pœna. At peruersi resident celso mores solio sanctaq; calcãt. Latet obscuris cõdita virtus clara tenebris.] Hinc benè *Valer. Maximus lib.* 10. *ait.* [Humanę vitę cursus prout fortuna gubernaculũ rexit modò aspero, modò tranquillo motu peragitur, spe semper minor dum & cupidè votis extenditur, & ferè sine ratione cõsumitur. Atq; de hoc ponit ipse Valerius lib. 6. cap. 9. aliquot exempla. Primum de Alcibiade, qui fuit Athenienfis & filius Themistoclis; sed non fuit ita benignus patriæ, sicut pater eius. Fecit mirabilia pro Ciuitate, & tandem inimicus patriæ. Habuit ingenium valdè varium & subtile; & similiter fortunam variam. Nam primò fuit sanguine nobilis; corpore speciosus; pollens ingenio; diuitijs affluens; dux potentissimus, amator patriæ. Sed postea factus est inops, quia omnia bona sua vendita fuerunt; relegatus in exilium; omnibus odiosus; contrarius patriæ; tandẽ violenter mortus, quia pæna ignis extinctus est. Secundùm De Policrate Samiorum Duce, qui prius habuit fortunam sibi placidissimam adeò vt quicquid cuperet præstò haberet; velle & posse ferè æqualia in eo erant. Et ne omnis incommodi expers esset anulum suum grauissimum in mare proiecit, quem tamen continuò recuperauit capto pisce qui eum deglutiuerat. Sed hunc, cuius fælicitas plenis semper velis prosperum cursum tenuerat, Orontes Præfectus Darijs Regis in excellentissimo montis vertice iuxtà samos insulam cruci affixit. Benè Seneca in Thieste canit. *Res Deus nostras celeri citatas, turbine uersat.* Tertiũ De Dionysio, qui cũ hæreditatis nomine accepisset à patre Siracusanorum ac planè totius Siciliæ tyrãnidẽ, maximarum opum dominus; exercituum Dux; rector classiũ; equitatuum potens; tandem pulsus de Sicilia transiuit in Græciam Corinthum, vbi propter inopiam, pædagogus puerorum fieri est coactus. Quartum De Siphace Numidarum Rege, qui tempore Scipionis Aphricani maioris adeò fuit fælix vt

Scipio

Scipio cum paucis ad ipſum tranſiret ad iniendum cum eo fædus contrà Carthaginem; poſtea Anibal dedit illi filiam in vxorem, propter quod factus eſt Carthaginienſium amicus relicto Scipione. Is demum debellatus à Scipione catenatus à Lelio Legato Romam deductus in carcere miſerabiliter mortuus eſt. Et conſimilia exempla propè innumera inueniuntur in hiſtorijs tàm ſacris quàm prophanis. Vnde hanc fortunæ proſperæ inſtabilitatem egregiè deſcripſit quidam Hildebertus; dum de ſuo exilio ſic canit.

Nuper eram locuples, multiſq; beatus amicis
Et riſere diu propria fata mihi.
Sæpe mihi dixi. Quis nam tàm proſpera rerum?
Quid ſibi vult tantus? tàm citus agger opum?
Heu mihi nulla fides nulla eſt conſtantia rebus.
Res ipſe quid ſint mobilitate docent.
Res hominum atq; homines leuis alea verſat in horas
Et venit à ſummo ſumma ruina gradu
Cuncta modò ancipiti pendent mortalia caſu
Et ſpondent propria mobilitate fugam
Quicquid habes hodie: cras te fortaſſe relinquet
Aut modo dum loqueris deſinet eſſe tuum.
Has ludit fortuna vices, regeſq; ſuperbos
Aut ſeruos humiles non ſinit eſſe diu.
Illa doloſa comes ſola leuitate fidelis
Non impunè fauet, aut ſine fine premit
Illa mihi quondam vultu blandita ſereno
Mutuauit vultus nubila facta ſuos.

Non negamus tamen in viro uirtute prædito omnem fortunam eſſe bonam ſiue ſit proſpera ſiue aduerſa: è contrà in homine uitijs obſtricto omnem fortunam eſſe malam. Vnde *Boetius lib.4. de conſol. ait.* [Eorum, qui in proceſſione, uel profectu, uel adeptione uirtutis ſunt, omnem fortunam, quæcunq; ſit, bonam iudico. In improbitate uerò manentibus omnem peſſimam eſſe fortunam.]

§.4.

§.5. *Quòd mundana Prosperitas sit fallax.*

DE hac loqens *Boetius lib.2.de consol.dicit sic.* [An prætiosam quis æstimet fælicitatem abituram? An cara sit fortuna præsens nec manendi fida,& cum discesserit allatura mærorem? Non quod ante oculos situm est sufficit intueri: rerum exitus prudentia metitur: quàm multis amaritudinibus humanæ fælicitatis dulcedo respersa est, quæ etsi fruenti iocunda videatur; tamen quo minus abeat cum velit, retineri non potest.] *Hæc ille.* Et *Tullius lib. 2. Rethor.* [Sola virtus in sua potestate est. Omnia præter eam sub fortunæ subiecta sunt dominatione. Errant autem qui in prosperis rebus omnes impetus fortunæ fugisse se putant. Sapientes verè cogitant, qui in temporibus secundis aduersos casus formidant.] *Hęc Tullius.* In aduersitate tamen fortunæ non egrediamur à iudicio rationis per angustiam aut dolorem existimantes nos grauius præ cæteris omnibus fortuna premi; nam vt refert *Valerius Maximus lib. 7. ex Solone.* [Si in vnum locum cuncti mala sua conferrent futurum vt propria singuli deportarent domum, quàm ex communi miseriarum aceruo portionem suam ferre mallent.] Ex quo colligitur non oportere nos quæ fortuitò patimur præcipuæ & intollerabilis amaritudinis iudicare.

§. 6. *Quod mundana Prosperitas sit uana in omnibus, in quibus mortales illam collocant.*

MVlta sunt, in quibus homines suam statuunt prosperitatem, in quibus tamen omnibus apparet summa Vanitas; sicut edicit Spiritus Sanctus per Salomonem. *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Et vt ad particularia aliqua descendamus, homines ponunt prosperitatem & felicitatem.

Primò in florentissima ætate, quia iuuenum ętas est securior, atq; à senectute, nec non à morte remotior. Sed hoc vanitas; quia vt inquit *Seneca Epist.67.* [fluunt omnia; & in assidua diminu-

Scipio cum paucis ad ipsum transiret ad iniendum cum eo fædus contrà Carthaginem; postea Anibal dedit illi filiam in vxorem, propter quod factus est Carthaginiensium amicus relicto Scipione. Is demum debellatus à Scipione catenatus à Lelio Legato Romam deductus in carcere miserabiliter mortuus est. Et consimilia exempla propè innumera inueniuntur in historijs tàm sacris quàm prophanis. Vnde hanc fortunæ prosperæ instabilitatem egregiè descripsit quidam Hildebertus; dum de suo exilio sic canit.

Nuper eram locuples, multisq; beatus amicis
Et risere diu propria fata mihi.
Sæpe mihi dixi. Quis nam tàm prospera rerum?
Quid sibi vult tantus? tàm citus agger opum?
Heu mihi nulla fides nulla est constantia rebus.
Res ipse quid sint mobilitate docent.
Res hominum atq; homines leuis alea versat in horas
Et venit à summo summa ruina gradu
Cuncta modò ancipiti pendent mortalia casu
Et spondent propria mobilitate fugam
Quicquid habes hodie: cras te fortasse relinquet
Aut modo dum loqueris desinet esse tuum.
Has ludit fortuna vices, regesq; superbos
Aut seruos humiles non sinit esse diu.
Illa dolosa comes sola leuitate fidelis
Non impunè fauet, aut sine fine premit
Illa mihi quondam vultu blandita sereno
Mutuauit vultus nubila facta suos.

Non negamus tamen in viro uirtute prædito omnem fortunam esse bonam siue sit prospera siue aduersa: è contrà in homine uitijs obstricto omnem fortunam esse malam. Vnde *Boetius lib.4. de consol. ait.* [Eorum, qui in processione, uel profectu, uel adeptione uirtutis sunt, omnem fortunam, quæcunq; sit, bonam iudico. In improbitate uerò manentibus omnem pessimam esse fortunam.]

§.4.

§.5. *Quòd mundana Prosperitas sit fallax.*

DE hac loqens *Boetius lib.2.de consol.dicit sic.* [An prætiosam quis æstimet fælicitatem abituram? An cara sit fortuna præsens nec manendi fida,& cum discesserit allatura mœrorem? Non quod ante oculos situm est sufficit intueri: rerum exitus prudentia metitur: quàm multis amaritudinibus humanæ fælicitatis dulcedo respersa est, quæ etsi fruenti iocunda videatur; tamen quo minus abeat cum velit, retineri non potest.] *Hæc ille.* Et *Tullius lib. 2. Rethor.* [Sola virtus in sua potestate est. Omnia præter eam sub fortunæ subiecta sunt dominatione. Errant autem qui in prosperis rebus omnes impetus fortunæ fugisse se putant. Sapientes verè cogitant, qui in temporibus secundis aduersos casus formidant.] *Hęc Tullius.* In aduersitate tamen fortunæ non egrediamur à iudicio rationis per angustiam aut dolorem existimantes nos grauius præ cæteris omnibus fortuna premi; nam vt refert *Valerius Maximus lib. 7. ex Solone.* [Si in vnum locum cuncti mala sua conferrent futurum vt propria singuli deportarent domum, quàm ex communi miseriarum aceruo portionem suam ferre mallent.] Ex quo colligitur non oportere nos quæ fortuitò patimur præcipuæ & intollerabilis amaritudinis iudicare.

§. 6. *Quod mundana Prosperitas sit uana in omnibus, in quibus mortales illam collocant.*

MVlta sunt, in quibus homines suam statuunt prosperitatem, in quibus tamen omnibus apparet summa Vanitas; sicut edicit Spiritus Sanctus per Salomonem. *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Et vt ad particularia aliqua descendamus, homines ponunt prosperitatem & felicitatem.

Primò in florentissima ætate, quia iuuenum ętas est securior, atq; à senectute, nec non à morte remotior. Sed hoc vanitas; quia vt inquit *Seneca Epist.67.* [fluunt omnia; & in assidua diminu-

minutione sunt. Corpora nostra rapiuntur fluminum more: quicquid vides currit cum tempore. Homo fluida est materia & caduca, & omnibus obnoxia causis.] *Hęc Seneca*. Non est ergo fidendum iuuentuti.

Secundò In Corporis formositate. Sed & hoc vanitas; quia, *vt inquit Boetius*. Formæ nitor rapidus est & velox, & vernalium florum mutabilitate fugacior: quòd, vt ait Aristoteles, si linceis oculis homines vterentur vt eorum visus obstantia penetraret, nonne introspectis visceribus illud superficie tenus pulcherrimum corpus, turpissimum videretur? Igitur te pulchrum non tua natura; sed oculorum intuentium reddit infirmitas.

Tertiò In valetudinis firmitate. Sed & hoc vanitas: quia frequentius est leue bonum, & graue malum; nam *vt inquit Hugo*. Quosdam præsciens Deus multa peccare posse, flagellat eos infirmitate Corporis ne peccent; vt eis vtilius sit frangi languoribus ad salutem, quàm remanere incolumes ad damnationem.

Quartò In virium robore. Sed & hoc vanitas: Quia, *vt inquit Petrarca*, in magnam virium fiduciam magnis viribus accingitur fortuna; & interdum ex æquo congredi indignans vt ostendat quàm fragile animal homo sit. Herculem ab omnibus inuictum vis latentis mali vicit. Milonem ipsum cunctis celebratum & cognitum palestris arbor vna detinuit, lacerandumq; feris obtulit: Sic robur illud eximium fine exemplo fissæ quercus robori impar inuentum est. tu viribus tuis fidis?

Quintò In ingenij acumine. Sed & hoc vanitas: quia sæpe multorum malorum causa est. *Vnde idem sic ait*. Hoc Marco Catoni censorino tributum est, quod litteris simul atq; armis, bellicisq; omnibus & vrbanis ac rusticis artibus æquè foret idoneus. Quod ex parte Græci suo tribuunt Epaminondæ. Persæ autem Cyro. Malo autem ingenium bonum quàm excellens: quia illud in malum flecti nequit, hoc in diuersa volubile est. Nam & Crysippus Lucium Catilinam magni animi fuisse ait, sed ingenio malo prauoq;. Sæpe magnum ingenium

magno-

magnorum initium malorum fuit; raro autem magni errores nisi ex magnis ingenijs prodiere.

Sextò In sermonis eloquentia. Sed & hoc vanitas: quia sæpe ad facinora perpetranda deseruit. *Vnde idem*. Satis eloquentiæ parum sapientiæ fuisse in illo homine scelestissimo apud Crysippum legis. Neq; is quidem gloriam eloquentiæ quæsiuit vllam; quanquam altiore iudicio Tulliano non eloquentia sed loquacitas illa fuit. Verus enim orator, hoc est eloquentiæ magister, nisi vir bonus esse non potest. Quod si bonus & sapiens.

Septimò In famæ celebritate. Sed & hoc vanitas: quia, *vt inquit S. Petrus Chrysologus*, quidam laudes hominum vilipedunt, & in hoc sunt laudabiles. Quidam omni tempore venantur famam seculi, & omni tempore sunt infames. Quidam apud alios venerabiles sunt & apud se vilescunt. Quidam plus de se linguæ adulatrici, quàm conscientiæ suæ credunt.

Octauò In sapientiæ æstimatione. Sed & hoc vanitas: quia, *vt dicit B. Gregorius*, huius mundi sapientia est cor machinationibus tegere; quæ falsa sunt vera ostendere; quæ vera sunt falsa demonstrare. Hanc qui sciunt cæteros superbiendo despiciunt; hanc qui nesciunt subiecti & timidi in alijs ipsam morantur, &c.

Nonò In Patriæ splendore. Sed & hoc vanitas: quia non patria sed virtus dat nobilitatem. Vnde *Petrarca*. Fuit, *inquit*, qui Themistoclis gloriam Athenis, vbi natus erat, adscribere niteretur. Qui planè pergrauiter, atq; vt talem virum decebat respondit. Cum enim sibi Seriphi angustæ & ignobilis insulæ quidam incola inter iurgia obiecisset, non eum sua sed patriæ gloria clarum esse. Neq; herclè, ait, aut ego obscurus si Seriphius, aut tu si Atheniensis clarus esses. Non splendori patriæ sed virtuti propriæ fidebat.

Decimò In familiæ claritate. Sed & hoc vanitas: quia hæc non semper sequitur posteros. Vnde *Petrarca*. Corpus, *inquit*, semper & patrimonium sæpè à parentibus accipitis: Claritatem

tem & qui habet rarò in filium transfert; & qui non habet aliquotiens in filio videt. Quanto patre clarior Cæsar? quantò obſcurior Aphricani filius? quæ ſi per manus tradi claritas poſſet, quàm clarus futurus eſſet intelligis.

Vndecimò In ſtatus celſitudine. Sed & hoc vanitas: quia, *vt Petrarca inquit*, ſcitum eſt illud Lyrici Poetæ.

Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus, & celſa grauiore caſu
Decidunt turres, feriuntq; ſummos
Fulgura montes.

vt clarum fatear in alto naſci nec tranquillum certè nec tutum eſt. Altitudo quantalibet humana per ſeipſam inquieta eſt. Nil præterea tàm altum, quod non & ſollicitudini, & labori, & inuidiæ, & pauori, & mærori peruium ſit. Et ſeruorum filios in ſolio vidimus, & filios regum in ergaſtulo. Sæpe primordio diſſimilis finis eſt.

Duodecimò In educationis mollitie. Sed & hoc vanitas. Quia, *idem Petrarca exclamat.* ò peſſima pueritiæ rudimenta neglectis bonis artibus: exquiſitis cibis & peregrinis poculis aſſuefactus à puero præclariſſimam in ſpeciē adoleuiſti: Neq; ſero, vt virorum fortium mos fuit, famem ſitimq; communibus lenire, ſed ambitioſa ſemper nauſea, & damnoſis ſtomachi ſarcinis manè illis occurritur: cum tot in eremo ſancti viri eſurirent, tot in caſtris glorioſi duces parcè, ſobrièq; atq; aſperè vixerint. Hinc Curius, Fabricius, Coruncanus lecta ſuis manibus olera cænantes fictilibus, atq; arantes ad veſperam ieiuni. Hi & alij voluptatum hoſtes occurrent.

Decimotertiò In ſeruorum numero. Sed & hoc vanitas: quia, *vt idem Petr.* multi ſerui multæ lites, multæ diſcordiæ, multa deniq; bella domeſtica, quorum vel ſpectator ſecundus vel laborioſus compoſitor ſis oportet; interq; reos & accuſatores medius ſeruis tuis ſeruias Iudex factus ex Domino. Vbi ſerui multi multus ſtrepitus, pauca ſeruitia, ſecretum nullum, profundi & capaces ventres, lubrica guttura, peſtis denu, dedecus thalamo, vorago perpetua.

Deci-

Decimoquartò In ædium sumptuositate. Sed & hoc vanitas. Vnde *Petrar.* quid hic dicam, *inquit*, nisi Tullianum illud. Ornanda est dignitas domo; non ex domo tota quærenda; nec domo dominus, sed domino domus honestanda est. Nonne in regia Tullus Hostilius habitabat quando ictus est fulmine? In regia quoq; Tarquinius Priscus quando percussus est ferro. In regia deniq; Tarquinius superbus quando pulsus est regno. Nullus locus periculis est inaccessus.

Decimoquintò In arcium munitione. Sed & hoc vanitas. Vnde *Petrar.* An & illud vetus prouerbium, *inquit*, non audisti; Nullum inespugnabilem locum esse, dummodo in eum asellus onustus auro possit ascendere. Trahit oppugnationem arx munita, non impedit. Restitit aliquantulum Senonum insultibus arx Tarpeia, Pœnorum Tarentina, donec vtriq; opportuno remedio succursum est: illi Camillus, huic Fabius: sed an gemina arx Locrensis ab ipso defendi quiuit Anibale? profectò nec Ilion ipsum, nec Birsa defendi potuit, nec Corinthus, quæ vna peruetustam inexpugnabilis famam habuerat; sed hanc Munus victor eripuit. Omnis magna securitas, nisi de Deo oriatur, stulta est.

Decimosextò In suppellectilis pretiositate. Sed & hoc vanitas: quia, *vt idem*, iuge bellum non cum furibus modò sed cum muribus, tineisq;. Araneæ, rubigo, fumus & puluis, & imber in vos dimicant ò diuites delicati: quibus armis hos hostes arcebitis?

Decimoseptimò In diuitiarum affluentia. Sed & hoc vanitas: quia, *vt idem*, bonis moribus rem aduersam habes. Nimiæ opes non modò singulorum hominum; sed populi Romani corruperunt mores, morumq; illam & eximiam fregere virtutem, qui tamdiu clarus, & tamdiu iustus & integer quamdiu pauper fuit.

Decimoctauò In pomariorum amænitate. Sed & hoc vanitas; quia, *vt idem*, in Caietani litoris flexu, quo nullus sub cælo pulchrior, nullus amænior, iussu temulenti & crudelis Antonij occisus est Cicero. Et poterat vtcunq; tanto viro

locus

locus conuenire, vt, postquam si Romæ mori fato vetitum erat, florido in rure florentissimus oratorum occumberet. Igitur loca delectabilia sæpe insidijs opportuna sunt dum licentius ibi, laxiusq; degitur, auersisq; magis sensibus à circumspectione periculi.

Decimononò In gregum & armentorum copia. Sed & hoc vanitas: quia, *vt idem*, Gaudes doliturus millies. Nullus dies sine rumoribus mestis ibit. Nunc irruerunt Sabei, tuleruntq; omnia, nec non pueros gladio percusserunt, vt pecuoso illi nunciatum est seni. Nunc bos cornu fregerit, nunc crus equus, nunc vagantem lupus agnum, nunc infectum gregem mors inuaserit.

Vigesimò In piscinarum delitijs. Sed & hoc vanitas. Vnde *idem*. Non puto, *inquit*, fælicius extruxeris quàm Salomon. Cum te ergo conuerteris ad vniuersa opera quæ fecerint manus tuæ, & ad labores in quibus frustrà sudaueris, videbis in omnibus vanitatem & afflictionem animi; vt vnde gauisus fueras fortasse doleas.

Vigesimoprimò In Coniugis speciositate. Sed & hoc vanitas: quia, *vt inquit idem*, accessit Domina Sponso, carnifex priuignis, æmula socrui, familiæ iugum, assiduus labor, sumptus arculæ, ornamentum aulæ, diurnum spectaculum fenestræ, lis nocturna cubiculo. Zelus, suspiciones, & quærelæ subeunt, immortale duellum: domi habes splendidam seruitutem.

Vigesimosecundò In dotis amplitudine. Sed & hoc vanitas: quia, *vt idem*, multùm dotata vxore nihil importunius, nihil intractabilius: nil sibi non licitum arbitratur; quæ suas opes mariti comparat egestati, quæ virum pascit; Dominam se putat nō sociā. Vnde dos ingreditur, inde libertas egreditur.

Vigesimotertiò In filiorum pluralitate. Sed & hoc vanitas: quia, *vt idem*, quantò plures filij tantò periculosior conditio tua est. Nescis quam dolendi materiam gignendo quæsieris? quos lachrymis aditus in tuam domum patefaceris? quantum inte ius mortis miseriæq; præbueris? O miseræ matres. O mi-

O miseri patres. Nec timere, nec sperare, nec vota facere noueras. En disces tuo periculo: disces in breui vita longas curas texere.

Vigesimoquartò In pulchritudine filiorum. Sed & hoc vanitas: quia, *vt idem*, magnum moribus discrimen, fæminisq; permaximum. Iam pridem pulchritudo, & castitas rarò cohabitant. Forma multos tentauit ac tentandos præbuit; quosdam strauit, & vel in crimen impulit, vel in mortem. Fecit apud Hebreos exemplum tentationis acerrimæ Ioseph; sed discrimen prouidentia cælestis in gloriam vertit. Formæ labilis fructus fuere ingentium vrbium, ac magnorum imperiorum euersio. Certè nisi formosa fuisset Helena, Troia mansisset incolumis. Nisi tam formosa Lucretia, Romanum regnum non tàm velociter corruisset. Nisi tàm pulchra Virginia non tàm citò illud decem virale imperium defecisset.

Vigesimoquintò In concordia cum genero. Sed & hoc Vanitas: quia, *vt idem*, quanta sane inter generum & socerum possit esse discordia (vt sileam antiquā Danai fabellam, insuper Stilliconis cupiditatem imperij, eiusq; circa defunctum socerum, & viuentem generum obliuionem) abundè Cæsaris atq; Pompeij notissimum exemplum est.

Vigesimosextò In conuenientiā cum nuru. Sed & hoc vanitas: quia, *vt idem*, quid scis an immortale illi tædium tibiq; dederis? an vtriq; clandestinum fortè discrimen. Multæ viros, socerosq; perenni confecerunt fastidio. Quædam veneno, aliæ ferro peremerunt: Inuenta est quæ præcipiti dominandi libidine, & secundæ sortis impatiens quo maturius virum seq; regnantem cerneret, genitori proprio causa mortis cum fuisset, supra cæsi corpus currum ageret. Sed hæc patrum merces, quid sperare debent ceteri?

Vigesimoseptimò In genitorum erga se dilectione. Sed & hoc vanitas: quia, *vt idem*, sæpè vt dolor mortis filiorum, sic gaudium vitæ miseras matres mori compulit. Patuit hoc clarius eo die, quo reliquiæ cladis ad Transimenum acceptæ Romam sparso agmine repetebant. Duæ matres filijs, quos in

aciem

aciem cecidisse referentibus crediderant, conspectis insperati gaudij non capaces efflarunt spiritus.

Vigesimoctauò In fratrum vnione. Sed, & hoc vanitas: quia, *vt idem*, fratres sæpe inuident, sæpe despiciunt; raraq; fratrum gratia. Quantus sit amor fratrum primos mundi fratres aspice; alter alterius oppetijt manu. Siquidem Parthus rex Parthorum pręter paricidia in patrem simul ac filium admissa, triginta insuper proprios fratres trucidasse legitur. Plenæ sunt historiæ huiusmodi exemplorum.

Vigesimononò In pacifica possessione bonorum. Sed & hoc vanitas. Quia, *vt idem*, Dei est illa vox. Stulte hac nocte repetent animam tuam à te, quæ autem congregasti cuius erunt?

Trigesimò In potestatis excellentia. Sed & hoc vanitas: quia, *vt idem*, in magna lignorum mole crepitantius sæuit incendium. Magna prosperitas magnæ viam facit aduersitati. Nec facilè quemquam planè miserum videbis qui non valdè fælix habitus sit.

Trigesimoprimò In populi plausu & aura. Sed & hoc vanitas: quia, *vt idem*, quis illis Scipionibus carior? quis Camillo? quis Rutilio ac Metello? quid Themistoclem loquar aut Miltiadem? quid Hamnonem aut Aristidem? quid Thesea? quid Solonem? quid Anibalem? quid Licurgum? qui quàm breuiter populo fuerint cari historijs reuoluentibus patet. Omnium est notus finis, & vel in contemptum, vel in odium versus amor: atq; indigna rebus præmia, labor, accusatio, mors, exilium, catenæ. Vanitas est gaudere flatu tenui & incerto. Populi mos est vt sæpe amet indignos.

Trigesimosecundò In principatus acquisitione. Sed & hoc vanitas: quia, *vt idem*, statum certi laboris, euentus ambigui, sed vt plurimum infelicis consecutus es. Quis Alexandri euentus? quis Dionisij Siracusani? quis Agrigentini Phalaridis? quis Hamnonis Pæni? quis Chari Heradiensis & aliorum fuerit mitto, quos occidisse immortalis gloria interfectoribus fuit. Vsitatum & communem tyrannorum exitum aut gladium aut venenum.

Trige-

Trigesimotertiò In exercitus potentia: sed & hoc vanitas: quia, *vt idem*, horum tædia nemo facilè, atq; molestias insolentiasq; dinumeret: sed tu experimento disces quantò sit satius solum viuere quàm cum multis legionibus. Profectò nullæ iniuriæ, nulla perfidia, nulla crudelitas castrensium moribus comparandæ sunt; intelliges per temetipsum quàm sit verus pueris quoq; notissimus ille versiculus. *Nulla fides, pietasq; viris qui castrà sequuntur*.

Trigesimoquartò In Classis expeditione. Sed & hoc vanitas: quia, *vt idem*, Fortassis vtilius tutiusq; vel breui scamno, vel sicco littore insidias piscibus tetendisses, quàm classe armata vim gentibus intulisses. Multis quidem Classis eximia noxiam dedit eò quod impulit vt optarent domi esse. Hoc & Graij Troia reduces Caphareum ad montem. Siracusio Athanienses in littore; & Cartaginienses ad Ecadas insulas didicere, multa sunt classibus pericula.

Trigesimoquinto In hostium vltione. Sed & hoc vanitas: quia, *vt idem*, multò est sanctius multoq; deiformius obliuisci iniuriarum, quam vlcisci; Generosior nulla est obliuio quàm offensæ. Hanc summus Orator summo Duci summæ laudi attribuit, quod scilicet nil soleret nisi iniurias obliuisci. Sume igitur & tu tibi hanc nobilissimam obliuionem Cæsaream.

Trigesimosextò In Pontificatus honore. Sed & hoc vanitas: quia, *vt idem*, qui ascendisse diceris descendisti iuxtà illud propheticum. Qui descendunt mare in nauibus facientes operationem in aquis multis. Qui ascendunt vsq; ad cælos, & descendunt vsq; ad abissos anima eorum in malis tabescente propter negotiorum multiplicium procellam; turbati sunt & moti sunt sicut ebrius, & omnis sapientia eorum deuorata est.

Et ecce quomodo ex prædictis & ex alijs consimilibus quæ possent adduci clarè apparet quàm vana sit omnis humana & mundana prosperitas & fælicitas; ita vt verissima sit aurea illa sententia. *Vanitas vanitatum & omnia vanitas præter amare Deum & illi soli seruire*.

§. 7. *Quod humana prosperitas amicos celat.*

IN prosperitate nõ clarè patescit quisnam sit verus amicus. Vnde sapienter moralis ille ait. *Prosperitas amicum inuenit aduersitas probat.* Canis homini benè vestito applaudit, & nudum lædit: etiam hominem sibi necessaria tribuentem insequitur quem aliàs persequitur; sic homo in prosperitate. Hinc in Prou. 20. dicitur. *Multi colunt personam potentis, & amici sunt dona tribuentis.* Et in Psalmis. *Confitebitur tibi cum benefeceris ei.* Et *Boetius de Consolatione dicit.* [An hoc etiam inter minima existimandum quòd amicorum tibi fidelium mentes hæc aspera, hæc horribilis detegit, hæc tibi certos sodalium vultus ambiguosq; secernit; illa discedens suos aufert, tuos relinquit.] Hinc bene ille.

Tempore felici multi numerantur amici.
Cum fortuna perit nullus amicus erit.

Nolo hic prætermittere carmina quædam Italica, quæ in tali lingua peregregiè explicant nostram sententiam. Sunt autem infrascripta.

Alcun non può saper da chi sia amato;
Mentre felice in sù la ruota siede:
Perche i veri, e i finti amici hà à lato,
Che mostran tutti vna medesma fede:
Mà se si cangia in tristo il lieto stato;
Volta la turba adulatrice il piede;
E chi ama di cuore riman forte,
Et ama il suo Signor doppo la morte.

§. 8. *Quod humana prosperitas est peccatorum incentiuum & fomentum.*

HOmo in prosperitate habet cor ad peccata procliue, & pronum ad vitia. Vnde *S. Petrus Chrysologus sic ait.* [Res inquieta est felicitas, quæ alios in superbiam erigit, alios

per

per luxuriam dissoluit, hos inflammat, illos dissoluit, omnes destruit & eleuat.] Sicut equus impinguatus recalcitrat, vnde in psalmis. *Impinguatus, incrassatus, dilatatus recalcitrauit*: ita caro in prosperitate posita detrectat iugum rationis, & legi diuinæ, conscientiæq; stimulis reluctat. Quãdonam, Regius ille vates adulterium & homicidium perpetrauit; nisi cum omnia illi prospere eueniebant? quando nam peccata illa nefanda inundarunt in Sodomis, nisi quando abundantia panis & vini, saturitas, ocium, & deliciæ corporis excreuerunt? quando nam populus Israeliticus in idololatriæ scelus prorupit in deserto per vituli aurei adorationem, nisi quando per abundantiam ciborum prosperè se habebant? *Ederunt & biberunt & surrexerunt ludere*, inquit scriptura. Et vt aliquid de historijs prophanis proferam. Quandonam Resp. Romana in otium, in luxum, in delicias & in vitia defluxit nisi quando debellatis gentibus, subactis regibus, deuictis hostibus, dilatato imperio, et euersa imperij ęmula Cartagine summa in omnibus prosperitate fruebatur? Quia optimè sapiẽs in Prou. 1. *Prosperitas stultorum perdet illos.* De hoc lachrymans conquerebatur ad Dominum *sapiens ille Neemias quando dicebat*. [Comederunt & saturati sunt & impinguati & abundauerunt delitijs in bonitate tua magna; prouocauerunt autem te ad iracundiam & recesserunt à te Deus meus, & proiecerunt legem tuam post terga sua. Et dedisti eos in manu hostium suorum & afflixerunt eos.]

Ideò Sancti viri plus sibi timebant in prosperitatibus quàm in aduersitatibus. Non enim latebat eos id quod *S. Augustinus ad Dioscor. ait* nempe quod Mundus periculosior est blandus quàm molestus, & magis cauendus cum se allicit diligi, quàm cum admonet, cogitq; contemni. Vnde magnę virtutis est, *vt inquit idem Augustinus de Verb. Dom. lib.* 2. cum fælicitate luctari ne illiciat, ne corrumpat, ne subuertat ipsa fælicitas: magnæ, inquam, virtutis cum fælicitate luctari; magnæ fælicitatis est à fælicitate non vinci. Et *Diuus Gregorius super illud Iob. 3. quare data est misero lux, & vita his qui in amaritudine*

animæ sunt. Sic inquit. [Sancti viri cum sibi suppetere prospera huius mundi conspiciunt pauida suspicione turbantur. Timent enim ne hinc laborum suorum fructus recipiant; timent ne quod diuina iustitia latens in eis vulnus aspiciat, & exterioribus eos muneribus cumulãs ab intimis repellat. Cum verò taciti cogitant quod nec bona agunt nisi vt soli Domino placeant, nec in ipsa affluentia suæ prosperitatis exultant, minus quidem de prosperis occulta contrà se iudicia metuunt; sed tamen eadem prospera, quia se ab intima intentione præpediunt, ægrè ferunt, & molestè præsentis vitæ blandimenta tolerant; quia per hæc se vtcunq; tardari in interno desiderio non ignorant. Plus enim in hoc mundo honor quàm despectio occupat; & magis prosperitatis sublimitas, quàm necessitatis aduersitas grauat. Per hanc namq; nonnunquam cum homo exterius premitur ad concupiscenda quæ intus sunt liberius relaxatur: per illam verò animus dum multis parere cogitur à desiderij sui cursu retinetur. Vnde fit vt Sancti viri magis in hoc mundo prospera quàm aduersa formident. Sciunt namq; quia mens dum blanda occupatione premitur, aliquando libens ad exteriora deriuatur.] *Hæc Magnus ille Gregorius.*

§. 9. *Quod mundana prosperitas ad exitium & ruinam deducit.*

HVmana & mundana prosperitas sæpesæpius finem sortitur miserabilem. Et hoc est manifestum ex multis Sacræ Scripturæ locis. Habetur enim in libro Iob. 21. *Tenẽt tympanum & citharam, & gaudent ad sonitum organi, ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Et in Sapiẽtia. 5. *Quid profuit nobis superbia, aut quid diuitiarum iactantia contulit nobis? transierunt omnia illa tanquam vmbra; & tanquam nuncius præcurrens, & tanquam nauis quæ pertransit fluctuantem aquam.* Et in Psalmis 36. *Vidi impium superexaltatum & eleuatum sicut cedros libani: & transiui & ecce non erat; quæsiui eum & non est inuentus locus eius. Noli æmulari*

in eo

in eo qui prosperatur in via sua, & in homine faciente iniustitias. Et Isaias 65. *Et vos qui reliquistis Dominum, & obliti estis nomen sanctum meum, qui ponitis fortunæ mensam & libatis super eam; numerabo vos in gladio, & omnes in cæde corruetis.* Et Baruch. 3 *Vbi sunt principes gentium & qui dominantur super bestias, quæ sunt super terram? qui in auibus cæli ludunt; qui argentum thesaurizant, & aurum in quo confidunt homines, & non est finis acquisitionis eorum? qui argentum fabricant, & solliciti sunt nec est inuentio operum illorum? exterminati sunt & ad inferos descenderunt, & alij loco eorum surrexerunt.*

Hinc benè *S.Chrysostomus inquit de curial.nug. & vest. Phil.* [Nouerca virtutis prosperitas. Sic applaudit vt noceat; & infelici successu sic fortunatis obsequitur, vt in fine perniciem operetur; Conuiuis suis ab initio propinans dulcia; & cum inebriati fuerint lethale virus miscet.] Et *S.Gregorius. Past. lib. 15. & 18.* [Præsentis vitæ prosperitas aliquando idcirco datur, vt ad meliorem vitam prouocet; aliquando vt in æternũ plenius damnet.] Et *Diuus Augustinus rel. in cap. paratus 23. q. 1.* [Nihil est infelicius felicitate peccantium, qua pænalis nutritur impunitas, & mala voluntas velut hostis interior roboratur.] Et *Abbas Nilus.* [Luge peccatorem fortunatum, intentatur enim ei gladius iudicij.]

Itaq; non est inuidendum felicitati mundanorum; nec de ipsorum prosperitate; sicut nec de aduersitate bonorum perturbari debemus: Nam vt habetur *dist. 3. §. quanquam quid turbamur. de pænit.* [Nemo videns malignos prosperitatem habere turbetur. Non est hic retributio malignitatis neq; virtutis. At si aliquando contingat vt aliqua sit retributio vel malitiæ vel virtutis; non tamen secundum quod dignum est; sed simpliciter veluti quidam gustus iudicij, vt qui resurrectionem non credunt talibus doceantur; quando itaq; videmus malignum ditescere non subruamur; & quando videmus bonum mala pati non turbemur: hic corona, illic supplicia: nam mali propter pauca bona quæ agunt breuem remunerationẽ merentur: non enim potest malus in omnibus malus esse; sicut

nec

nec bonus in omnibus bonus esse sed habet aliqua peccata. Quando ergo prosperitatem habet malus malum capitis sui est; enim pro illis paucis bonis retributionem hic accipit, illic iam plenius punietur.]

Conditiones & Proprietates Aduersæ fortunæ.

§. 1. *Quod aduersitas aperit mentis oculos & erudit homines.*

SIcut proprium est prosperitatis mentem obnubilare, obfuscare, excæcare. Vnde Tullius de amic. ait. *Fortuna ut medicus ignarus multos excæcauit*; & Claudianus Poeta.

—— —— Dissuasor honesti
Luxus & humanas oblimat copia mentes.

Ita aduersitas è contrà mentes illuminat. Hinc Spiritus Sanctus per Isaiam. *Vexatio dabit intellectum auditui.* Felle piscis Tobiæ oculi clausi sunt aperti. Quid per fel nisi aduersitas designatur, quæ fellis amaritudinem sapit: quis enim aduersitates libenter subit? displicent palato cordis sicut fel palato oris: attamen si displicent palato, prosunt oculis qui aperiuntur & illuminantur. Plenæ sunt historiæ eorum qui dum per abrupta vitiorum cæco ferebantur cursu prosperitate impellente; adueniente aduersitate apertis oculis mentis ad rectum virtutis tramitem salutisq; semitam sunt reducti. Testis Dauid, Manasses, Mauritius Imperator, Bela Rex Vngariæ, alijq; permulti, quorum gesta prætermitto dum breuitati studeo; possunt tamen in ipsorum historijs quà sacris quà prophanis perlegi.

Nulli dubium esse debet quin aduersitates à Deo immittantur ad nostrum profectum. Inquit enim Spiritus Sanctus. *Quos amo arguo & castigo.* Et certè plurima sunt & ferè omnia ad humanæ vsum vitæ deseruientia, quæ per laborem, agitationem, & attritionem meliora redduntur. Aqua per montes & abrupta decurrens melior est quàm aqua immota; vnde illa dici-

dicitur viua, hæc mortua. Ferrum si transeat in assiduum vsum purgatur, perficitur, collustratur; at si in angulo positus latescat, nulliq; operi adhibeatur procul dubio fuscatur, vertitur in atram scabiem,& rubigine absumitur. Ager vt fructum reddat frequentato vomere & repetitis vicibus proscinditur, & quò sæpius & profundius eò melius;tunc enim vberiorem fructum affert. Frumentum, vt in panem conuertatur, tunditur & conteritur in pistrino, miscetur cum aqua, manibus benè attrectatur,& demum in clibano decoquitur. Vuæ vt vinum, & oleæ vt oleum reddant, in torculari apponuntur, premuntur, conculcantur,exprimuntur. Linum quoties percutitur,repercutitur, pectitur vt panna linea ex illo conficiantur. Animalia quoq; quædam nonne flagellis cæduntur vsq; ad sudorem? & tunc odorem emittunt suauissimum? Nuces si quis colligere velit & pinus, nonne hastis necesse est vt arbores percutiat? Quid ergo mirũ si flagellis, tribulationibus, aduersitatibus à Deo immissis (immittuntur autem semper quamuis per causas secundas) homo eruditur, purgatur, perficitur? An non (Apostolo teste) *virtus in infirmitate perficitur?* Propter quod, idem de seipso dicit, *placeo mihi in infirmitatibus meis*.

Sunt quidem, & non negamus,nonnulli qui aduersitatibus deteriores fiunt, quiq; videntur quodammodo reluctari Deo; & pugnare cum ipso ad instar tauri ceruice erecta & cornibus intentis itaut si Deus pro illorum bono & salute auferat illis vel voluptates in quibus consepulti iacebant: vel diuitias in quibus gloriabantur: vel honores & dignitates in quibus positi alios despiciebant: vel corporis vires & robur, quibus abutebantur: vel cognatos & amicos, quibus innixi infirmiores opprimebant: vel quid aliud simile de terrenis rebus & substantijs, quo suffulti scelera perpetrabant; ipsi in eorum praua voluntate & cæco affectu semper obstinatiores permanentes omnibus modis conãtur retinere saltẽ effectu, quicquid Deus illis iam in affectu auferre molitur. Tales erant ij qui dicebant lateres ceciderunt,sed quadris ędificabimus:Sicomoros succiderunt;sed cedros mutabimus. Itaq; aduersitas, quæ illis ad

vtili-

vtilitatem & correctionem immissa erat, conuertitur illis in perniciem & non rarò in desperationem. Sed hoc vitio ipsorum euenit; non autem culpanda est aduersitatis quæ vtilis est. Tribuant malum prauæ & in malo firmatæ voluntati. *Omne enim* vt ait Philosophus, *quod recipitur in alio, ad modum ipsius recipientis recipitur.*

Necesse est odio habere mundũ, carnem, diabolum, eiusq; proprijs & operibus verè & factis renuntiare; sicut verbis in baptismi regeneratione spopondimus: e contrà verò Deum diligere debemus si cum ipso in æterna gloria conregnare percupimus. At quis nesciat dilectionẽ Dei inde maximè oriri quando quis gustare incipit quàm suauis sit Dominus? Ergo odium mundi inde maxime oritur quando quis gustare incipit quàm amarus sit mundus. Sed certè tribulationes, & aduersitates, pressuræ, persecutiones hoc maximè præstant. Igitur inducunt quantùm est ex ipsis ad odium mundi; consequenter etiam ad dilectionem Dei. *Sapientia humiliati*, inquit Sapiens Eccles. 11. *exaltabit caput eius; & in medio magnatorum consedere illum faciet.* Verè vir sapiens multùm aduersitatibus proficit multùm virtus lacessita crescit. Multa sustinet, multa probat, multa per experientiam discit vir bonæ voluntatis & salutis cupidus dum varijs tribulationibus & aduersitatibus impetitur. Hac igitur de causa Apostolus Paulus ad Romanos scribens gloriatur primùm in Deo, deinde in tribulationibus dicens. *Gloriamur in tribulationibus*; additq; causam subdens. *Quoniam tribulatio patientiam operatur; patientia verò probationem* &c. Pulcherrime ad hoc propositum dixit Greg. *Oculos quos culpa claudit, pœna aperit.*

§. 2. *Quod aduersitas ad pœnitentiam adducit.*

MAgnum profectò diuinæ pietatis opus, dum peccatores in via perditionis cæca mente currentes superextensa misericordiæ dextera & iniecto aduersitatum fræno ab illo exitiali cursu retrahit, à peccatorum laqueis potenter educit; & ad

& ad salutarem pænitentiam misericorditer adducit. In excitatione à mortuis illius adolescentis vnici Viduæ filij, qui extram portam ciuitatis Naim efferebatur legimus Dominum tetigisse loculum seu feretrum quo vehebatur, & eos, qui portabant, stetisse. Ita prorsus accidit in proposito. Deus per suã misericordiam accedit ad mortuos in peccatis. Loculum, qui corpus est, sua visitatione tangit nempe immittens grauem aliquam infirmitatem; tunc passiones inordinatæ, quibus tanquã portitoribus præcipites ferimur in vitiorum decliuia, aliquantulum conquiescunt; inde animus incipit paulisper se colligere, & mens ad se reuerti; quo in statu sic permanens audit vocem Dei sibi dicentis. *Adolescens tibi dico surge.* Vel vt Apostolus inquit. *Surge qui dormis & exurge à mortuis & illuminabit te Christus.* Et ecce resurrectio spiritualis à peccatis, ecce conuersio, ecce iustificatio.

De peccatoribus dicebat Ieremias. *Omnes conuersi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens ad prælium.* Pulcherrima sane & adviuum exprimens similitudo. Sicut enim equus currens ad pugnam non hostem ex aduerso timet, non cadentium eiulatus perhorret, non tormentorum fragoribus cõcutitur, non lancearum ictibus deterretur. Sic planè impij, qui præcipites feruntur quocunq; eos cæca libido & effrænata impellit cupiditas non diaboli insidias eiusdemq; veluti leonis rugitum expauent, non aliorum sic ambulantium ruinas excogitant, non imminentem mortem diuinumq; iudicium reformidant, non gehennæ sibi paratæ incendijs commouentur. Veruntamen sicut equus prefato impetu currens chamo & freno constrictus cursum sistit; ita dextera omnipotentis impios tangens; & chamo ac fræno maxillas eorum constringens, qui non approximant ad eum; immo toto impetu longè recedunt ab eo, detinet, retinet, conuertit, & ad meliorem fidem benigniter reducit. Maximum certè Dei beneficium. Quemadmodum enim qui apprehenderet, & teneret aliquem se in flumen præcipitem dare volentem etiamsi aliquantulum in aliqua corporis parte læderet non illi iniuriam, sed maximum

contulisse beneficium censeretur, modò illi vitam seruaret, & ab euidenti mortis periculo liberaret; sic omnino peccatorem in tartara ruentem percutiens Deus,& percutiẽdo sanans atq; ad pænitentiam adducens,maximo illũ afficit beneficio eiusq; salutis auctor æstimandus est.

De Pharaone dixit Deus. *Adhuc vna plaga tangam Pharaonem.* Quia illa tactus ad tempus resipiscebat, Dominum agnoscebat, deprecabatur Moysen, & Aaron vt pro eo apud Deum intercessores existerent. En vtilitas aduersitatis. Similiter Manasses Rex,qui prospera flante fortuna flagitiosam vitam traduxerat, à Deo tactus, regno & diademate spoliatus, captiuus in Babilonem deductus, Postquam coangustatus est orauit Dominum Deum suum, & egit penitentiam valde coràm Deo patrum suorum, deprecatusq; est eum, & obsecrauit intentè, & Dominus exaudiuit orationem eius, reduxitq; eũ in Ierusalem in regnum suum,& cognouit Manasses quod Dominus ipse esset Deus.

Appositè in hanc sententiã *Diuus Chrysostomus.* [Sicut, *inquit*, Splene, & intercute laborantes cum larga fruuntur mensa, frigida potione, delicijs ferculorum & saporibus tunc præcipuè omnium sunt miserrimi delicijs morbum augentes; si verò siti & fame secundùm medicorum leges cruciantur aliquam salutis spem habent. Sic & in iniquitate viuentes si puniantur à Deo, bona spem habent; si verò cum iniquitate, licentia & delicijs fruuntur sunt multò miseriores. Quemadmodum enim frigus noctis florem contrahit, & calor diei foras euocat; sic aduersitas à Deo inflicta peccatorem cõtrahit vt ad se redeat, se recognoscat & pæniteat; prosperitas verò extollit, & extrà seipsum vagari facit.]

In illis Euangelicis verbis, *Compelle eos intrare vt impleatur domus mea*; duo prædestinatorum genera designantur. Alterum eorum quisponte sua crucis mortificationem & laborem suscipiunt. Alterum eorum qui inflictas à Deo plagas leniter ac patienter ferunt; tamen illis libenter carerent si optio sibi daretur. Patres amantes filiorum interdum illos ligant te-

netq;

nentq; constrictos vt ferrum & ignem vlceribus sanandis necessarium patiantur. Sic Pater, ille noster cælestis dormitantes filios illatis plagis ad salutarem laborum tolerantium excitat vt vitam tribuat.

Diuus Bernardus Ser. 48. *in Cant.* explicans illa verba Regis Dauid *Conuersus sum in ærumna mea dum configitur spina*. Sic ait. [Benè confixus quia conuersus exinde est. Benè pungeris si compungeris. Multi cum sentiunt pęnam corrigunt culpam. Spina culpa est: spina pęna est: spina falsus frater: spina vicinus malus. Sicut lilium inter spinas sic amica mea inter filias.]

§. 3. *Quod aduersitas Homines ad Deum reducit*.

VVlgatum est illud Diui Gregorij dictum. *Mala quæ nos hic premunt ad Deum ire compellunt*. Certè calamitates & aduersitates huius seculi homines ad Deum creatorem suum reducunt, qui absq; illis reuersuri fortè non erant. Regulus ille Euãgelicus ad Christum accessit propter infirmitatem filij sui, alioqui fortè non accessurus. Sic olim in deserto viri Israelitę. *Cum occideret eos Deus*, idest ad mortis vsq; periculum affligeret, *quærebant eum & reuertebantur & diluculo veniebant ad eum; & rememorati sunt quia Deus est adiutor eorum*. Hinc benè *Diuus Augustinus Epist.* 87. Quam multa habeant impij dona, & munera gratuita ab illo, quem contemnunt, enumerare quis potest? inter quæ illud magnum, quod exemplis interpositarum tribulationum, quas huius seculi dulcedini tanquam bonus medicus miscet, admonet eos, si attendere velint, fugere à ventura ira: & cum in via sunt .i. in hac vita concordare cum sermone Dei, quem sibi aduersarium habent malè viuendo. Quid ergo non misericorditer præstatur hominibus à Domino Deo, à quo etiam tribulatio beneficium est: nam res prospera donum est consolantis; res autem aduersa donum est admonentis.] Hæc habet eximium illud Ecclesiæ lumen Augustinus; qui alibi exemplum affert de Dauide in hanc quoq; sententiam sic inquiens. [Hoc peccatum (.i. adulteriũ

cum homicidio) non fecit Dauid cum persecutorem Saulem pateretur; quando per diuersa fugiebat ne in manus eius incideret; erat in infirmitate tribulationis suæ tantò in Deum intentior, quantò miserior videbatur. Vtile quiddam est tribulatio vtile medici ferramentum tanquam contrà Diaboli tentamentum. Factus est postea securus deuictis hostibus, pressura carruit, tumor excreuit. Vnde & alibi idem de seipso dicit. Tribulationem & dolorem inueni & nomen Domini inuocaui.]

Pro eo, quod nos legimus. *Sitiuit in te anima mea quàm multipliciter tibi caro mea*. Diuus Hieron. vertit. *Sitiuit in te anima mea: desiderauit te caro mea in terra inuia sitiente sine aqua.* Quibus verbis aduersitatũ fluctus quidã ingens innuitur. Cum enim homines omni se humano præsidio ac solatio destitutos inspiciunt, neque aliud in mundi huius vberibus quàm absintium inueniunt; tunc demum malis suis edocti intelligentes & percipientes quanta sit mundi inanitas atq; fallacia ad Deũ veræ salutis & fælicitatis fontem accurrunt, atq; ita vt non modò spiritus sed caro ipsa flagellis erudita ad Deũ aspirare, in eoq; respirare incipiat, ac delectari. Hoc est igitur quod ait. *Sitiuit in te anima mea, desiderauit te caro mea*: nec modò Deũ desiderat; sed in eo etiam exultat; iuxtà illud. *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum Omnia ossa mea dicent. Domine quis similis tibi*. Aquis diluuij crescentibus arca efferebatur in sublime, & quò magis illæ excrescebant eò magis hæc ascendebat & in altum tollebatur. Quid hoc significat? nisi quod ingruẽtibus aduersitatibus huius seculi per aquas significatis animus noster sursum ad Deum eleuatur? Verè mala quæ nos hic premunt ad Deum ire compellunt.

Ionas, qui dum erat liber fugerat à facie Dei, orta tempestate in mare proiectus, & in ventre ceti conclusus, Deo obediens factus est: statim enim atq; ad ripam eiectus fuit, abijt in Niniuen sicut Deus illi præceperat, ibiq; prædicauit verbum Dei. Zeno Cittius Philosophus dicere solebat se nunquam commodius nauigasse, quàm cum naufracta, & amplissimis

opi-

opibus naufragio amissis enatauit. Tunc enim Philosophiæ operam dare cæpit. Vnde benè inquit Propheta. *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum postea accellerauerunt.*

Diuus Gregorius in Homilia super Parabolam Hominis qui fecit cænam magnam, sic dicit. [Plerūq; postquam in terrenis desiderijs de impossibilitate lassamur, tunc mentem ad Deum reducimus: tunc placere incipit quod displicebat; & quæ nobis amara fuerant præcepta, repentè dulcescunt in memoria: peccatrix enim anima, quæ adultera conata esse non potuit; decernit esse fideliter coniux. Qui ergo huius mundi aduersitatibus fracti, ad Dei amorem redeunt atq; à præsentis vitæ desiderijs corriguntur, quid isti fratres carissimi, nisi vt intrent cōpelluntur?] *Hæc Gregorius*: & certè Deus noster tanquam pijssimus & amantissimus Pater, *inquit Granatensis*, aduersitates electis suis frequenter immittit, vt flagellis ipsis mundi amaritudinem experti mundum fugiant, & ad illum tota auiditate confugiant, in quo solo vera quies animi, verum gaudium, vera satietas reperitur. Sic etiam facit prudens & amantissima mater erga dilectum filium, quæ, volens illum iam grandiusculum ablactare & solidiori cibo præparare, vbera quibus illum antea lactabat absintio illinit, vt hac amaritudine offensus dimisso lacte cibum vel inuitus capiat solidiorem.

§. 4. *Quod in aduersitatibus Deum habemus adiutorem & consolatorem.*

CElebris est ille locus psalmistæ in quo Deum omnibus tribulatis adesse testatur inquiens. *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum.* Hoc manifestè adimpletum videmus in multis Sanctis & quotidie adimpleri Mitto exempla ad breuitatem tenendam vno tantum erimus contenti desumpto ex sacra pagina; sitq; Sancti Ioseph Patriarchæ ex duodecim illis Israelitis. Erat Ioseph inter cæteros filios Iacob innocentissimus; nihilominus alijs quietam, & prosperam vitam in propria domo degentibus solus ipse

in terra alienigena tribulatur. Primò in cisternam fame periturus immittitur. Inde extractus Israelitis in seruum venditur. Ab his in Aegiptum asportatur, vbi linguam, quam non nouerat, audiuit. In Aegipto seruitio mancipatur. Iterum ibi diuenditur. In seruitio positus grauissimè tentatur ad adulterium. Tentationi resistens, fidem Deo ac suo domino castissimè seruans, accusatur tamen falsò, condemnatur, in carcerem & in lacum mittitur. Custoditur in vinculis plurium annorum spatio. Ab ingrato pincerna decipitur. Verùm in tàm graui & tàm varia tot annorum afflictione Deus nunquam dereliquit illum. Vnde dicitur in Psalmis. *Descendit cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit eum* immo vniuersa illa afflictio & pressura huc tendebat, nimirum vt talia via & medio à Pharaone Rege exaltaretur, totius Aegipti dominus & gubernator constitueretur; nec non patrem suum, fratres, cognationem; immò vniuersum, qui tunc in terris erat, Dei populum à fame grauissima liberaret. Nisi enim à fratribus in Aegiptum fuisset diuenditus & amandatus: nisi in Aegipto in carcere fuisset detrusus: nisi in carcere à pincerna fuisset deceptus: certè nunquam fortè in Aegiptum descendisset, nunquam Pharaoni per pincernæ suggestionem quamuis seram pro viro sapiente innotuisset. Deo igitur omnia suauiter & fortiter disponente hoc totum est factum; vt ipsemet Ioseph fratribus suis contestatus est. *Non vestro*, inquit, *consilio; sed Dei voluntate huc missus sum, qui fecit me quasi patrem Pharaonis, & dominum vniuersæ domus eius, & principem in omni terra Aegipti.* Sed quare? *Pro salute vestra*, inquit, *vt reseruemini super terram, & escas ad viuendum habere possitis.* Et vide clementissimi Domini & Dei nostri benignitatem, misericordiam & ineffabilem prouidentiam pro singulis malis quæ Ioseph perpessus est singulas proportione quadam respondentes dedit illi mercedes. Nam pro odio fratrum suorum acquisiuit gratiam Regis eiusq; magnatum: pro contemptu & irrisione fratrum dicentium (*ecce somniator venit*) ab illis adoratur semel atq; iterum pronis in terram, & muneribus honora-

tur:

tur: pro exilio obtinet exaltationem in terra aliena: pro labore manuum in seruitio Putipharis, annulum regium in aula Pharaonis: pro tunica polymata, qua fuerat à fratribus spoliatus, stollam byssinam, qua Rex induit eum: pro vinculis in carcere, torquem aureum in palatio: pro carcere & lacu, sedem super currum regis: pro eo quòd ab omnibus contemptus fuerat vt extraneus, & seruus, vt vinctus: ab omnibus genuflexis fuit adoratus sic mandante Rege Pharaone: pro nomine serui, quod in Aegipto Ismaelitæ imposuerunt illi, assecutus est nomen regium & magnificum itaut vocaretur Saluator Aegipti: pro reiecta adultera duxit in vxorem legitimam fæminam nobilissimam: Deniq; pro domo paterna, qua extorris factus fuerat: vniuersæ Aegiptus obtinuit dominatum. Vide quomodo Deus adiutor est in tribulationibus? quomodo consolatur afflictos? quomodo aduersitates ordinat in maiorem electorum suorum exaltationem?

Hinc benè dicebat *mellifluus Bernardus sup. psal. qui habitat serm. 17. circ. med.* [Bonũ mihi Domine tribulari; dũmodo ipse sis mecum; quàm regnare sine te, epulari sine te, sine te gloriari. Bonum mihi in tribulatione magis amplecti te, in camino habere te mecum, quàm esse sine te vel in Cœlo. Quid enim mihi est in cœlo; & à te quid volui super terram] Non minus etiam eloquenter ac sapienter in eamdem sententiam *Eusebius Emissenus hom. in litanijs*. Aduerte, *inquit*. circa te indulgentiam singularem Domini Dei tui. Sub tantis malis non crudeliter derelictus sed salubriter humiliatus es. Nunquid non plus est periculum inter medias acies ignorasse quàm periculum non vidisse? Nunquid non virtus Dei maior apparet si quemquam domo procumbente conclusum ruina non obruat, quàm si in statu suo domus inconcussa habitatorem seruet illæsum? Nunquid non maioris miraculi opus est si quisquam inter tumentes fluctus fractis gubernaculis nauem iam naufragam nullum discrimen incurrat, quàm si in portu immobili tranquillitate requiescat? Nunquid non maius beneficij cælestis opus est æstuantibus quemquam immersum caminis

in terra alienigena tribulatur. Primò in cisternam fame periturus immittitur. Inde extractus Israelitis in seruum venditur. Ab his in Aegiptum asportatur, vbi linguam, quam non nouerat, audiuit. In Aegipto seruitio mancipatur. Iterum ibi diuenditur. In seruitio positus grauissimè tentatur ad adulterium, Tentationi resistens, fidem Deo ac suo domino castissimè seruans, accusatur tamen falsò, condemnatur, in carcerem & in lacum mittitur. Custoditur in vinculis plurium annorum spatio. Ab ingrato pincerna decipitur. Verùm in tàm graui & tàm varia tot annorum afflictione Deus nunquam dereliquit illum. Vnde dicitur in Psalmis. *Descendit cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit eum* immo vniuersa illa afflictio & pressura huc tendebat, nimirum vt talia via & medio à Pharaone Rege exaltaretur, totius Aegipti dominus & gubernator constitueretur; nec non patrem suum, fratres, cognationem; immò vniuersum, qui tunc in terris erat, Dei populum à fame grauissima liberaret. Nisi enim à fratribus in Aegiptum fuisset diuenditus & amandatus: nisi in Aegipto in carcere fuisset detrusus: nisi in carcere à pincerna fuisset deceptus: certè nunquam fortè in Aegiptum descendisset, nunquam Pharaoni per pincernæ suggestionem quamuis seram pro viro sapiente innotuisset. Deo igitur omnia suauiter & fortiter disponente hoc totum est factum; vt ipsemet Ioseph fratribus suis contestatus est. *Non vestro*, inquit, *consilio; sed Dei voluntate huc missus sum, qui fecit me quasi patrem Pharaonis, & dominum vniuersæ domus eius, & principem in omni terra Aegipti.* Sed quare? *Pro salute vestra*, inquit, *vt reseruemini super terram, & escas ad viuendum habere possitis.* Et vide clementissimi Domini & Dei nostri benignitatem, misericordiam & ineffabilem prouidentiam pro singulis malis quæ Ioseph perpessus est singulas proportione quadam respondentes dedit illi mercedes. Nam pro odio fratrum suorum acquisiuit gratiam Regis eiusq; magnatum: pro contemptu & irrisione fratrum dicentium (*ecce somniator venit*) ab illis adoratur semel atque iterum pronis interram, & muneribus honoratur:

tur: pro exilio obtinet exaltationem in terra aliena: pro labore manuum in seruitio Putipharis, annulum regium in aula Pharaonis: pro tunica polymata, qua fuerat à fratribus spoliatus, stollam byssinam, qua Rex induit eum: pro vinculis in carcere, torquem aureum in palatio: pro carcere & lacu, sedem super currum regis: pro eo quòd ab omnibus contemptus fuerat vt extraneus, & seruus, vt vinctus: ab omnibus genuflexis fuit adoratus sic mandante Rege Pharaone: pro nomine serui, quod in Aegipto Ismaelitæ imposuerunt illi, assecutus est nomen regium & magnificum itaut vocaretur Saluator Aegipti: pro reiecta adultera duxit in vxorem legitimam fæminam nobilissimam: Deniq; pro domo paterna, qua extorris factus fuerat; vniuersæ Aegiptus obtinuit dominatum. Vide quomodo Deus adiutor est in tribulationibus? quomodo consolatur afflictos? quomodo aduersitates ordinat in maiorem electorum suorum exaltationem?

Hinc benè dicebat *mellifluus Bernardus sup. psal. qui habitat serm.* 17.*circ.med.* [Bonũ mihi Domine tribulari; dũmodo ipse sis mecum; quàm regnare sine te, epulari sine te, sine te gloriari. Bonum mihi in tribulatione magis amplecti te, in camino habere te mecum, quàm esse sine te vel in Cœlo. Quid enim mihi est in cœlo; & à te quid volui super terram] Non minus etiam eloquenter ac sapienter in eamdem sententiam *Eusebius Emissenus hom. in litaniјs*. Aduerte, *inquit*. circa te indulgentiam singularem Domini Dei tui. Sub tantis malis non crudeliter derelictus sed salubriter humiliatus es. Nunquid non plus est periculum inter medias acies ignorasse quàm periculum non vidisse? Nunquid non virtus Dei maior apparet si quemquam domo procumbente conclusum ruina non obruat, quàm si in statu suo domus inconcussa habitatorem seruet illæsum? Nunquid non maioris miraculi opus est si quisquam inter tumentes fluctus fractis gubernaculis nauem iam naufragam nullum discrimen incurrat, quàm si in portu immobili tranquillitate requiescat? Nunquid non maius beneficij cælestis opus est æstuantibus quemquam immersum caminis

minis nullum omnino sensisse flammæ furentis ardorem, quàm ignitam penitus non intrasse fornacem? Nunquid non magis prædicabile diuinæ miserationis insigne est si fortè quemquam bestijs traditum omnino contingere feritas impastis faucibus armata non audeat; quàm si familiari vmbone circumdatus ipse se tutum videat vbi occasionem periculi, causamq; non videat? Nunquid non munificentior Dei gratia circa Prophetam fuit, quod Rege vsq; ad lacum votis, & supplicationibus prosequente à leonibus honoratus est, quàm si leonibus non fuisset iniectus? Aduerte quod Deus noster probat suos, in tribulationibus non relinquit. Ecce hic beatus Propheta hostibus seruiebat, sed bestijs imperabat. Nunquid non præclarius fuit tribus pueris inter sæua incendia constitutis ignem non solum membris sed vestibus & capillis seruasse reuerentiam, quàm nullam subijsse tentationis iniuriam? Nemo se à Deo æstimet deseri cũ traditur tentationi. Nemo miser putetur qui in fide uel in animi uirtute non læditur. E contrario autem qui in securitate uitijs deditus est in libertate captiuus est.] *Hæc eloquens Emissenus.* Et *Granatensis*. sicut *inquit*, pia mater nusquam magis ad consolandum suum filiolum accurrit, quàm cũ illum inconsolabiliter eiulantem cernit; ita pijssimus Deus nunquam propior est seruis suis quàm in tribulatione; quamis hoc interdum minus ab hominibus agnoscatur.

§. 5. *Quod aduersitas reddit pariter & ostendit homines fortes & probatos.*

PErbellè quidam sapiens pronunciauit. *Fortis est quem aduersa non frangunt; fortior quem prospera non alliciunt; fortissimus verò quem nec ipsa rerum uicissitudo deturbat.* Quòd autem fortitudinis robur ab aduersitatibus oriatur, hac similitudine satis ostendi potest. Quemadmodum cocti lateres nisi uehementi igne coquantur & per hoc obdurescant, mox ubi aquam biberint dissoluuntur, & in minutissimas micas abeunt; igne verò quo consumendi & in cineres redigendi videbãtur,

itu

ita roboratur & obducescunt vt nulla dissolui queant aqua; & ad ædificia reddantur aptissimi: Sic planè iusti, qui tribulationibus frangi, atq; è mentis statu dimoueri cuipiam videri poterant; ex illis nihilominus tantum animi robur, fortitudinem tantam concipiunt & acquirunt vt nullis rerum aduersarum fluctibus concutiantur & dissoluantur; immo ad ædificium spirituale maximè idonei redduntur, vt tanquam viui & electi lapides in illo coaptentur. Quod etiã aduersitas homines fortes & probatos ostendat, testatur *S. Gregorius inquiens.* [Nemo quantum profecerit nisi inter aduersa cognoscit; quia vnusquisq; superni doni gratiam in tranquillitate quietis percipit; sed quantum perceperit in aduersitate perturbationis ostendit.] *Idemq; Gregorius.* [Electorum desideria dum premuntur aduersitate proficiunt, sicut ignis flatu premitur vt crescat; & vnde quasi extingui cernitur, inde roboratur. *Idemq; in moralibus* Caro mollibus, anima duris nutritur: illam blanda fouent, hanc aspera exercent: illa delectationibus pascitur, hæc amaritudinibus vegetatur: & sicut carnem dura sauciant, sic spiritum mollia necant: & inde spiritus in perpetuum moritur, vnde ad tempus caro suauiter viuit.] Et *Diuus Bernardus super Cantica.* Quomodo stellæ in nocte lucent, in die latent: sic vera virtus quæ semper in prosperis non apparet, in aduersis eminet.

§.6. *Quòd aduersitas maiorem in nobis excitat amorem Dei: & insimul est ipsius Dei erga nos amoris testimonium.*

QVòd aduersitas maiorem in nobis excitet Dei amorem, atq; vt Deo arctius adhæreamus efficiat, satis colligitur ex illo Euangelij loco, quo Discipuli iactati fluctibus maris, & in periculo submersionis positi accurrerunt ad dormientem Dominum excitantes eum & clamãtes *Domine salua nos, perimus.* Quem locum explicans *Diuus Chrysostomus sic dicit.*

Hom. 10. in Euang. [Deus tribulationes irruere permittit vt ad ipsum frequentius confugiamus. Tale aliquid faciunt amātiores filiorum parentes cum paruulos suos viderint à se quidem sæpe discedere, suorum autem lusibus detineri: præcipiūt famulis terribilia multa simulare, vt exagitati metu paruuli ad maternum sinum confugere festinent.] *Hæc Chrysostomus.* Sed & mater paruulum infantem laxius & negligentius in sinu suo hærentem ex industria cadere in terram permittit, vt casu læsus & matrem inclamans in sinum post receptus tenacius adhæreat, matrisq; collum amantissimè stringat: ita pariter Deus noster non modò ab alijs tribulari, & vexari nos sinit; sed nonnunquam etiam ipse plagas & intentat & infligit; vt his excitatos nos qui prius errantes & per mundi prata lasciuientes eramus ad sui amplexus peramanter inuitet. Sanè sicut pluuia in terram cadens erigit semina *ait idem Chrysostomus Hom. 14. ex varijs in Matt. locis*; sic tribulatio animum ingressa erigit desiderium: nam si granum tritici inclusum in palea foras non egreditur nisi fuerit trituratum sic & homo impedimentis mundialibus, & rebus carnalibus quasi in palea inuolutus difficilè egreditur nisi fuerit aliqua tribulatione vexatus.

Attentiorem quippe, & in causa salutis suæ vigilantiorem facit hominem inflicta tribulatio. Quemadmodum enim viator tunc in via cautus & circumspectius incedit quando vel alicui densæ siluæ, vel loco alteri latrocinijs obnoxio appropinquat; vel semitam aliquam, aut transitum difficiliorem offendit: in campestribus autem planis ac spatiosis locis securè & oscitanter procedit: sic planè aduersitate graui oborta recolligimus nos ipsos attentius; & actionum nostrarum gressus cautius ordinamus; ideoq; Dei voluntatem exploramus diligentius, eiusq; auxilium feruentius imploramus. Porrò supradicti effectus in bonis deprehenduntur; cæterum in malis non sic. Vnde benè Granatensis quodam in loco ait. Tribulatio instar flatus vehementis est, qui cum lucernam extinguat, ignem tamen accendit. Sic ergo tribulatione boni redduntur

me-

meliores; mali verò deteriores: illi in Dei amorem accenduntur; isti autem extinguuntur.

Quod etiam aduersitas testimoniũ sit Dei erga nos amoris, non est opus vt multis auctoritatibus & rationibus comprobemus. Res ipsa loquitur; experientia testatur. Quem enim Christus cariorem habuit in terris præ suis discipulis, Apostolis, & sua dilectissima Genitrice? sed quinam etiam grauiores sustinuere aduersitates, pressuras, passiones? At amoris significationes ista fuere. Cum enim illos Deus & probare, & coronare vellet: via autem ad coronas, & probationis modus sit ipsa tribulatio: quò ampliori eos corona donare disponebat; eò grauius tentari & affligi permittebat. Sic enim erat necesse iuxtà illud Angeli ad Tobiam. *Quia acceptus eras Deo necesse erat vt hæc tentatio te probaret.* Sapienter *S. Chrysostomus Hom. 5. ad pop. Antioc.* in hanc sententiam scripsit. [Potest, *inquit*, certè Deus omnia grauia hodie soluere, sed donec nos purgatos videat, & firmam atq; inconcussam conuersionem, tribulationem non dissoluit. Etenim aurifex donec aurum benè purgatum viderit de conflatorio non extrahit. Nec citharedus neruum intendere prius desinit quàm harmonię cõcentum perfectum aduerterit. Sic Deus non abducit tribulationis nubem donec nos penitus emendauerit.] *Hæc Crysostomus*. Ergo sicut aurifex aurum, & citharædus concentum; sic Deus nostram intendit salutem, diligit, desiderat, operatur. Quid plura? Nonne pater amat filium? & nonne filius flagellatur à patre? Apostolus ad Hebr. 12. ait expresse. *Fili mi*, inquit, *noli negligere disciplinam Domini, neq; fatigieris dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus castigat; flagellat autem omnem filium quem recipit. In disciplina perseuerate. Tanquam filijs vobis offert se Deus: quis enim filius quem non recipit pater? Quod si extrà disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes; ergo adulteri, & non filij estis.* Quæ Apostoli verba expendens Diuus Augustinus hanc Conclusionem infert. *Ergo si exceptus es à passione flagellorum, exceptus es à numero filiorum.*

§. 7. *Quod aduersitas sit Mater & Magistra omnium virtutum.*

TAm multæ ſunt vtilitates aduerſitatis, vt lingua vix edicere poſſit. Non inter poſtremas illa cenſenda eſt, quod ſit mater, magiſtra, &, vt ait Chryſoſtomus, pedagogus virtutum .i. varijs virtutibus animum inſtruens. Sic enim eloquentiſſimè *Sanctus Chryſoſtomus ſuo more explicat*. [Tribulatio, *inquit*, omnium virtutum eſt mater, ac filiorum pædagogus: nec debuerunt illi, qui præ omnibus diliguntur, matre priuari à qua nutriantur; nec pædagogo, cuius induſtria doceantur, vt non ſolum magnis vitijs ſed etiam minimis defectibus liberentur. Illi ſanè antequam ſanctam conuerſationem arriperent, fortaſsis in grauia ſunt peccata prolapſi, & poſt conuerſionem ſuam modicos defectus & leuia peccata patrare non ceſſant; ad quæ ipſa carnis fragilitate propemodum impelluntur; tribulationes verò præterita crimina, & præſentia peccata non ſine ſuauiſsima Dei diſpenſatione caſtigant. Quod videmus in mendico Lazaro; recepit enim ille mala .i. labores & corporis dolores, ac plagas in vita ſua, vt caſtigatis & purgatis defectibus ſuis conſolationem diuiti Epuloni negatã acciperet. Nonnunquam etiam vitiorum fallaci ſuauitate perfecti tentantur; & rerum temporalium curis velut ſyrenarum cantu præpediuntur ne nouos faciant in virtute progreſſus; & tribulationis flagello à vitijs arcentur, à rerum labentium amore reuelluntur, ad currendum in via ſpiritus incitantur; nam multiplicatę ſunt infirmitates eorum poſtea accelleraucrunt.] *Ita Chryſoſtomus*.

Sancti ideò Sancti quia in tribulationibus, tentationibus, aduerſitatibus plurimis exagitati; ſicq; in virtutibus profecerunt [*Quis* Sanctorum, *inquit Diuus Hieronymus ad Euſtochium*, ſine certamine coronatus eſt? Abel iuſtus occiditur. Abraham vxorem periclitatur amittere: & ne in immenſum volumen extendam quære & inuenies Sanctos omnes aduerſa

per-

perpellos. Solus Salomon in delicijs perpetuò fuit,& forsitan ideò corruit. Quem enim diligit Dominus castigat &c.] *Ita Hyeronimus.*

Immo proprium Christiani (vtar communi vocabulo ad maiorem expressionem) proprium, inquam, Christiani esse videtur aduersa pati; itaut nomen Christiani non mereatur qui nunquam aduersa patiatur. Hinc *Sanctus Augustinus.* [Nullus seruus Christi sine tribulatione est. Si putas te non habere persecutiones, nondum cæpisti esse Christianus.] Et *Saluianus contrà gentes.* [Nemo *inquit*, in tribulatione moueatur; ipsi enim scimus quod in hoc positi sumus.] Quid mirum si calamitates in hoc seculo perpetuò patimur, qui ad tolleranda vniuersa militamus? Et sanè Christianus quodammodo esse desinit qui in hoc positus vt perferat, nihil tamen perfert.

§. 8. *Quod aduersitas patienter tolerata sit prædestinationis signum.*

INter signa, quibus aliquo modo conijci potest prædestinatio alicuius, recensetur illud, nempe tribulationibus & aduersitatibus premi. Etenim in Apocalypsi Dominus ait. *Ego quos amo arguo & castigo.* Vnde Diuus Paulus ad Hebræos inquit, *quem diligit Dominus castigat; flagellat autem omnem filium quē recipit*; vt diximus suprà §. 6. Diligere autē & recipere in filium est prædestinare. Hinc *Diuus Augustinus.* [Noli, *inquit*, esse iniquo sensu & puerili vt dicas plus amat pater meus fratrem meum, cui permittit facere quicquid vult, quàm me; quia si me mouero contrà eius iustitiam flagella inuenio. Potius gaude sub flagellis, quia tibi seruatur hæreditas; illis ad tempus parcit, quos in æternum damnabit.] Hinc etiam *Diuus Petrus Chrysologus* sumpta metaphora ab ædificatione tēpli Hierosolimitani *sic ait.* [In ædificatione enim temporali omnesq; lapides prius malleis tundebantur ne in illorum positione sonus mallei audiretur. Neq; in horreo Domini recon-

ditur

ditur triticum donec aut bacillorum percussionibus aut tritu-rantium pedibus sit excussum. Sic & viui lapides qui ponendi sunt in illa Cælesti Hierusalem quæ ædificatur vt Ciuitas, varijs infortuniorũ concussionibus expoliantur antequam in ædificio cælestis habitaculi collocentur.] Vnde Sancta mater Ecclesia in hymnis antiquis de Dedicatione Ecclesię sic habet.

Tunsionibus, pressuris.
Expoliti lapides.
Suis coaptantur locis.
Per manus artificis.
Disponuntur permansuri
Sacris ædificijs.

Aduertendum tamen, non esse signum prædestinationis varijs tribulationibus et aduersitatibus concuti nisi patienter tolerentur; vt enim dixit *Diuus Gregorius*. Nec enim magis aliud iniustos & iustos discernit; quàm quod in aduersis iniustus per impatientiam conqueritur & blasphemat; patientia autem iustos probat.

§. 9. *Quod aduersitas habet gaudium in hac vita; & ad perenne gaudium perducit.*

ALloquens aliquando Christus Dominus Apostolos suos, dicebat. *Vos contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Et idem Dominus *Beati qui lugent quoniã ipsi consolabũtur.* Quibus verbis se subscribẽs Apostolus ille & Euangelista Ioannes in sua Apocalypsi addit. *Et absterget Deus omnem lachrymã ab oculis eorum, & mors vltrà non erit neq; luctus, neq, clamor, neq; dolor erit vltrà.* Cuius rei illustre exemplum habemus in illis duobus Euangelicis paupere & diuite; paupere Lazaro vlceribus pleno, & Epulone diuite epulante quotidie splendide & cooperiẽte se purpura & bisso. Ille post mortem receptus est in sinum Abrahæ; iste verò sepultus est in inferno: ille iucundabatur, iste tormentis afficiebatur: ille gaudebat, iste merebat: ille ridebat, iste plorabat: ille quiesce-

bat,

bat, iste siti laborabat: & dum rogaret Abraham vt mitteret Lazarum qui intingeret extremum digiti sui in aquam vt refrigeraret linguam eius quia cruciabatur in flammis, hoc accepit ab Abraham responsum. *Fili recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu cruciaris.* Causam tàm diuersi amborum status non aliam attulit Abraham nisi quià in presenti vita fuit pariter diuersa illorum conditio. Vnde *Beatus Gregorius hæc verba secundùm cælestem sibi inditam sapientiam expendens sic inquit*, [quicunq; in hoc seculo bona habetis, cum vos bona egisse recolitis, valdè de ipsis pertimescite ne concessa vobis prosperitas eorumdem remuneratio sit bonorum. Et cum quoslibet pauperes nonnulla reprehensibilia perpetrare conspicitis nolite despicere, quia fortasse quos superfluitas tenuissima prauitatis inquinat, caminus paupertatis purgat.] *Ita Gregorius*. Hanc vicissitudinem, mutationem, inuersionem, & transitum de bonis in præsenti vita ad mala in futura; & de malis in presenti ad bona in futura vita passim testantur sacræ literæ. Regius Propheta ait. *Euntes ibant & flebāt mittentes semina sua.* Ecce mala in præsenti vita. Ecce aduersitates. Ecce tristitia iustorum: quia cum labore inter huius vitæ contrarietates seminant, & cum patientia magna fructum bonorum operum afferunt. Sed subdit Propheta. *Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.* Tales manipulos ille portabat qui dicebat. *Domine quinq; talenta tradidisti mihi, ecce alia quinq; superlucratus sum.* Tales Apostolus, qui dicebat. *Bonum certamen certaui cursum consumaui, fidem seruaui; ideò reposita est mihi corona iustitia, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex.* De hac beata rerum inuersione & catastrophe loquebatur Apostolorum Princeps dum dicebat. *Communicantes Christi passionibus gaudete, vt in reuelatione gloria eius gaudeatis exultantes.*

Et ne deterreant nos presentia mala ac si diuturna futura essent, consideremus attentè illorum breuitatem, quam ad viuum expressit Propheta Isaias 54. in persona Dei loquentis

illis

illis verbis. *Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui.* Sic Deus per Isaiam. vbi vide mala præsentia vocari punctum, & momentum: bona verò futura appellari miserationes magnas, & misericordiam sempiternã. Consonant huic rei ea quæ habet. *Venerabilis Beda in sermone 18. de Sanctis*. [Dei, *inquit*, ineffabilis & immensa bonitas etiam hoc prouidit vt laborum quidem tempus & agonis non extenderet, nec longum faceret aut æternum, sed breue, & vt ita dicam momentaneum; vt in hac breui & exigua vita agones essent & labores, in illa verò, quæ æterna est, coronæ & præmia meritorum: vt labores quidem citò finirentur; meritorum verò præmia sine fine durarent: vt post huius mundi tenebras visuri essent candidissimam lucem, & accepturi maiorem passionum cunctarum acerbitatibus beatitudinem testante hoc Apostolo vbi ait: Non sunt condigna passiones huius temporis ad superuenturam gloriã, quæ reuelabitur in nobis.] *Ita Venerabilis Beda*.

Verùm quia homines exterioribus dediti, vt sunt pleriq; magis afficiuntur & mouentur præsentibus quam futuris, videamus quomodo etiam in præsenti vita Deus consolatur suos in aduersitatum fluctibus luctantes; & quomodo post tempestatem donat illis magnam tranquillitatem. Et ne longè petamus probationes, & historiarum monumenta tum sacrarum tum prophanarum euoluamus, in promptu sunt exempla Sanctorum virorum Tobiæ, Iob, Iosephi, Iacobi, Dauidis, vt omittamus cæteros. Nonne Tobias post cæcitatis aduersitatem recuperauit visum, viditq; filios filiorum suorum, & vt ait Scriptura, reliquum vitæ suæ duxit in gaudio, & cum bono profectu timoris Dei perrexit in pace? Nonne Iob post plagas suas accepit omnia duplicia, & postea vixit centum quadraginta annis & vidit filios filiorũ suorum vsq; ad quartam generationem? Nonne Ioseph post exilium, seruitutem & vincula super vniuersam Aegiptum dominationem acce-

accepit? Nonne Dauid post longam persecutionem Saulis constitutus est Rex super vniuersum populum Israel? Nonne Iacob post longum de Ioseph perdito dolorem, inuenit gaudium & tranquillitatem maximam. Audiens enim, dicit Scriptura, nunciantes ei filios & dicentes. *Ioseph viuit, & ipse dominatur in omni terra Aegipti*, quasi de graui somno euigilans tamen non credebat eis. Cum autem vidisset plaustra, & vniuersa quæ miserat Ioseph, reuixit spiritus eius. Meritò igitur Tobias dicebat Deo. *Tu flagellas, & saluas: tu deducis ad inferos & reducis.* Meritò Dauid. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Meritò Apostolus de seipso dicit. *Sicut abundant passiones Christi in nobis ita & per Christum abundat consolatio nostra.* Et volens nos instruere dicit. *Fidelis Deus qui neminem tentat suprà id quod potest; sed dat etiam cum tentatione prouentum vt possit sustinere.* [Nempe quia, (*ait Origines de princ. lib. 3. cap. 2.*) sicut hi qui in agonibus præsunt, eos, qui ad certamen veniunt, non vtcunq; neq; fortuitò inter se sinunt inire certamina; sed diligenti examinatione prout viderint corpora vel ætates æquissima comparatione iungentes illum cum illo, vt pueros cum pueris, viros cum viris &c. ita intelligendum est de Deo, quòd homines qui in hos humanæ vitæ descendunt agones, iustissima ratione dispenset secũdùm rationem vniuscuiusq; virtutis, quam ipse solus agnoscit: vt alius quidem pugnet aduersus carnem talem & tanto tempore; alius verò non tanto: vt alius quidem resistat aduersus inimicum potestatem hanc vel illam: alius aduersus duos tresue simul; & sic in alijs.] *Hæc Origines*. Non deserit igitur Deus nos in hac lucta quam habemus quotidie contrà Carnis illecebras, contrà Diaboli insidias, & contrà Mundi fallacias: dummodo nos non deseramus Deum. Consolatur nos, & facit etiam cum tentatione prouentum; dummodo toto ad illum corde confugiamus, clamemusq; cum laborantibus in remigando discipulis, & dicamus. *Domine salua nos perimus.* Tunc enim poterimus postea dicere cum Propheta. *Transiui-*

mus per ignem & aquam & eduxisti nos in refrigerium. Quod ille concedat nobis, qui est super omnia & in omnibus Deus benedictus in secula. Amen.

DISTINCTIO SECVNDA.

De Disciplina requisita in Ecclesiasticis in ordine ad alios.

VIdimus huiusq; de Disciplina requisita in Ecclesiasticis in ordine ad seipsos; nunc de ea, quæ requiritur in ipsis in ordine ad alios. Dupliciter autem potest quilibet Ecclesiasticus comparari ad alios, nempe Vel vt simpliciter conuiuens ad fouendam humanam societatem: Vel vt auxilum præbens ad subleuandam proximi necessitatem. Si vt Conuiuens debet seruare Disciplinam per Benignitatem, Affabilitatem, Modestiam, & Grauitatem in moribus. Si vt auxilium præbens etiam dupliciter vel domesticis: vel extraneis. Si domesticis debet seruare disciplinam per Gubernationem domesticam. Si extraneis: vel auxilium temporale; vel spirituale. Si temporale, & hoc vel intra domum solummodo, & tunc per Hospitalitatem: vel extrà domum etiam vbiq; & semper;& tunc per Beneficentiam,Liberalitatem, Eleemosinarum largitionem, & reddituum Ecclesiasticorum distributionem: Si auxilium spirituale; & hoc vel Verbo, vel Exemplo. Si Verbo per Predicationem Verbi Dei, per Instructionem simplicium, per Exhortationes priuatas,per Correctionē fraternam. Si exemplo per Irreprehensibilitatem, & integrita- in omnibus vitæ suæ actionibus. De quibus omnibus per singula capita agemus. Itaq; Caput primum erit de Benignitate & Affabilitate. Secundum de Modestia. Tertium de Grauitate in moribus. Quartum de Gubernatione domestica. Quintum de Hospitalitate. Sextum de Beneficientia & liberalitate. Septimum de Eleemosina. Octauum de Distributione reddituum

Ecclesiasticorum. Nonum de Prædicatione Verbi Dei. Decimum de Instructione simplicium & exhortationibus priuatis. Vndecimum de Correctione fraterna. Duodecimum de Irreprehensibilitate, & Integritate seruanda in omnibus Viactionibus.

CAPVT PRIMVM.

De Benignitate, & Affabilitate.

APostolus scribens ad Titum inter ea, quæ requirit in Ecclesiasticis est Benignitas dicens *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse* &c *benignum, sobrium iustum* &c. In persona autem Episcopi omnes instruit Ecclesiasticos. *Est autem Benignitas,* iuxtà Diuum Thomam 2. 2. q.80. *habitus virtuosus voluntariè benefactiuus.* Vnde benigni dicuntur, quos bonus ignis amore feruere facit ad benefaciendum proximis vt ait idem D. Thomas 1. 2. q. 70. art. 3. in corp. *Affabilitas autem est virtus quadam, ad cuius munus officiumq, pertinet dicta, atq; facta omnia alios attingentia præsertim illa, quæ sub nullam legem expresse cadunt ad decori, honestiq, regulam prudenter atq; laudabiliter moderari*, iuxta eumdem D. Thomam. 2. 2. q. 114. Et quia hæ virtutes sunt valdè affines vt patet; ideò ambas sub hoc primo capite complectemur videndo primùm quàm necessariæ sint Ecclesiasticis. Secundò quinam sit illarum fructus.

§. 1. *Quàm necessaria sint hæ virtutes Ecclesiasticis.*

DOctor gentium Beatus Paulus volens docere quomodo cum peccantibus & cum fragilibus agendum sit: & quomodo ad viam salutis sint reuocandi dicit. Gal. 6. *Fratres si praoccupatus fuerit homo in aliquo delicto vos qui spirituales estis huiusmodi instruite in spiritu lenitatis considerantes inuicē; alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.*

Hæc Apostolus. Quod explicans *S. Bernardus sic scribit ad Præsulem quemdam.* [Hoc onus animarum est & infirmarum; nam quæ sanæ sunt portari non indigent, ac per hoc nec onus sunt. Quoscunq; igitur de tuis inueneris tristes vel pusillanimes ipsorum te noueris Patrem exhortando, consolando, increpando, agis opus tuum, portas onus tuum; & portando sanas quod sanando portas. Si quis verò ita sanus est vt magis iuuet te quàm iuuetur à te, huius te non Patrem sed fratrē & comitem agnoscas.] *Idem Bernardus* contrà detractiones aut iniurias rebellium se præmuniens sic dicebat. [Ego plagis conscientiæ meę nullum iudico accomodatius medicamentum probris & contumelijs; non est proinde quod permoueat homuncio omni dignus despectione & opprobrio.]

Sampson cum ænigmata atq; emblemata intricata proponeret satrapis Philistinorum soluenda, postquam iam leonem suffocasset, & in illius faucibus apes fauum mellis fabricasset, hoc ænigma illis soluendum proposuit. *De forti egressa est dulcedo.* Quod Philistæi diuinare & soluere nesciuere. Petrus Besseus nō ignobilis auctor interpretatur hoc euenire & compleri quando Sacerdos, qui propter suam dignitatem & officium omnium mortalium fortissimus est, mellea effundit verba, omnes placidè affatur, & nulla asperitate vtitur: tunc, inquit, è leone egreditur mel & è forti dulcedo. Quæ non absurda huius ænigmatis est interpretatio.

In secundo Machabeorum libro cap. 15. Spiritus Sanctus volens Oniæ Pontificis laudes contexere, commendat imprimis illius dulcedinem, affabilitatem, & benignitatem sic inquiens. *Oniam, qui fuerat summus Sacerdos, virum bonum, & benignum, verecumdum visu, modestum moribus, & eloquio decorum.* Vnde colligimus præcipuas, & dignissimas Præsulis imo Ecclesiastici cuiusq; dotes esse, benignum & affabilem se in omni conuersatione præbere, in eloquio grauem, modestū in moribus. Quod docuit etiam *mellifluus, Bernardus super Cāntica serm. 25. dicens.* [Discite qui iudicatis terram esse debere vos Matres, non verò Dominos subditorum vestrorum: ita

vos

vos gerite vt amemini non verò timeamini; Si verò seueritate interdum opus est, paterna sit non tyrannica; Patres vos gerite in reprehendendo, Matres in defendendo, mansuescite, ponite feritatem, suspendite verbera, producite vbera, pectora lacte pinguescant non typho turgeant. Cur tàm grauiter opprimitis quorum solicitudo, & cura vobis incumbit?] *Hæc Bernardus*, cuius verba aliò non tendunt, quàm vt Sacerdotibus persuadeant illis studendum esse vt amentur potius, quàm timeantur à suis: amor autem benignitate, affabilitate, & verborum lenitate comparatur: Idem propemodum docet *S. Isidorus Hispalensis.* [Talem, *inquit*, te redde subditis vt magis ameris quàm timearis; reuerentia enim ex amore procedit, odium uerò timor efficit. Stude potius vt subditi te honorent & diligant; quàm horreant ac timeant, vt potius officio affectus tenerioris quàm necessitate contradictionis tibi eos deuincias; ament te magis quàm metuant; reuerentia siquidem ab amore, odium verò & auersio à timore oriuntur: timor fidelitatem tollit; affectio & dilectio conseruat: quamobrem verba tua moderare, & ordina, subiectosq; tuos magna benignitate rege: non sis terribilis in subditis; sed sic dominare vt tibi delectentur seruire.] *Hæc Isidorus.* Sacerdotes igitur huius Sancti Patris monita auscultando & operibus complendo nihil nisi benignitatem ac dulcedinem sapiant, efficiantq; vt subditi eos potius diligant quàm formident.

Sed quid mirum si nos benignitatem & affabilitatem requirîmus in Ecclesiasticis, cum illas requirat in omnibus hominibus illud seculi sui oraculum *Lactãtius Firmianus lib. 6. diuin. instit. cap. 10. Dicit enim* Deum rerum omnium artificem nullam animalibus sapientiam dedisse; vires tamen & animos ad sui in periculis imminentibus defensionem & audaciam maiorem contulisse: at homini quem nudum penitus in terra posuit & fragilem creauit, inter cætera affectum quemdam ad pietatem, benignitatemq; illi indidit, vt hominem alter homo defendat, amet, tueatur, eiq; in omnibus discriminibus ac vitæ aduersitatibus succurrat. Adeò vt summum inter se hominum

num

num vinculum sit humanitas, quod qui disruperit nefarius & parricida existimandus est.] *Ità Lactantius.* Quod igitur Doctor iste de omnibus hominibus in genere dixit: hoc ego multò magis de Ecclesiasticis profero, & dico vera Ecclesiasticorum arma esse Benignitatem, Affabilitatem, Humanitatem, Clementiam.

§. 2. *Quinam sit istarum Virtutum fructus, & vtilitas.*

PRæfatæ Virtutes mirabilem habent vim & efficaciam ad alliciendas, & Christo deuinciendas animas: solent enim trahi in funiculis Adæ, in vinculis Charitatis. Vnde etiam qui rudes sunt, tardi, vel duri; mansuetudine, benignitate, affabilitate, charitate ducuntur, vincuntur, & Christo deuinciuntur, quando agnoscunt puro salutis suæ desiderio & paterno animo agi quicquid erga ipsos agitur. Quantum putas commouebant Philippenses dulcia illa Apostoli verba? *Testis est mihi Deus quomodo omnes vos cupiam in visceribus Iesu Christi.* Quantum afficiebant Corintios amantia illa? *Os nostrum patet ad vos, cor nostrum dilatatum est, non angustiamini in nobis, angustiamini autem in visceribus vestris: eandem autem habentes remunerationem tanquam filijs dico dilatamini & vos.* Quantum corda Thessalonicensium penetrabant suauia illa? *Facti sumus paruuli in medio vestrum tanquam si nutrix foueat filios suos ita desiderantes vos cupidè, volebamus tradere vobis non solum euangelium; sed etiam animas nostras.* En fructus benignitatis & affabilitatis. Et idem Apostolus volens exemplo suo Ecclesiasticos informare ad hanc benignitatem iterum se Matrē omnibus fidelibus exhibet dicens. *Filioli quos parturio donec formetur in vobis Christus.* Quibus in verbis non solum se Patrem sed Matrem quoq; insinuat: quia, *vt inquit, Beatus Gregorius*, illi verè Doctores sunt, qui cum per rigorem disciplinæ patres sunt, per pietatis viscera matres esse nouerunt: qui labores sanctæ conceptionis tolerant, & proferendos Deo filios intrà vterū Charitatis portant; in edenda

enim

enim prole plus matres laborant. Talem se exibebat. *Beatus ille Abbas Bernardus* (in seipso erudiens nos) dum suos sic alloquebatur. [Me putate matrem animarum vestrarum; & ideò vos velle sic componere vt in vobis nec macula nec ruga possit ante tribunal æterni Iudicis apparere. Animabus autem vestris non solum ornamenta sed etiam medicamenta prouidere desiderans studeo dissuta consuere, conscissa sarcire, vulnerata curare, abluere sordida, reparare perdita, & ea quæ sunt integra spiritualibus margaritis ornare.] *Ita Bernardus*.

Nec prætermittam hoc loco insigne testimonium magni illius Mediolani Archiepiscopi, & Romanæ eloquentiæ splendoris *Ambrosij, de offic. lib. 2. cap. 7.* quod ad nostrum institutum valdè facit. [Nihil tàm vtile, *inquit* Ambrosius, quàm diligi; nihil tàm inutile quàm non amari: nam adeo haberi exitiale & nimis capitale arbitror. Ideoq; conari debemus & omnem dare operam vt placidi, benigni, humani apud populum audiamus; atq; ita eorum animos demulceamus: nam popularis, & familiaris bonitas vniuerso placet mundo; & nihil est quod citius hominum animos, amicitiam & beneuolentiam concilier, quàm si morum hac benignitate, facilitate, spiritus, præceptorum moderatione, verborum affabilitate, sermonis dignitate, patientia simul & modestia temperatur & stipetur. Incredibile scilicet est quantum hoc ad beneuolentiam hominum comparandam conducat.] *Hæc Ambrosius*. Sancto huic Archiepiscopo & totius Ecclesiæ insigni Doctori credite Sacerdotes, vosq; in omnibus benignos & humanos ostendite; hæc enim vnica via est, quæ vos omnibus reddere potest amabiles; vt deinde optatum conuersionis fructum ex illis habere possitis.

Et volens idem Sanctus Doctor regulam & modum præscribere quo benignitas, & affabilitas in conuersatione exercenda sit, inquit hoc pacto. [Affabilitas sermonis ad conciliandam gratiam valet plurimum; sed hanc volumus esse sinceram ac sobriam sine vlla adulatione ne fortè simplicitas & puritas sermonis per verborum adulationem dedecoretur.]

Qui-

Quibus verbis commonere vult, debere Sacerdotes ſemper meliore, non verò adulationem aut aſſentationem præferre. In eumdem ſenſum loquitur *Sanctus Baſilius.* [In congreſſionibus, *inquit*, facilem in colloquijs verò dulcemte præbe.] Hoc nimirum dicit, quòd Eccleſiaſticus debet facilem in congreſſibus, dulcem in colloquijs & benignum ſe præbere; non tamen vt hiſtrionem agat, & ludicra conſectetur; hoc enim eſſet ludibrio ſe exponere, & à grauitate debita declinare; ſed vt ſermones ſuos dulcoret, ſuauitatem adhibeat; omnemq; rigorem & duritiem ſermonis à ſe procul eliminet.]

Equos indomitos ſcribit *Magnus Gregorius* blanda prius manu tangimus vt eos nobis plenius poſtmodum etiam per flagella, & calcaria ſubiugamus. Medici quoq; ſolent amaris potionibus mellita permiſcere ut æger guſtus ſuauitate illectus decipiatur, atq; ita humor lethalis, ac noxis acrimonia & amaritudine expellatur. *Hæc Gregorius.* Sanctiſſimi huius Pontificis conſilium ſequendo nos Sacerdotes, qui animarum gubernatores & medici diuina dignatione ſumus, benignè ſuauiterq; cum illis agamus, quos initio refractarios & peruicaces reperimus ut illos tandem pænitentiæ & diſciplinæ flagello ſub ſuaue Domini iugum redigamus.

Concludamus hunc paragraphum & in ſimul hoc primum Caput aureo aureioris documento nempe *S. Chryſoſtomi in Matth. cap. 2. qui ſic inquit.* [Circa uitam tuam eſto auſterus, circa aliorum benignus, audiant te homines parua mandantem & grauia facientem.] Hoc monitum ſequamur; & ſic Dei & hominum gratiam aſſequi promerebimur.

CAPVT SECVNDVM.

De Modeſtia.

APoſtolus ſcribens ad Timoteum inter ea, quæ requirit in Eccleſiaſticis, numerat Modeſtiam dum dicit. *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe &c. non percuſſorem, ſed modeſtum*

destum. Igitur videndũ. primo quid sit Modestia. secundo quam necessaria sit Ecclesiasticis. tertio quænam sint regulæ illius; seu quomodo exerceatur. Quamuis autem alibi de hac virtute obiter tractauerimus, nihilominus de ea ex professo hic agendum est.

§. 1. *Quid sit Modestia, & vnde dicatur.*

MOdestia est Virtus, quæ internas animi passiones, & externas actiones serias, & ludicras, sermonem, risum, lusum, motus item & gestus corporis, atq; huius cultum, vestitumq; ac totum exteriorẽ hominẽ honestè ac decenter componit, & moderatur. Ita colligitur ex Diuo Thoma. 2.2.q.60.

Hoc autem verbum *Modestia* idem est, iuxta Tullium, ac *Modus inest*. Et S. Ambrosius, inde *Modestiam* appellatam esse arbitratur, nempe à *Modo sciendi quid deceat*. Et *Tullius lib. 1. offic.* Modestia, *inquit*, est scientia eorum, quæ aguntur aut dicuntur collocandorum.] *Modestia* dicunt alij & benè, deriuatur à verbo *Moderor*, vnde alio nomine dicitur *Moderatio*, quæ secundum Diuum Thomam 2. 2. q. 157. art. 3. prouenit ex quadam dulcedine affectus, qua quis horret omne, quod potest alium contristare.

Modestię est, cultum & motum & omnem nostram occupationem vltrà defectum & citrà excessum sistere de qua Horatius.

Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines.
Quos vltrà citraq; nequit consistere rectum.

§. 2. *Quàm necessaria sit Ecclesiasticis.*

AD demonstrandam necessitatem Modestiæ satis esset in medium afferre auctoritatem Doctoris gentium, & Spiritus Sancti Præconis Pauli Apostoli qui in multis suarum Epistolarum locis hanc virtutem commẽdat & mandat Christi fidelibus. Nam vt cæteros omittam ad Galatas scribens numerat

merat illam inter fructus Spiritus dicẽs *Mansuetudo, Fides, Modestia* &c. & ad Philippenses.4. *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Et ad Collossenses 3. *Induite vos Modestiam.* & ad Titum instruens illum quid debeat docere Christi fideles inquit. *Admone illos principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse, neminem blasphemare, non litigiosos esse, sed modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines.* Cui Beato Apostolo concors est illius socius idemq; Princeps Apostolorum Petrus, qui in sua 1. Epistola cap. 3. dans omnibus monita salutis sic dicit. *In fine autem omnes vnanimes compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles, non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto; sed è contrariò benedicentes; quia in hoc vocati estis vt benedictionem hereditate possideatis.* Et quidem prædictæ auctoritates satis essent, præsertim cum ad Ecclesiasticos sit nobis sermo. Nihilominus afferamus in medium etiam auctoritates Ethnicorum vt appareat quanti hæc virtus etiam à viris lumine fidei orbatis, & solo luminæ naturæ præditis habita sit. Igitur.

M. Tullius Cicero tanti Modestiã faciebat vt diceret neminem iucundè posse viuere nisi simul honestè viueret. Honestas porrò modestiam includit.

Iulius Cæsar magnus ille dux & bellator, non minus tamen oratoria quàm bellica laude clarissimus sæpè vsurpare solebat; Non magis ab animi magnitudine, quàm à modestia militem laudandum esse. Non minus, inquiebat, in milite modestia quàm virtus atq; animi magnitudo desideranda est.

Menander Comicus Græcus Promptuarium omnium virtutum solam esse modestiam dicebat: Euripides Tragicus, modestia nihil à Dijs dari posse pulchrius, aut elegantius hominibus in hac vita aiebat sic inquiens. *Donũ Dei pulcherrimũ est modestia.* Verè Poeta iste ad doctrinam Euangelicam proximè accessit.

Liuia Augusti Cæsaris vxor interrogata quibus rationibus Augustum sibi subiecisset? respondit. *Multa modestia.* Quod

ea quæ

ea quæ placerent Augusto, faceret libenter. Quod se scire dissimularet quibus ille rebus domi fueretur.

§. 3. *Quænam sint regulæ modestiæ.*

VArij varias dederunt regulas modestiæ, eamq; variè descripserunt. Quidam sic eam depingunt. Vt caput rectum, oculi dimissi, manus quietæ teneantur: vitetur corrugatio frontis, labiorum compressio, vel deductio, incessus festinatio: sit serenitas & hilaritas in vultu: munditia & decens compositio in vestibus; in sermone pauciloquium; sales sine dente; ioci sine vilitate; vox sine clamore; verborum suauitas; ac in gestu & motu exemplar virtutis.

Alij dicunt, contrà modestiam esse immoderatum risum; & elidi per eum neruos grauitatis. Certum est multis sacræ paginæ locis damnari risum, & inanem lætitiā nam Eccles. 7. dicitur. *Cor stultorum vbi lætitia.* Et 21. *Fatuus in risu exaltat vocem suam; vir autem sapiens vix tacitè ridebit.* Et in Prou. 2. *Risū reputaui errorem.* Et 7. *Sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti.* Et alibi. *Risus in ore stultorum.* Et sanè pessimum signum est tunc quando quis nulla adueniente causa summè lætatur ac ridet; tunc enim nautæ maximam præsagiunt tempestatem, quando mare alioquin tacitum ac quietū, sine ventorum flatu incipit despumare. Hinc Plato de legibus affirmat in risu maximum inesse signum tùm grauitatis tùm leuitatis. Qui enim de facili & leui de causa immoderatè ridet, se inconstantis esse animi declarat, nec pensare causas tristitiæ, in quibus infælix mortalium conditio versatur; quas quia ruminant sapientes; ideò hi nonnisi rarò & moderatè rident.

Isocrates dicebat. Nec ferus esto in rebus iocosis, nec inter seria ridiculis gaude, nam quod intempestiuum est vbiq; molestum est.

Cato quædam modestiæ præcepta eleganter expressit quibusdam carminibus dicens.

Quem ſuperare potes, interdum vince ferendo.
Maxima enim morum ſæpe ſapientia virtus.
Aduerſum notum noli contendere verbis.
Lis minimis verbis interdum maxima creſcit.

Marcus Tullius *lib.* 1. *de offic.* hæc præſcribit de Modeſtia. [Ludo, *inquit*, & ioco vti illis quidem licet, ſed ſicut ſomno & quietibus cæteriſq; cum grauibus, ſerijſq; rebus ſatisfecerimus. Ipſum genus iocandi ingenuum & facetum eſſe debet, non profuſum, nec immodeſtum; ſed ſemper in ipſo ioco aliquid probi ingenij lumen eluceat.]

Diuus Ambroſius *de officijs inquit*. [In modeſtia maximè tranquillitas animi, ſtudium manſuetudinis, moderationis gratia, honeſtatis cura, decoris conſideratio ſpectatur & quæritur.] *Idem.* Abſit pertinax in familiari ſermone contentio, diſceptatio ſine ira, ſuauitas ſine amaritudine, ſit monitio ſine aſperitate, hortatio ſine offenſione. *Idemq; ibidem*. Caueamus ne dum laxare animum volumus, ſoluamus omnem harmoniam & quaſi concentum quemdam bonorum operum. Vſus enim citò inflectit naturam.

Iſidorus *lib.* 2. *Soliloqui dicit*. [Sit in geſtu tuo grauitas, in motu ſimplicitas, in inceſſu honeſtas, nihil dedecoris, nihil laſciuiæ, nihil petulantiæ, nihil inſolentiæ, nihil leuitatis in tuo inceſſu appareat: animus enim in corporis geſtu apparet, & ſpecies corporis ſimulachrum eſt mentis figuraq; probitatis.]

Ad Modeſtiam quoq; pertinet humilem potius quàm elatū ſe præſtare; nec honorabiliorem ſibi locum in conſeſſu arrogare. Vnde Eccleſiæ Præſules quantò honoratiores tantò modeſtiores eſſe debent vt eos monet Sapiens in Eccleſiaſtico. *Quantò*, inquit, *magnus es, tantò humilia te in omnibus*. Et Chriſtus Dominus in Euangelio Lucæ. *Qui maior eſt in vobis fiat ſicut minor, & qui præceſſor eſt ſicut miniſtrator*. His cōſonant ea quæ ſcribit *Diuus Baſilius in ſermone de abdicatione rerum.* [Non tibi, *inquit*, cleri gradus vllus animos in altū extollat, humiliet potius: animi.n. in virtute ꝓgreſſus, in humilita-

te

te ꝓgressus : contraq; in postremis relinqui ,& inhonoratũ esse id non aliunde quàm elatione progignitur. Quantò ad maiores sacerdotis gradus accedere tibi propinquius contigerit , eò animos tuos magis dimittito ; idq; territus exemplo filiorum Aaron Num. 10. [*Hæc Diuus Basilius* .

Sed paucissimis verbis & breuius quàm cæteri omnes modestiæ regulas perstrinxit . *Diuus Augustinus ingeniorum vnica Phænix sic dicens.* [In omnibus moribus vestris nihil fiat quod cuiusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem.]

Ex dictis colligitur quatuor in summa esse ; quibus temperamentum , modumq; adhibet modestia , nempe. 1. affectibus præsertim ad excellentiam & curiositatem nitentibus frenum inijcit. 2. Actiones serias & ludictas moderatur. 3. Mores motusq; corporis dirigit. 4. temperat corporis cultum & vestitum .

§. 4. *Quinam fructus & vtilitas Modestiæ.*

FRuctus Modestiæ resultat tùm in viro qui illam exercet ; tum in proximo. Et quidem in ipso viro modesto dum præmium illius consequitur vt per modestiam perducatur ad firmiter sanctèq; timendum Deum ; & ex hoc non modò temporales sed multò magis spirituales & cælestes opes , honores, & vitam consequatur. Hoc totum expressit Spiritus Sanctus in Prouerbijs dum inquit. *Finis modestiæ timor Domini, diuitiæ, & gloria, & vita.* Proximo quoq; est salutaris. Quantum prosit modestia , *ait Diuus Ambrosius in cap.2. Epist. ad Timoth.* 2. [Si enim hoc in quibusdam hæreticis placitum est ; quia humiles videntur : quantò magis laudabile & fructuosum erit in Catholico , si fuerit mitis , in quo & sensus vtilis , & grauitas imitanda percipitur.] Nulli dubium esse debet quin pretiosa hæc Modestię gemma, vt eam vocat Diuus Augustinus. 1. animi ac spiritus tranquillitatem & pacem foueat ac conseruet . 2. efficiat vt opera illius suauissimum decoris & honestatis spi-

rent

rent odorem. 3. magnam homini gratiam, beneuolentiam, & auctoritatem concilient. 4. quin tacita sit admonitio vt immodesti suos componant mores. 5. inuitatio sit efficax ad imitationem, cum ex ijs qualis quisq; sit agnoscatur.

CAPVT TERTIVM.

De Grauitate in moribus.

APostolus discipulum suum Titum, & in eius persona omnes Ecclesiasticos informans dicit sic. *In omnibus teipsum prabe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in grauitate*, &c. deinde. *Hac loquere & exhortare, & argue cum omni imperio, nemo te contemnat.* Et ad dilectum suum discipulum Timoteum. *Nemo adolescentiam tuum contemntat; sed esto exemplum fidelium in verbo in conuersatione* &c. Quibus verbis Apostolus Sanctus nil aliud intendere videtur, nisi vt Ecclesiastici ità grauiter, ità modestè, ita maturè se gerant iu omnibus illorum actionibus, vt omnes illos reuereantur, & nemo illos paruipendat. Quapropter videndum de Grauitate. 1. quid sit grauitas, & quid graue, & quotuplex. 2. quàm sit necessaria Ecclesiasticis grauitas morum. 3. quinam illius sit fructus & vtilitas.

§. 1. *Quid sit Grauitas, Graue & quotuplex.*

GRauitas propriè loquendo est qualitas quædã, per quam res nata est moueri, & ferri ad medium, seu à circumferentia ad centium; seu à superiori ad inferius: Vnde graue idem est ac ponderosum; & est omne illud quod mouetur à circumferentia ad centrum. Per metaphoram autem & per translationem, & applicando ad mores, grauitas est qualitas quædam, per quam res fit ponderosa & difficilis ad aliquid, nempe vel ad portandum; vel ad agendum; vel ad ascendendum. Vnde oritur.

Triplex grauitas nempe, prima grauitas dolorosa, per quam res

res fit ponderosa & difficilis ad portandum & sustinendum; sic dicitur dolor grauis, aduersitas grauis, morbus grauis, senectus grauis; quoniam huiusmodi & similia sunt res difficiles; & qui talia sustinent, vellent tanquam onus graue deponere. de hac grauitate dicitur in Ecclesiastico 31. *Infirmitas grauis sobriam facit animam*. Et ibidem. *Occupatio magna creata est omnibus hominibus, iugum graue super filios Adam*. Secunda Grauitas vitiosa, per quam res fit ponderosa & difficilis ad agendum; sic dicitur iniquitas grauis, & iniqui ac peccatores graues ad agendum bona; quia facillimè descendunt inferius ad terrena desideranda; sed difficillimè mouentur ad bona opera facienda & exequenda. Isti sunt sicut Elephantes qui ita sunt ponderosi & graues quod si ceciderint non possunt surgere. Sunt etiã sicut struthiones, quæ quamuis sint aues, ita tamen graues sunt quòd nunquam possunt volare vel ascendere, quia profectò mundi peccatores ita sunt graues, & vitijs inuoluti, & ad omnem motum bonorum operum inhabiles effecti, vt à vitijs in quibus ceciderunt nequeant surgere, nec sursum ad cælestia per aliquod bonum desiderium se eleuare. Et ideò tales à Scriptura repræhenduntur *filij hominum vsquequò graui corde vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium*! Item vilipenduntur, & vituperantur; vnde cuilibet tali in Sap. 2. dicitur. *Grauis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est alijs vita eius*. Item maledicuntur; Vnde in Isa. 1. *Vægenti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis*. Tertia Grauitas virtuosa, per quam Homo fit ponderosus ad ascendendum & ad leuandum se suprà se per superbiam & inanem gloriam; fit difficilis qui moueatur per tentationem; & redditur firmus, stabilis, constans, & subsistens per perfectionem. Hæc est grauitas virtuosa; scilicet grauitas morum, grauitas humilitatis: sicut enim illud quod est graue, naturaliter vult inferius descendere, & difficile potest moueri vel discurrere; sic moraliter & spiritualiter loquendo illi; quia sunt graues idest maturi, ponderosi, honesti, humiles, virtuosi semper volunt inferius descendere per subiectionem, habent subsistere

per

per perfectionem, nec facilè possunt moueri per tentationem. De hac grauitate virtuosa est nobis hic sermo, de qua loquitur Apostolus ad Titum. *In grauitate*. Et apud Matth. 23. *Ipsi relinquunt quæ grauiora sunt legis &c.* Et in Prouerbijs 8. *Nec dum montes graui mole constiterant*.

§. 2. *Quàm necessaria sit Ecclesiasticis Grauitas morum.*

Est necessaria in Ecclesiasticis grauitas morum vt quemadmodum statu, conditione, professione, & gradu differunt à cæteris, ita etiam vitæ ratione, & morum grauitate discrepent. Vnde *Seraphicus Pater S. Bonauentura hanc materiam pertractans ait*. [Sacerdotalem dignitatem sobriam quamdam exigere grauitatem, & à turbis liberam, vitam seriosam, & singulare pondus honestæ conuersationis. Quomodo enim is alijs sit exemplo qui in nullo ab alijs discrepat: nihil in moribus suis rarum habet quod cum alijs commune non sit? quid populus in te demirabitur si quicquid feceris in seipso viderit? aut quid dicet si quo erubescit quodq; in seipso nō nisi cum rubore viderit, in te euidenter apparere viderit, quem penitus sanctum & veneratione dignissimum credebat.] *Hæc Bonauentura*. Quæ verba sunt certè valdè notanda; ex ijs enim satis liquidò colligere possumus quænam vita, quinam mores, quæ grauitas deceat nos Ecclesiasticos.

Ad morum grauitatem pertinet non esse nimis familiarem, nec uelle omnibus & in omni conuersatione exhibere se blandum, ludicrum, iocosum, & quodammodo mimum, morionem, & histrionem. Hinc *Angelicus Doctor* auream hanc in suis opusculis sententiam scriptam reliquit. [Nemini, *inquit*, te multum familiarem exhibeas, quia nimia familiaritas parit contemptum, & subtractionis à studio materiam subministrat.] *Ita Diuus Thomas*. Et sane pro comperto habendum est quòd, si Ecclesiastici sese nimium familiares exhibuerint, contemptibiles se reddent, & ludibrio sese exponent. Concors prædictis est mellifluus Bernardus, qui describens vitæ honestatem hoc

fun-

fundamenti loco posuit. [Cunctis esto benignus, nemini blandus, paucis familiaris, omnibus æquus. *Idem* volens Papam Eugenium Tertium suum in minoribus iam discipulum & alumnum informare *sic ait.* [Esto grauis, sed non austerus &c. mediocritatem sectare: vt neq; de seueritate sis oneri, neq; de familiaritate contẽptui. Hic mellifluus & Sanctus Doctor voluit non solum Pontificem, sed nos omnes Ecclesiasticos præmonere vt grauitatem quamdam moderatam induamur; ne scilicet nimis rigidi, nec etiam nimis remissi & effusi simus; sunt namq; hæc duo veluti vitiosa quædam extrema, quorum alterum intractabiles, alterum contemptibiles reddit Ecclesiasticos.

Sanctus Pater Ephrem sui temporis Religiosos Clericosq; alloquens ait.] Videte ne aut nimis faciles aut blandi sitis, ne quamprimum vestræ vos pæniteat negligentiæ, vitijsq; assuescatis: Ab initio potius graues ac seueri estote aduersus omnẽ cupiditatis titillationem, & ne assuescatis in bello inferiores esse.] *Ita S. Ephrem.* Sapiens certè & optimum monitum: ex quo addiscere possumus nimia facilitate persæpe nos in vitia dilabi, à quibus tamen per honestam grauitatem retrahimur.

Tantam in Ecclesiasticis sui temporis grauitatem, modestiamq; requirebat *magnus ille Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopus Ambrosius*, vt iucundas recreationes, iocos, & lusus illis interdiceret *dicens*. [Licet interdum honesta ioca ac suauia sint: tamen ab Ecclesiastica abhorrent regula: quomodo enim probare poterimus quod in scripturæ corpore neutiquã reperire est?] *Ita Ambrosius*. Et quam grauitatem verbis docebat multò magis factis & rebus ipsis præseferebat. Quemnam præterit grauitas & maiestas illa, qua vsus est erga Theodosium maximum illum, & inuictissimum Imperatorem quando ei fores Ecclesiæ clausit eiq; restitit ante ianuam eò quod reus propter innocui sanguinis maximam effusionem in cæde Thessalonicæ, & adhuc impenitens auderet Ecclesiam ingredi? quo facto Maiestatem Imperatoriam Sacerdotali subegit; Vniuersam vrbem Mediolanensem pariter & orbem in admi-

rationem rapuit; & nobis Ecclesiasticis insigne reliquit exemplum, grauitatem & authoritatem Sacerdotalē, cum Dei causa agitur, etiam coràm Principibus & Regibus exercendi.

Nec minor eluxit grauitas, & Sacerdotalis libertas in sāctissimo illo Archiepiscopo pariter & Martyre Thoma Cantuariensi, qui prauis & iniquis sui Regis cupiditabus contrà libertatem Ecclesiasticam pugnantibus ita viriliter constanterq; restitit, vt Rex conquereretur non posse se cum vno Sacerdote in regno suo pacem habere. Vnde sacrum caput eadem constantia, qua iniquissimi Regis legibus restiterat, impio ferro præcidendum obtulit. O libertatem admirabilem. O pectoris constantiam inuictam. O grauitatem Sacerdotis cunctis Ecclesiasticis imitandam.

Sed quid opus est pluribus Sanctorum Patrum auctoritatibus et exemplis hanc rem adstruere quando in ipsismet Ethnicis huius tàm laudatæ grauitatis exempla conspicimus.

Themistocles Atheniensium Dux cum ad taxillorum lusum ab alijs inuitaretur negauit se talem lusum callere; perconctantibus dein alijs quid tandem sciret; respondit. *Ex paruā Rep. noui magnam facere*. Digna Themistocle responsio, qua significare volebat indecorum esse vt cordatus sapiensq; vir leuibus & vilibus rebus se addicat; sed in omnibus debere maiestatem grauitatem seruare; & grauioribus esse rebus semper intentum.

Philippus Macedonum Rex cum quadam tempestate de musica arte coràm peritissimo disceptaret, hoc acre responsum audiuit. *Nunquam Dij ò Rex tibi tantùm mali faciant vt tu me canendi arte vincas.* Ostendere ille volebat hoc responso rerum humilium infimarumq; cognitionem tractationemq; viros Principes dedecere. Et si quando artes liberales aut etiam mechanicas callent (quod non omnino indecorum immo laudabile est & ingenij exercitatio) vsum tamen & exercitium illatum non ita eos occupatos habebit, vt à grauioribus impediat: nec palàm ac publicè tales artes exercere; sed ad summū coràm domesticis & quidem magis intrinsecis; vti facere solebat

bat Alexander Seuerus Imperator, qui teste Lampridio quamuis peritus esset Geometra, quamuis artes pingendi, & canendi non medioctiter calleret; nunquam tamen alijs nisi pueris suis conscijs tales artes exercere solebat. Intelligebat prudentissimus Princeps non decere totius orbis Imperatorem & Monarcam rebus infimis occupari.

Accedat alter Alexander illud belli fulmen, & orbis domitor filius Philippi Macedonum Regis, de quo paulò ante. Is igitur cum Ilium Troiæ arcem subijsset, ciuesq; lyram Paridis illi obtulissent, respondit se *Achillis loricam & arma malle*. Digna tanto Principe vox, qua edocemur magnorum virorũ proprium esse non humile quidpiam aut paruum desiderare, sed ad sublimia, celsaq; desiderium votaq; extendere.

Non absimile fuit responsum Ateę Scitharum Regis. Is cum conuiuio interesset & celebris quidam tibicina Ismenias nomine suauem armoniam in gratiam conuiuarum ederet rogatus quid diceret de tàm excellenti viro in tali arte qui omnibus sui admirationem incutiebat; respondit *Mallem equi generosi hinnitum audire quàm tibicinis huius harmoniam & concentum*. Regium profectò apophtegma, quo docemur Ecclesiastici cuncti magis debere nos oblectari rebus, verbis, & actionibus ad nostrum statum & nostram dignitatem pertinentibus quàm alienis; magis debere occupari in colloquijs pijs, grauibus, & modestis: vt de virtutibus comparandis, de scientijs acquirendis, de vitijs euellendis, de tentationibus superandis, de peccatis deplangendis, de vita, passione, & morte Domini meditanda, de vitis Sanctorum, de nouissimis; deq; alijs rebus animæ proficuis, quæ bellica & martia spiritualia sunt; quàm tempus terere in iocis, risibus, verbis inanibus, & inutilibus confabulationibus.

§ 3. Quinam sit fructus & vtilitas Grauitatis.

PRæcipuus fructus & vtilitas est quod per grauitatem morum & quamdam tùm in verbis tùm in moribus maiestatem

tem, magnam sibi Ecclesiastici conciliant reuerentiam, magnumq; apud populos acquirunt honorem, quibus suffulti, vberes animarum fructus reportant. Sanè si quid est quòd Sacerdotium commendet est hæc, quam dicimus, grauitas; nã vt planetæ superiores & sublimiores lentius progrediuntur, maioremq; in suis motibus naturalibus grauitatem & pondus ostendunt, quàm planetæ inferiores & in infima sphæra constituti. Sic Saturnus, qui est planeta altior, quatuor aut quinq; annorum millibus cursum peragit, quem luna triginta diebus facile conficere consueuit. Ita planè Ecclesiastici, & præsertim Sacerdotes qui sunt veluti stellæ & planetæ orbis, & qui cæteris Christianis sublimiores sunt; in omnibus actionibus suis ac verbis graues esse debent, maioremq; præ cæteris maiestatem pondusq; præseferre. In cuius rei signum voluit olim Deus vt summus Sacerdos Mosaicus in publicum prodiens vestem gereret tintinnabulis circumdatam vt ipso incedente, & tintinnabulis tinnitum edentibus, maiestas quædam illi adderetur per hoc, & cæteri omnes illi honorem & reuerentiam exhiberent.

E contra qui grauitatem non seruant flocci fiunt, & modicum fructum in animarum salute procuranda sperare possunt. Dauid regno destinatus omnem magnificentiam & maiestatẽ exutus, morionemq; coràm Rege Achis & mimum agens omnium sannis et ludibrio fuit expositus, et vecors, emotæq; mentis habitus. *Et ait Achis ad seruos suos*, inquit sacra scriptura. 1. Reg. 21. *vidistis hominem insanum &c. an desunt nobis furiosi, quod introduxistis istum?* Sic planè se res habet. Sacerdotes & Prælati qui Sacerdotalem illam grauitatem negligẽtes scurrilibus se dedunt & mimos agere volũt coràm alijs honorem prodigentes & præclaram illam dignitatem parui facientes, omnibus se ridiculos exhibent, omnium se ludibrio, contumeliæq; exponunt, & in causa sunt cur ab alijs vecordes & cerebro imminuti habeantur.

Magnus ille Pontifex & *Ecclesiæ Doctor Gregorius* exponens misticè significatum vestium summi Sacerdotis antiqua legis

sic ait. [Auro & hyacinto purpuram permisceri vt scilicet animus Sacerdotalis sublimia & cælestia docendo ad illa adspiret & suggestiones vitiorum reprimat, eisq; velut ex regia potestate contradicat.] Insignis profectò consideratio & digna tanto Pontifice. Cuius sensus est. Sacerdotes cum Reges sint, alios reprehendendo, auctoritatem quamdam regiam, grauitatemq; præferre debere.

CAPVT QVARTVM.

De Gubernatione domestica.

APostolus vult vt Ecclesiastici præsertim qui habent curam animarum, benè gubernent propriam domū & familiā dū illos informās in ꝑsona discipuli Timothei dicit. *Oportet Episcopum &c. sua domui bene præpositum*. Quapropter vidēdū. 1. Quid intelligat Apostolus ꝑ illa verba. 2. Quid requiratur, & quid cauendum ab eo qui vult domui suæ esse benè præpositū. 3. Quinam debeat esse selectus familiarium & domesticorum. 4. quomodo debeat familia gubernari.

§. 1. *Quid intelligatur per illa verba Apostoli.* Domui suæ benè præpositus.

D*Iuus Antoninus sic explicat par*. 3. *tit*. 13. *cap*. 3. §. 12. & dicit. Quantum ad duodecimum Domui suæ benè præpositum, quod intelligitur vt, si laicali habitu habuit vxorem & filios, à vitijs ad virtutum studia prouocet; vt quod postea præcepturus est populo prius à domesticis exigat. Quod quia Heli facere recusauit, semetipsum apud Deum districtum iudicem cum filijs graui damnatione percussit. Prohibetur ergo, *inquit Antoninus*, ordinari qui hoc non habet, quia præsumitur negligens, & quod non habeat front em alios arguendi, ex quo suos non reprehendit; si ta-

si tamen per eum non stat quominus eius familia sit bona, quia diligenter correxit eam; non sibi imputatur in vitium: à Domino enim gressus hominis diriguntur, nec sunt in homine viæ eius. Vnde *Hieronymus*. [Non enim iustus polluitur ex filiorum vitijs, sed libertas ab Apostolo Ecclesiæ Principi reseruatur, vt talis fiat qui non timeat propter vitia liberorum extraneos reprehendere, quod tunc fiet si non erit quod sibi imputetur, cum enim gressus hominis à Domino dirigantur nec sint in homine viæ eius, corripere quidem potest, corrigere autem non valet: pulsare potest non aperire: manus cõprimere non animum mutare.] *Sanctus Augustinus ait*. [Quãtumlibet vigilet disciplina domus meæ, homo sum, & inter homines viuo: nec arrogare mihi audeo, vt domus mea melior sit quam arca Noè, vbi tamen inter octo homines vnus reprobus inuentus est: Aut melior sit quàm domus Abrahæ, cui dictum est eijce ancillam & filium eius; Aut melior sit quàm domus Isaac, cui dictum est, Iacob dilexi: Esaù autem odio habui.]

Intelligi etiam potest istud Apostoli, *inquit Antoninus*, vt bene sit præpositus domui suæ, idest Ecclesiæ sibi commissæ; vt non vni plura, sed diuersa diuersis committat officia. *Vnde Gregorius*. Nulli vni quantumlibet exercitatæ personæ vno tempore diuarum rerum officia committenda sunt. Sicut enim varietas membrorum per diuersa officia & robur Corporis seruat, & pulchritudinem præstat: ita & varietas personarum per diuersa distributa officia, & fortitudinem & venustatem Sanctæ Dei repræsentat Ecclesiæ *dist. 89. cap. singula*. Item æconomos vel vicedominos in Ecclesia non debet instituere laicos; vt in cap. volumus cum seq. dist. eadem. Item propinquis vel fauore coniunctis non debet committere Ecclesiastica officia. dist. eadem. cap. decenter, vbi tamen Glos. dicit quod hoc intelligitur non simpliciter sed quando sunt mali. Et ratio cur magis expresse prohibetur de istis quàm de alijs malis? est; quia Prælati Ecclesiarum sunt proniores ad dandũ talibus: Vel etiam quia præsumitur quod per eos bona Eccle-

siæ

fiæ dilapidentur. Et ista est vera ratio quam videmus quotidie de facto. Et quia hoc non seruatur, ideò multa Ecclesiæ mala inde consequuntur. *Hæc Diuus Antoninus.*

§. 2. *Quid requiratur & quid cauendum ab eo, qui vult domui suæ benè esse præpositum.*

MAgnus ille Pontifex & Ecclesiæ Doctor *Gregorius in suo Pastorali.* [Duo extrema, *inquit*, cauere debet Pastor ne aut exterioribus curis nimis deditus ab intimis corruat, aut solis interioribus occupatus, quæ foris debet proximis nõ impendat. Incidentes in primum extremum sunt illi, qui obliti se datos esse in Prælatos propter salutem animarum diebus ac noctibus solis curis externis incumbunt: quo fit vt interna, quæ alios docere debuerant, ignorent: quo etiam fit vt subditi non proficiant sed potius in spiritualibus torpeant: quia nõ habẽt pastorẽ eorũ animas ad cælestia subleuantem, & ducem viam perfectionis ostendentem. Si enim à Duce itineris erratur exercitus sequens quomodo pertinget? Hic enim potius terreni Iudicis, quàm cælestis Ducis officium exercens terrenis suis studijs excæcat oculos subditorum. Vnde Dominus Luc. 21. non solùm Pastores sed & omnes admonet dicẽs, *Videte ne grauentur corda vestra crapula & ebrietate, & curis huius seculi.* Et Apostolus noster 2. ad Timoteum 2. *Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus &c.* Et item. *Quæ sursum sunt sapite quæ sursum quærite non quæ super terram: mortui enim estis &c.*

Quod si Pastores dixerint. Multa nobis secularia negotia commissa sunt. Respondet idem *Gregorius* adducens illud Apostoli. 1. ad Corintios. 6. *Secularia iudicia si habueritis contemptibiles qui sunt in Ecclesia illos constituite ad iudicandum*, vt scilicet illi in terrenis & secularibus negotijs occupentur, qui penetrare intima nequeunt. Ideò meritò Iethro arguebat Moisen, quia terrenis populi negotijs labore seruiebat nimio, consulens vt ad iurgia dirimenda alios constitueret Iudices,

vt ipse

vt ipse liberius vacaret arcanis cælestibus cognoscendis ad populum erudiēdum. Igitur à subditis inferiora gerenda sunt, à Rectoribus summa cogitanda, vt scilicet oculum, qui prouidendis gressibus præeminet, cura pulueris non obscuret; pedum namq; est puluere inuolui; mōstruosum autē est quod caput idest Pastor, ad puluerem recuruetur, & cum eo inuoluatur. Et de his Pastoribus dicitur. Quomodo obscuratum est aurum &c. & lapides Sanctuarij dispersi sunt in medio platearum, idest in latitudine negotiorū terrenorum relinquentes secreta sanctuarij. Igitur, *concludit Gregorius*, secularia negotia aliquando ex compassione toleranda sunt, nunquam verò ex amore requirenda: ne cum mentem diligentis aggrauant hanc suo vitam pondere ad ima de cælestibus mergant. Ideo semper cauendū Pastoribus nedum temporali sollicitudini incautè deseruiunt, & vehementer incumbunt ab intimo amore refrigescant, & foras fusi obliuisci non metuant se animarum esse Pastores.

Cauendum est etiam alterum extremum. Sunt enim, *ait idē Gregorius*, quidam, qui sic sibi vacare ad spiritualia appetunt vt rebus exterioribus nullatenus occupentur quorum nimirū prædicatio pleneq; despicitur, quia subditis necessaria pro vita temporali non tribuunt. Egentis enim mentem sermo prædicantis non penetrat, quem misericordia eius non rigat. Sic ergo oues oportet interno pastu saginare, vt etiam eis exteriora prouideantur. Ideo Paulus. 1. ad Timot. 5. *Si quis autem suorum & maximè domesticorum curam non habet* &c. Igitur Pastores neq; vehementer incumbant curis exterioribus, neq; ex toto eas relinquant: & ad hoc adducit illud Ezechielis. 44. vbi præcipitur Sacerdotibus vt neq; radant capillos, neq; comam nutriant sed duntaxat tondeant. Per capillos enim externæ curæ significantur: quæ si nimis crescunt, oculos internos impediunt ne videre possint. Non sunt ergo radendæ ex toto sed tondendæ, idest sub certa mensura tenendæ. Vnde *Diuus Bernardus de consideratione ad Eugenium Papam lib. 1. sic ait*. [Itaq; consulo tibi non fias seruus hominum, non consumas

totum

totum tempus in audiendo leges Iustiniani, lites & cauillat iones dic illud Psalmi Narrauerunt mihi iniqui fabulationes sed non vt lex tua. Tuum principale munus est ædificare Ecclesiam, docere populos, meditari in lege Domini, quæ sola est immaculata conuertens animas. Non dico quod totum te subtrahas illis secularibus occupationibus, sed quod non tradas te totum. Si es homo omnia omnibus factus esto etiam tui, alioquin quid tibi prodest si vniuersos lucreris & teipsum perdas. Habe igitur te, & si omnes veniunt ad bibendum de fonte tuo bibe etiam & tu, tu solus sitiens permanebis? Qui sibi nequam cui bonus? Itaq; non totum te des actioni, neq; semper; sed considerationi aliquid tui cordis & temporis sequestra vacans Deo, quia & ibi præordinas quæ agenda sunt secundùm Deum ne præcipitanter fiant; ibi primo scrutaris & ordinas effectus & actus tuos, demum alienos. Itaq; huic tàm pio quàm vtili otio nullam in vita operam dare, vitam perdere est. Imitare Sanctum Gregorium qui vltimam partem Ezechielis obscurissimam in otio exposuit eo tempore quo Vrbs erat obsessa, & in summa tempestate negotiorum, vt ex eius præfatione liquet.]

Idem mellifluus Doctor ad eundem Eugeniũ Papam de consid. lib 4. [Diligenter, *inquit*, guberna domum tuam, nam vt ait Apostolus. Si quis domui suæ præesse nescit quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? Non quod minimis domus tuæ intendas cum sis occupatus maximis. Nullo ergo modo implices animum curis rei familiaris ac rerum tuarum cum oporteat te habere animum liberum quem nulla sibi vendicet violenta occupatio: nobilem, quem nulla deorsum trahat indigna affectio: firmum, quem nulla concutiat repentina turbatio: inuictum, quem nulla fatiget etiam continua tribulatio: amplum, quem nulla coarctet rei temporalis amissio.] *Hæc Bernardus*.

Pastor igitur debet esse sollicitus ad orationem, vt per eam Deo coniungatur interno amore; atq; ab eo enixè postulet vt ipsum custodiat ne peccet cum alios à peccato auertere debeat;

vt insuper det sibi sapientiam ad populum regendum; dat .n. Deus omnibus affluenter, & non improperat. Et quia bonus Pastor tenetur orare pro tota Ciuitate imò pro omnibus viuẽtibus & fidelibus defunctis vt dicit S. Chrysost. lib. 6. de Sacerdotio. Ideo ter saltem in die in oratione assiduus sit, mane, meridie, & vesperi: siue domi in aliquo oratorio, siue in templo, siue in cubiculo.

§. 3. *Qua ratio tenenda in seligenda familia.*

MAgna consideratio adhibẽda est in seligendis familiaribus. Quales autem debeant esse docet *Diuus Bernardus in libris de consideratione ad Eugenium Papam sic inquiens.* [Tales studeto habere familiares, qui si velles aliquatenus deuiare non sinerent, frænarent præcipitem, dormitantem excitarent: quorum libertas excedentem corrigeret, extollentẽ reprimeret: quorum constantia & fortitudo nutantem firmaret, erigeret diffidentem, quorum sanctitas ad omnia te bona inuitaret. Familiares tui si non sunt spirituales non diligunt te sed tua; immo nec te nec tua; sed quæ sua sunt quærunt, & ea venantur adulationibus.]

Cassiodorus ait. Ad ornamentum palatij pertinere aptas dignitatibus personas eligere, quia de claritate seruentium crescit fama dominorum. Laudat Claudianus Stiliconem suum. Quia in hoc nec nobilitati nec ignobilitati deferebat, sed tantùm meritis famulorum. Et Isacrates hoc cuidam dedit consilium dicens. Principatum adeptus nullius improbi ministerio vtitor; nam quicquid ille deliquerit, tibi veluti auctori imputabitur.

Ante omnia necesse est vt Pastor inueniat virum cordatum, prudentem, grauem, doctum, pium, cum quo sua omnia communicet & cuius consilio gerenda disponat. Hinc *Sãctus Bernardus ad episcopum Gibennensem sic ait.* [Omnia fac cum consilio, nec tamen omnium aut quorumcunq; sed tantum bonorum. Bonos in consilio, bonos in obsequio, ac contubernio

qui

qui vitæ, & honestati tuæ custodes sint & testes.] *Ita Bernardus.* Et *S. Basilius serm. de abdicat. rerum* [Summa, *inquit*, vigilantia, acerrimaq; in omnes partes animi cicumspectione operam dato, vt aliquem virum tibi inuenias, quem in omnibus deinceps delectæ tibi vitæ studijs certissimũ ducem sequare, eiusmodiq; qui rectum iter ad Deum volentibus pergere sciat is commõstrare; qui ornatus virtutibus sit, cuius vniuersæ totius ipsius vitæ actiones testimonio sint: charitatẽ in eo erga Deũ inesse: qui diuinarũ literarũ sciẽtiam habeat, virum integerrimum nec vlli distractioni indulgentem, ab auaritia abhorrentem, minimè libenter gerendis se negotijs admiscentem, quietum, amantem Deum, egentium studiosum, minime iracundum, iniuriarum immemorem, natura propensum ad eos docendos, qui ad ipsum accedant, quem gloria inanis non inflet, superbia non extollat, adulatio non frangat, seuerum atq; constantem; cui deniq; nihil sit præstantius honore Dei.]

§. 4. *Quæ ratio tenenda in gubernanda familia.*

NEcesse est vt Pastor & quicunq; Prælatus benè gubernet familiam suam; nec satis sibi fecisse putet si tantummodo vitam suam ordinet. Vnde *S. Chrysostomus hom.* 14. *super epist. ad Timot.* 1. *sic ait.* [Pleriq; virtutem suam sibi satis esse ad salutem putant: & si vitam suam rectè disponant, deesse sibi nihil arbitrantur; sed hi profectò falluntur, idq; satis apertè indicat seruus ille, qui talentum vnum sibi à Domino creditum fodit in terram. Neq; imminutum illud sed integrum & huiusmodi quale acceperat retulit. Euidenter & Beatus Paulus ad Timoteum scribens idipsum asserit dicens. Si quis suorum & maximè domesticorum ad se pertinentium curam non habet, fidem negauit. Curæ nomine prouidentiam animæ & Corporis significat.]

Immo ex aptitudine & dexteritate regiminis æconomici sumitur iudicium de aptitudine ad regimen politicum & Ecclesiasticum dicit Modernus quidam. Nam qui domum suam benè moderatur signum est quod aptus erit ad benè regen-

dam Ecclesiam. Vnde *Hieronymus ad Oceanum*. Vult, *inquit*, Apostolus Episcopum domum suam benè regere non vt opes augeat; non vt regias paret epulas, non vt cælatas patinas struat &c. sed vt quod populo præcepturus est prius à domesticis exigat. Vnde ait *Theodoretus* qui parua nescit administrare quomodo poterit ei credi cura præstantiorum ac diuinarum. Et *Sanctus Ambrosius*. Manifestum est quia tunc potest idoneus Rector futurus probari si prius domum suam rectè gubernauerit; qui enim in minimis fidelis est, & in magnis fidelis erit. Paulus enim omnino necessariò à minori negando concludit; nam qui familiam non potest rectè administrare, is Ecclesiasticæ præfecturæ, quæ multò est tùm difficilior tum laboriosior par esse non potest. Sic *namq; Chrysostomus*. [Ecclesia, *inquit*, est velut domus quædam; & sicut in domo vxor est, ac filij, & serui; omniumq; cura, & regimen incumbit viro: ita fermè & in Ecclesia videas. Est autem longè facilius domum, quàm Ecclesiam regere. Qui igitur rem, vt dixi, familiarem dispensare congruè nescit is quo pacto Ecclesiæ præesse conuenienter posse putandus est?

Igitur Pastor & Præsul post ordinem sibi, vitæ suæ, & suis actionibus præscriptum: post selectam familiam, si in eius potestate fuit illam seligere; debet ordinem & viuendi rationem præscribere dictæ familiæ. Posset in specie hæc familiaribus, commensalibus, & famulis edicere, nempe.

Vt omnes quotidie Missam audiant. Vt saltem Clerici simul cum ipso semel in hebdomada ieiunent, ac bis in Aduētu; præter statuta ab Ecclesia ieiunia. Vt dum familia cibum capit sacra lectio adhibeatur. Vt modestè vestiant; & nigro tantùm vel fusco colore vtentes. Ab auro, argento, serico, & coloribus varijs abstineant & simplici vestitu sint contenti. Vt non ferant arma nisi in itinere necessitatis causa.

Curet etiam Pastor ne inerti otio se dedant; sed honestis actionibus sint occupati. Vt abstineant à flagitiosorum hominum consuetudine, & à locis vbi turpiter viuitur; nec pernoctantes foris & abstinentes à iocis & inanibus oblectamentis &

tis & libris talia continentibus, religionem & pietatem præseferant ac ostendant se dignos esse qui populi Duci ministrent.

Quotidie ipse Pastor vespere antequam ad Cænam accedatur cum ijs litanias ac preces deuotè recitet, & piè oret ac salutaribus monitis ad vitæ innocentiam, integritatem, pietatem, humilitatem, & alias virtutes Christianas exercendas hortetur.

Et, vt certior fiat Pastor quomodo illius familia viuat, visitet illam frequenter, exploret illius progressus, bonos præmijs & laudibus afficiendo; malos contrà corrigendo, & incorrigibiles expellendo.

Cum aliquis ex familia ægrotat Pastor illum paternè inuisat; & omni eius necessitati oportunè succurrat. In vniuersum attendat diligenter ne in sua familia sint rixosi, vinosi, impudici, fures, cupidi, elati, blasphemi, detractores, & voluptatū amatores vt *docet Concilium Tridentinum sess. 2. cap. vnic.*

Hæc & his similia à sacris Canonibus, & Sanctis Patribus deprompta poterit bonus Pastor obseruare pro recta & sancta suæ familiæ gubernatione.

CAPVT QVINTVM.

De Hospitalitate.

INter alias Ecclesiasticorum virtutes requirit Apostolus hospitalitatem, sic inquiens. *Oportet Episcopum esse irreprehensibilem &c. hospitalem* & alibi, *Charitas fraternitatis maneat in vobis: & hospitalitatem nolite obliuisci; per hanc, enim placuerunt quidam Angelis hospitio susceptis.* Et alibi. *Hospitalitatem sectantes.* Quanta sint huius virtutis præconia apparebit ex dicendis. 1. ex sacris Canonibus. 2. ex Sanctis Patribus. 3. ab exemplis.

§. 1.

§. 1. *Hospitalitas commendatur ex sacris canonibus.*

COnciliũ Nannetẽse sic ait vt *refert Bessaus in suo regali Sacerdotio lib.2. c.5.* [Cura hospitum, *inquit*, maximè pauperum atq; debilium orphanorum quoq; atq; peregrinorum habeat Presbyter quibus de mensa sua iuxtà qualitatem suam cibos impertiat domum ad hospitandum præbeat, & dignè illos tecto recipiet. Scitote enim Sacerdotes non alios vobis cliẽtes dedisse Deum quàm pauperes, nec alios hospites quàm peregrinos. Volumus, ait idem Concilium, vt Presbyteri qui bonum exemplum Charitatis omnibus ostendere debent hospitales existant iuxtà Dominicum & Apostolicum præceptum; & erga eos, qui foris veniunt, benignos se exhibeant; per hospitalitatem enim placuerunt quidam Deo, Angelis hospitio receptis. Ipse quoq; Christus in die iudicij. Hospes eram & collegistis me. Iob etiam de se testatur. Ostium meum viatori placuit.]

Gratianus dist.42. in principio sic ait. [Hospitalem verò Sacerdotem esse oportet, ne sit in numero eorum quibus in iudicio dicetur. (Hospes eram & non suscepistis me) qui enim Apostolum secutus alios ad hospitalitatem debet inuitare quomodo hospitalitatis exhortator poterit esse qui domum propriam hospitibus claudit? Si enim Sacerdos primum à seipso, & à domestica Ecclesia sua debet exigere quod postea populis imperet: si primum, imitando Christum, ipse debet facere quæ postea populum doceat, necesse est vt pauperes hospicio recipiat, quo ad hospitalitatem facilius suo exemplo subditos attrahat.]

Et dist.89. cap. Volumus. Sic habetur. Volumus vt frater noster Paschasius & Vice dominum sibi ordinet & maiorem domus quatenus possit vel hospitibus superuenientibus vel caussis, quæ eueniunt, idoneus & paratus existere. Si verò & negligentem eum prospicis, & ea quæ diximus, implere differẽtem, omnis clerus eius adhiberi debet, vt communi consilio ipsi

ipsi eligant quorum personæ ad ea, quæ prædiximus valeant ordinari.

Et 12. *q. 1. cap. quia tua. versus finem. sic habetur.* Communiter autem viuentibus iam de faciendis portionibus vel exhibenda hospitalitate, & adimplenda misericordia nobis quid erit loquendum? Cum omne quod superest in causis pijs & religionis erogandũ est? Domino & Magistro omnibus dicente. Quod superest date eleemosinam; & ecce omnia munda sunt vobis.

Et 16. *q. 2. cap. quoniam sic habetur.* Quoniam quicquid habent Clerici pauperum est; & domus illorum omnibus debent esse communes, susceptioni peregrinorum & hospitum inuigilare debent &c.

§. 2. *Hospitalitas commendatur SS. Patrum testimonijs.*

S*anctus Hieronymus ad Nepotianum.* Mensula tua pauperes & peregrinos suscipiat, & cum illis Christus conuiua erit.

S. Gregorius lib. 5. epist. 29. Secundino seruo Dei, relatus in cap. fratrem dist. 86. sic inquit. Nam domus Episcopi ad hoc est instituta vt sine personarum acceptione omnes in hospitalitatem recipiat; & ideò non debet habere canes quia non morsibus & latratibus canum, sed hymnis custodienda est domus eius; ne hi qui confidunt ibi se inuenturos leuamen miseriarum suarum, versa vice morsibus canum laniantur.

Idem *in 2. par. Pastoralis cap. 7. sic inquit.* Egentis mentem doctrinæ sermo non ita facilè penetret, si hunc apud eius animum manus misericordiæ non commendat. Tunc autem verbi semen facilè germinat quando hæc in audientis pectore pietas prædicantis. De quo dicitur illud Psalmi Dispersit, deditq; non Fisco; non hæretico; non ciui potenti, & factioso; non carni & sanguini: non tenaci, & quæ nunquam compleri potest, arcæ; tantò minus non libidini & cupiditati; sed dispersit dedit.

dedit pauperibus: hoc est, seminaria futuræ pietatis & eruditionis extruxit; adolescentes præstantes ingenio quamplurimos domi, forisq; opibus suis educauit; parochijs desertis ac depopulatis pastores & Sacerdotes suis copijs aluit; redeuntes ab errore benignè & liberaliter suscepit, captiuos redemit, virgines orbas elocauit; peregrinos hospitio suscepit, viduis, orphanis, morbo atq; ætate fractis opem tulit. Dispersit dedit pauperibus iustitia eius manet in sæculum sæculi cornu eius exaltabitur in gloria.

Sanctus Ambrosius *lib. 2. de officijs cap.16.* Quò plus te operari viderit populus, magis diliget. Scio plerosq; Sacerdotes quò plus contulerint plus abundasse: quoniam quicunq; bonum operarium videt, ipsi confert quod ille officio suo dispenset; securus quod ad pauperem sua perueniat misericordia. Nemo enim vult nisi pauperi suam proficere collationem. Et *cap. 2.* Est publica species humanitatis vt peregrinus hospitio non egeat, suscipiatur officiosè, pateat aduenienti ianua.

Idem *lib. 1. officiorum cap. 30. relatus in cap. non satis, & in cap. est probanda dist. 86. sic inquit.* Considera ætatem vt senibus plus largiaris, qui sibi iam nequeunt victum quærere. Considera etiam debilitatem. Considera verecundiam, quæ ingenuos prodit natales. Non tamen vult Dominus simul effundi opes, sed dispensari; & in ipso pauperis dato mensuram tenere vt abundes pluribus. Quantò enim minora sunt, quæ sparguntur, tantò plures erunt qui recipiant. Ex puro affectu ac sincero fiat eleemosina non conciliandi fauoris gratia vltrà modum effundendum.

Sanctus Clemens Papa Epistola 1. sic ait. Insignes & viui Charitatis fructus sunt si quis mensam suam & epulas omnibus faciat communem; ita quippe nascitur amor; omnisq; boni causa in hac communione consistit. Ideò cibos vestros alijs communicate; ferculorumq; vestrorum participes sint alij, per quæ temporalia hæc pacis obsequia, & Charitatis fructus facite, vt æterna & cælestia gaudia adipisci mereamini. Esurientes reficite; sitientibus potum, nudis vestitum date,

ægros

ægros visitate, vinctos iuuate, peregrinos in domibus vestris suscipite exemplo pijssimi Patriarchæ Abrahæ. *Ita S. Clemens*. Et ecce quàm seriò Sanctus hic Pontifex misericordiæ opera Ecclesiasticis commendat.

§. 3. *Hospitalitas commendatur ab Exemplis.*

IN sacris literis multa extant exempla Sanctorum Patriarcarum, qui huic virtuti summopere addicti fuere.

Primo loco occurrit magnus ille Patriarcha Abraham, qui colligendis hospitibus sic erat deditus vt aliquando meruerit tres Angelos sub virili forma hospitio suscipere, quos propter omnimodam inter ipsos similitudinem vt vnum adorauit sicut dicit scriptura. Loth suscepit & ipse Angelos hospitio dum esset Sodomis; quos tamen putabat esse viatores transeuntes. Inuitauit, & necessaria benignè obtulit & contrà incursantes defendit; vnde meruit liberari ab incendio, quo Sodoma & Gomorra absumptæ sunt. Rebecca etiam prompta se obtulit ad hospitalitatem cum dixit seruo Abrahæ *Palearum & fœni plurimum est apud nos, & locus spaciosus ad manendum &* paulò post dixit Laban eidē seruo. *Præparaui domum, & locum camelis*. Raab liberaliter excepit hospitio exploratores, quos misit Iosue; eosq; fideliter custodiuit ac dimisit. Proinde domus eius tota ab hoste seruata est. Mulier Sunamitis Elisæum transeuntem hospitio suscepit; qui ei ob id filium impetrauit; eumdemq; postea mortuū suscitauit. Tobias in more habebat adhibere semper hospites in mensa sua. Vnde & dicebat filio suo. *Vade & adduc aliquos de tribu nostra timentes Deum vt epulentur nobiscum*. Sanctus Iob recensens merita sua coràm Deo hospitalitatis se nomine in primis commendabat dicens, *Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori semper patuit*. Gaudens suscepit Dominum Zachæus in domum suam, & Dominus ipsum magis gaudentem reddidit quando dixit. *Hodie salus huic domui facta est*. Apostoli hospitio recipiebantur vt plurimum in domibus artificum, & hominum

mediocris conditionis & fortunæ. De Petro legitur. *Hic hospitabatur apud Simeonem quemdam coriarium.*

Sanctus Gregorius Magnus peregrinos quotidie ad mẽsam adhibebat, in quibus & Angelum & Angelorum Dominum peregrini facie accepit. Pauperes & vrbanos & externos, quorum numerum descriptum habebat, benignissimè sustentabat.

Sanctus Paulinus Nolensis Episcopus cum audisset in Euãgelio (Vade vende omnia quæ habes & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni & sequere me) amplissimas diuitias suas quas in fundis, domibus & alijs rebus possidebat, diuendidit & pauperibus erogauit, tamq; prolixa in miseros benignitate fuit vt cuncta quæ ad Episcopi vsum habere potuit captiuis indigentibus largiretur, cumq; iam nihil omnino superesset, viduæ postulanti pretiũ pro redemptione vnici filij captiui apud Vandalos sic respondit. (Mulier, quod possim dare non habeo sed memet ipsum tolle seruum, me iuris tui esse profiteor atq; vt filium tuum recipias me vice illius in seruitiũ trade.) Vnde illum Sanctus Augustinus vocat ex opulentissimo diuitem voluntate pauperrimum, & copiosissimè Sanctũ.

Bassianus Ephesimus Episcopus hospitalitatẽ se exercuisse ait his verbis. Ego à iuuenili ętate mea vixi cum pauperibus & Prochium feci, & in eo posui septuaginta lectos, & omnes languentes & vlceratos hospitio suscipiebam.

Leo eius nominis Nonus Pontifex Maximus vir fuit pietate, innocentia, benignitate gratia, & hospitalitate adeò insignis vt domus eius peregrinis & pauperibus semper pateret, nam cum semel ante fores suas leprosum inuenisset, eumq; præ misericordia collocari in lectulo suo mandasset, apertis mane à ianitore foribus nusquam pauper inuentus est. Christum pauperis nomine eo loci recubuisse creditum. Hic deinde Anno Domini. 1054. gloriosè vitam finiuit.

Cum post persecutiones Imperatorum aduersus Ecclesiam exercitas Constantinus Magnus imperaret & contrà tyrannũ Liciniũ bellum gereret, iussi sunt plurimi iuuenes in aliquibus prouincijs referri in numerum tironum, inter quos fuit Pachomius,

mius, qui, vt ipse affirmauit, annum agebat vigesimum: omnibus ergo vno animo nauigantibus cum ijs, qui ipsos assumpserunt, militibus appulerunt in quoddam oppidulum Thebarum. Vespere autem, cum ciues vidissent eos in satis tuta esse custodia, & de eis audiuissent viri Christiani & misericordes, attulerunt eis omnia, quæ erant eis ad vsum necessaria, & valde eis magnum præbuere solatium cum essent in maxima afflictione. Ego verò cum vidissem, *inquit Pachomius*, quod ab eis factum fuerat, & valdè essem miratus, didici ab eis, qui mecum erant, Christianos erga omnes quidem, præcipuè tamen erga hospites, esse benignos, & misericordes. Rogante autem me, *inquit*, quidnam esset appellatio Christianorum dicebant. Sunt homines pij & Deum colentes credentes in nomen Vnigeniti Filij Dei sui Iesu Christi, & omnibus benefacientes sperant ab eo mercedem remunerationis. Ipsis autem hæc ei dicentibus mente illuminatus & fidem Christianorum admiratus, spiritu exultans cum parum recessisset, manus suas in Cælum extēdit & dixit (Domine Deus qui fecisti Cælum & terram si respiciens respexeris humilitatem meam, & mihi tuæ diuinitatis dederis cognitionem, & me liberaueris ex hac afflictione tibi seruiam omnes dies vitæ meæ & conuenienter tuis præceptis vitam instituam.) Cum ergo esset precatus & sic Deo pollicitus vno die postea egressus è custodia cum ijs qui cum ipso erant & nauem ingressus nauigauit ex illo oppido. Interea autem dum in aliena regione versaretur si quando eum carnis voluptates, aut aliquarū rerum mundanarum vexarent cupiditates valdè auersabatur, precum memor, per quas mente illuminatus Christum fuit professus, & eius qui in ipsum extitit diuinæ gratiæ aduentus.] Hoc exemplo satis liquet quàm proprium sit Christianorum benignitatem, misericordiam, & hospitalitatem exercere. Quod si hoc decet Christianos quoscunq; quid dicemus de Ecclesiasticis, quos maior tenet obligatio, hæc eadem pietatis opera exercendi?

Multa hìc alia possent referri exempla, quæ passim videri

 po-

poterunt apud Historicos & apud collectores exemplorum, præsertim apud *Dauroutium florum exemplorum cap. 8. tit. 10.*

CAPVT SEXTVM.

De Beneficientia & Liberalitate.

HAe duæ Virtutes admodum sunt affines & fortè nominibus solum differunt: ideò sub vno capite de illis agimus, Commendatas habemus has virtutes pluribus in locis diuinæ paginæ; quamuis sub alijs vocibus. Apostolus ad Hebræos. 13. *Beneficentiæ & cõmunionis nolite obliuisci; talibus enim hostijs promeretur Deus.* Et ad Timotheum. 1. cap. 6. *Diuitibus huius sæculi præcipe non sublime sapere, neq; sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo (qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum) bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum vt apprehendant vitam æternam.* Videamus igitur. 1. quid sit Beneficentia, & quid sit Liberalitas. 2. de Motiuis ad has virtutes amplectendas. 3. de Modo illas exercendi. 4. de exemplis.

§. 1. *Quid sit Beneficentia, quid sit Liberalitas.*

BEneficentia *iuxtà Diuum Thomam* 2. 2. *q.* 31. *art.* 1. nihil aliud importat quàm facere bonum alicui; & est actus Charitatis. Vnde non est virtus specialis distincta à Charitate; sed dicit actum Charitatis. Obiectum, seu res circa quam quodammodo producendam versatur, vocatur Beneficium; Vnde hæc nomina sunt correlatiua Benefactor, Benefacere, Beneficentia, Beneficium.

Liberalitas est Virtus Iustitiæ finitima, vt inquit *Diuus Thomas* 2. 2. *q.* 117. *art.* 5. quæ versatur circa pecunias accipiendas, conseruandas, & maximè elargiendas; habetq; pro fine bonum usum pecuniarum in datione illarum. Nam ad liberalem

tem pertinet emissiuum esse; Vnde & alio nomine liberalitas largitas appellatur; quia quod largum est non est retentiuum sed emissiuum. Vsus autem pecuniæ est in emissione illius; nam acquisitio pecuniæ magis assimilatur generationi quam vsui. Custodia verò pecuniæ inquantum ordinatur ad facultatem vtendi assimilatur habitui. Emissio autem alicuius rei quantò fit ad aliquid distantius tantò à maiori virtute procedit sicut patet in his quæ projciuntur. Et ideò ex maiori virtute procedit quod aliquis emittat pecuniam dando eam alijs, quàm expendendo eam circa seipsum. Proprium est virtutis vt præcise tendat in id quod est perfectius; Nam virtus est perfectio quædam & ideò liberalis maxime laudatur ex datione. *Ita Sanctus Thomas.*

Hæc Liberalitas sicut & quælibet alia Virtus inter duo extrema posita est; nempe inter tenacitatem & prodigalitatem, de quibus *S. Hieronymus lib.16. com. in Isai. cap.57.* [Liberalitas *inquit*, & dispensatio virtus maxima est, & via regia, à qua declinat ad dexteram qui parcus est, & non solum alijs sed ne sibi quidem tribuit quod necesse est. Ad sinistram qui comedit substantiam suam cum meretricibus & dicit cum Israel Manducemus & bibamus, cras enim moriemur.]

Liberalitas constat ex beneuolentia & beneficentia, vt nimirum libenter simul, ac prolixè largiamur. Deus enim per Isaiam 58. sic ait. *Cum effunderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleueris.* Et per eundem cap. 70. *Si dederis esurienti panem tuum ex animo tuo, & animam humiliatam saturaueris.* Vbi *Sanctus Hieronymus sic.* [Esurienti demus non tantum panem nostrum, sed animam nostram, vt eum in quibuscunq; pressuris adiuuemus, & non quasi ex tristitia & necessitate sed ex animo tribuamus, accipientes magis quàm dantes beneficium. Nam vt dicit Apostolus ad Corintios. Non tantùm facere sed & velle cæpistis ab anno priore.] *Sanctus Ambrosius lib. 1. offic. cap. 30. ait.* [Perfectorum vtrumq; est non pars.] Itaq; docet & liberalitatem sine beneuolentia; & beneuolentiam sine liberalitate non esse perfectam. Vnde ad

per-

perfectum hortatur dicens ibidem. [Nunc ergo & facete consumatè vt quemadmodum in vobis prompta est voluntas faciendi ita sit & perficiendi ex eo quod habetis.] Et *vt idem S. Ambrosius ibidem*, *& habetur dist. 86. cap. 15. ait.* [Non satis est bene velle nisi studeas etiam benefacere neq; satis est iterū benefacere nisi id ex bono fonte procedat;hoc est ex bona voluntate proficiscatur. Hilarem enim datorem diligit Deus. Nam si inuitus facias quæ tibi merces est? Vnde Apostolus generaliter dicit. Si volens hoc ago, mercedem habeo: si inuitus dispensatio mihi credita est.]

Vnde cum in animo (vt omnis virtus) Liberalitas insideat, nihil prohibet eum esse magis liberalem,qui pauciora largitur, modò maiori animo, beneuolentia, & alacritate largiatur. Ideò *idem S. Ambrosius loc. cit.* [Affectus *inquit*, diuitem collationem facit, aut pauperem, & pretium rebus imponit.] Et *Sanctus Gregorius hom. 6. in euang.* Exteriora, *inquit*, nostra Domino quamlibet parua sufficiunt, cor namq; & non substantiam pensat. Nec perpendit quantum in eius sacrificio, sed ex quanto proferatur *& infra*. Ante Dei oculos nunquā est vacua manus à munere, si fuerit arca cordis repleta bona voluntate. Nihil quippe Deo offertur ditius bona voluntate.]

Cæterum duplex est liberalitatis ratio, *inquit Cicero lib. 2. de offic.* nam aut opera benignè fit indigentibus aut pecunia; facilior est hæc posterior, locupleti præsertim; sed illa lautior ac splendidior, & viro forti, claroq; dignior. Ex quo mutuatus *Sanctus Ambrosius sic inquit*. Est duplex liberalitas vna quæ subsidio rei adiuuat, idest vsu pecuniæ: altera quæ operum collatione impenditur, multò frequenter splendidior multòq; clarior. Et quis est qui non aliquam proximo suo opellam commodare possit? Nemo igitur à liberalitate exemptus.

§. 2

§. 2. *De Motiuis ad prædictas virtutes amplectendas.*

MOtiua & excitamenta ad prædictas virtutes Beneficentiæ & Liberalitatis Ecclesiastico viro sunt quamplurima.

Primum quòd in hoc imitamur Deum vt docet Saluator illis verbis apud Mattheum. 5. *Benefacite his qui oderunt vos: orate pro persequentibus & calumniantibus vos, vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos &c.* & illis alijs verbis apud Lucam 6. *Veruntamen diligite inimicos vestros; benefacite & mutuum date nihil inde sperantes; & erit merces vestra multa, & eritis filij Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos & malos. Estote ergo misericordes sicut & Pater vester misericors est &c.* Quamuis enim Liberalitas, inquantum diuitiarum cupiditatem moderatur, in Deo non sit, ex ea tamen parte, & quidē potiori qua est affectus quidā ad faciliè, plixè, sine remunerationis intuitu alijs benignè faciendū, maximè est in Deo: ipse enim ad largiendum promptissimus est, & propensissimus, & quidem hilariter, copiosè, gratuitò, quia suam decet benignitatem, & beneficentissimam naturam. *Dat enim omnibus affluenter & non improperat*, vt inquit Beatus Iacobus cap. 1. Nam 1. largitur spontè, ac perlibenter. 2. Cunctis sine vlla exceptione. 3. affluenter, perbenignè sine vlla restrictione. 4. postulantibus non exprobrat nimiam cupiditatem; quia sine tædio & indigentiæ metu largitur. *Diues in omnes qui inuocant illum.* dicit Apostolus. Hoc igitur exemplum diuinæ Maiestatis perpendens Ecclesiasticus vir nunquam beneficentiæ fontes obturabit. Hac enim ratione fit filius Altissimi, & diuinæ consors naturæ. Nam *vt ait S. Greg. NaZianZenus de pauper. amore.* [Nihil tàm diuinum homo habet, quàm de alijs benè mereri, tametsi ille maiora, hic minora beneficia conferat, vterq; nimirum pro viribus suis.] Et *Sanctus Gregorius Nyssenus orat. de amandis paup.* [Beneficentia, *inquit*, est omnium

lau-

laudatarum virtutum præstantissima. Hæc est felicitatis comes. Hec assidet Deo, & magna est cum ipso necessitudine coniuncta.]

Secundum. Quod opes tantæ Ecclesiasticis donatæ sunt, vt in egenorum subsidia sint liberales. Vnde *Diuus Ambrosius lib.2. offic. cap.28. relatus. 12. q.2. cap.69.* [Aurum, *inquit*, habet Ecclesia non vt seruet, sed vt eroget, & subueniat in necessitatibus. Quid opus custodire quod nihil adiuuat? An ignoramus quantum auri & argenti de Templo Domini Assyrij sustulerint? Nonne melius conflat Sacerdos propter alimoniam pauperum, si alia subsidia desint, quàm sacrilegia contaminata asportet hostis.] Et ante B. Ambrosium *D. Cyprianus de opere & eleemos.* Patrimonium, *inquit*, Deo creditum, nec Resp. eripit, nec fiscus inuadit, nec calumnia aliqua forensis euertit: in tuto hæreditas ponitur quæ Deo custode seruatur. Vulgò dicitur, & benè quod non capit Christus rapit fiscus.]

Tertium motiuum erit attenta consideratio quid sint diuitiæ in se, quàm viles, quàm exiguæ, quàm incertæ, quam instabiles. Sufficiat afferre testimonium meliflui *Bernardi*, *qui in sermone quarto de Aduentu Domini*, *sic ait*. [Filij Adam genus auarum & ambitiosum audite. Quid vobis cum terrenis diuitijs & gloria temporali, quæ nec veræ nec vestræ sunt. Aurum & argentum nonne est terra rubra; & alba quam solus hominũ error facit, aut magis reputat, pretiosam? Deniq; si vestra sunt hæc, tollite ea vobiscum. Sed homo cum interierit non sumet omnia, nec descendet cum eo gloria eius. Veræ ergo diuitiæ non opes sunt sed virtutes, quas secum conscientia portat, vt in perpetuum diues fiat. Quid sunt vniones quàm concharum excrementa? Quid gemme nisi lapides? Quid sericæ vestes nisi viscera turpium vermiculorum? Quid panni linei nisi ouium vellera? Quid pelliceæ vestes nisi bestiarum pelles? Quid magnificæ ædes aliud sunt, quàm lapidum congeries certo ordine coagmentata? Vsquequo igitur homo aggrauat contrà se densum lutum.]

Quartum motiuum erit perpendere quòd diuitiæ aditum

præ-

præbent ad fastum, ad luxum, ad sensuum oblectationem, ad omnem mali licentiam, ad ægritudinem, ad damnationem. Diues ille, de quo in euangelio, induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splēdidè; sed in inferno tādem sepultus, dirissimisq; illius flammis cruciatus, nec vnquam aquæ guttam pro sua refrigeratione impetrabit: quāto satius illas diuitias ad Lazari inopiam subleuādam contulisset? tunc misericors misericordiam consecutus fuisset; nunc iudicium sine misericordia illi, quia non fecit misericordiam. Propterea moneri vult diuites Apostolus vt sublime non sapiant, nec sperent in incerto diuitiarum sed in Deo viuo. Nam aliter facientibus, & ad Corporis oblectamenta facultates suas vsurpantibus gehennæ supplicium comminatur Deus per Amos. 6. dicens: *Væ qui opulenti estis in Sion, qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris, qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti.* Et Lucæ 6. *Væ vobis diuitibus, quia habetis hic consolationem vestram.* Considerandum etiam qualem quantamq; curarum & molestiarum catenam in acquirendo, augendo, conseruandoq; secum diuitiæ trahant. Beatus ille, *ait Bernardus epist.* 103. qui post illa non abiit, quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant. Et cogitandum quoq; quam paucis sit contenta natura; quàm multa sint illi superflua. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus,* ait Apostolus 1. Timot. 6. quod & confirmat Ecclesiasticus 29. *Initium,* inquiens, *vitæ hominis aqua, & panis, & vestimentum, & domus protegens turpitudinem.* Ponderandum etiam multò honestius præstantiusq; esse dare, quàm accipere; illud enim affluentis est bonitatis, hoc exhaustæ indigentiæ. Vnde *Hieronymus epist. 2. ad Nepotianum sic inquit.* [Nunquam petentes, rarò accipiamus rogati. Beatius enim est magis dare quàm accipere. Nescio enim quomodo etiam ipse, qui deprecatur vt tribuat, cum acceperis viliorem te iudicat, & mirum in modum

dum si eum rogantem comtempseris plus te posteriùs veneratur.]

§. 3. *De Modo exercendi Beneficentiam, & Liberalitatem.*

AD exercendas rectè, prudenter & laudabiliter prædictas virtutes debent concurrere quinq; nempe *Tempus, Persona, locus, Causa, Modus.*

Tempus & locus. Quia reuera sicut videmus quod natura in producendo fructus seruat tempora, quia scilicet in æstate producit, in hyeme verò se retrahit, atq; claudit: sic Homo non in omni loco nec omni tempore debet liberalitatem exercere, sed locum & tẽpus debitum obseruare. Quandoq; enim se debet claudere & obstruere, vt tandem occasione reperta & necessitate opportuna inuenta possit fertilius erogare. Teste *Diuo Ambrosio, de offic. lib. 1. qui inquit.* Deus non vult opes effundi sed dispensari. Ad quod facit id quod dicit *Seneca epist. 83. inquiens.* [Tempore beneficia magna sunt. Beneficium est enim vnus in fame panis, si eo animo, quo debet, datur; nec quantum sit, sed qua datum sit voluntate perpenditur. Maius enim fit munus, licet idem sit, tempore, loco, & causa. Igitur liberalitas tempori & loco debet coaptari.]

Persona etiam ratio habenda; nam quamuis liberalitas erga omnes homines exercẽda sit; delectus tamen personarum habendus est. Quemadmodum enim Sol prius illuminat partes magis propinquas quàm remotas: & mare multò plus arenas & terras sabulosas irrigat, quam fæcundas cum sibi amplius sint propinquæ. Sic verè cum liberalis homo omnibus debeat bonum facere; tamen propinquioribus hoc est consanguineis, familiaribus, & amicis: & arenosis hoc est sterilibus pauperibus & egenis debet, cæteris paribus, primò dare, & eis quod necesse est præ alijs ministrare. Et in pari

ne-

necessitate melius est subuenire suis quàm alijs. Quod tamen est contrà multos, qui scilicet liberales sunt non pauperibus sed diuitibus: non propinquis, sed forensibus: non egenis sed potentibus. Heu quot sunt hodie qui magnatibus liberales existunt, & erga eos abundanter expendunt vt ampliora habeant, vel vt largitatis nomen acquirant, sua copiosè distribuunt; pauperes verò Christi, & etiam pauperes de genere suo deserunt, & dimittunt, nec eisdem impendere quicquam volunt. De quo dicit *Petrus Rauennas in quoddam sermone*. [Heliseus vasa ter vacua implebat, & deficientibus oleum dabat. Hodie verò vasa vacua contemnuntur & plena semper implentur. Ligna ad siluam, & aquæ in mare deferuntur; arenti autem terræ subtrahitur; & flumina quæ non indigent irrigantur.]

Causa etiam attendenda ne scilicet detur ad malum finem puta ad inducendum ad peccatum vt ad adulteriū, stuprum, homicidium & similia: neq; ob inanem gloriam vt reputetur largus: neq; vt expectet ampliorem retributionem: sed ob finem honestum, puta ad necessitatem subleuandam, ad virtutem exercendam, ad alliciendum ad bonum, ad charitatem fouendam, ad ciuilem societatem conseruandam & similia.

Modus etiam tenendus, qui consistit in hoc vt ille, qui vult beneficientiam & liberalitatem exercere, quando daturus est beneficium det *Citò; libenter; prudenter; de proprio*. Et primò quidem *Citò, properè, celeriter*. Qui enim citò dat, bis dat. Differre rem dandam est affligere vel grauare petentem. *Spes, quæ differtur, affligit animam*; inquit Spiritus Sanctus in Prou. 13. Debemus imitari Deum & Naturam: Deus enim citò dat; nunquam procrastinat: subitò solet gratiam infundere nisi obstaculum peccati faciat hoc differri. Si enim cor dispositum fuerit nunquam Deus gratiam retardabit: nescit enim tarda molimina Spiritus Sancti gratia. De natura eti-

am constat, quòd disposita materia, in momēto solet natura formam introducere: & turbulentis nubibus aere depurato solet solis præsentia radios suos subitò diffundere, & mundum in momento suis splendoribus illustrare. Sic dicendum de homine liberali, qui postquam viderit quòd medium est dispositum, & quòd simul concurrunt tempus, persona, locus, causa, non debet procrastinare; sed quod dare voluerit, citò dare. Et hoc est quod dicit *Seneca lib. 4. de benef.* [Gratissima, *inquit*, sunt beneficia parata occurrentia, & facilia, vbi nulla mora fuit nisi in accipientis verecundia. Optimum est eam occupare antequam rogemur; quia probus homo rogando rubore suffunditur; qui autem hoc tormentum remittit, multiplicat munus suum. Non tulit gratis qui cum precibus accepit. Nulla res carior constat quàm quæ precibus empta est; molestum enim verbum & onerosum est dimisso vultu dicere, Rogo.] Et Ausonius canit.

Gratia quæ tarda est, ingrata est; gratia namque
Cum fieri properat, gratia grata magis.

[Beneficium ergo, *vt inquit Seneca*, debet esse nulla dilatione suspensum, nullis precibus redēptum, nullis meritis comparatum.] Quæ sententia pulcherrima est, & memoriæ consignanda.

Libenter quoq; dandum. Ille enim qui liberalitatem facit, debet affectuosè, & ex animo ipsam facere. Ille verò, qui illam recipit, magis debet animum quàm ad factum attēdere, & magis dantis voluntatem & possibilitatem quàm muneris quantitatem pensare. Ad quod facit exemplum pauperculæ mulieris, quæ duo æra minuta offerebat in templum, cum multi diuites multa & magna offerrent, & tamen Christus oblationem eius modicam oblationibus diuitum qui magna offerebant prætulit. In liberalitate ergo magis pensandus est affectus quàm effectus; magis voluntas quàm quantitas; & potius dantis tenuitas quàm liberalitas.

Pru-

Prudenter. Et ad hoc applica illud quod dictum est suprà in principio huius §. verbo *Tempus* &c. Ad quod facit illud Gregorij qui dicit quòd in liberalitate modus adhibendus est & rerum & personarum. Rerum vt non vni omnia sed singulis erogetur. Personarum, vt primò tribuamus bonis deinde alijs: & primò coniunctis quàm extraneis, vt suprà diximus.

De proprio. Quia reuera homo debet esse liberalis de suo, non de alieno. Quod est contrà modernos diuites & potentes, qui scilicet aliunde vndiq; rapiunt, & pompas, festa & conuiuia liberaliter faciunt; itaquòd alij homines tales liberales & magnificos esse dicũt, & sic nomen liberalitatis alienis expensis acquirunt. Similes Aquilis & Leonibus, qui scilicet sunt liberales non de suis sed de alienis; quia scilicet illud, quod alijs auibus & bestijs sequentibus tribuunt, aliarum auium & bestiarũ carnes sunt, quas rapuerunt. Vnde benè Ambrosius dicit quod illa liberalitas non probatur, vbi ab altero extorquetur vt alteri largiatur.

§. 4. *De exemplis illorum qui in Beneficentia, & Liberalitate illustres fuere.*

PLena sunt sacrarum historiarum volumina exemplis eorum, qui insignes fuerunt in beneficentia & liberalitate, tum viri tum mulieres sanctitate celebres, quos hic referre esset actum agere, & inanem laborem in transcribendo suscipere. Mitto igitur ea, quæ omnibus sunt manifesta, de liberalitate sanctorum Gregorij Magni, Martini, Nicolai, Caroli, Ioannis Eleemosinarij, & aliorum propemodum innumerabilium. Vnum tantummodo lubet afferre de Sancto Ephrem *ex Nicephoro lib. 9. hist. eccles. cap. 16.* Plurima ergo de sancto Ephrem memoratu digna referuntur, sed præsertim hoc. Fames ingens Edessenorum vrbem premebat:

bat: atq; ipse qui multos annos non fuerat domo egressus, tunc philosophādi studio aliquantulum intermisso prodijt: & in homines locupletes, qui sic turpiter rerum necessaria-rum inopia ciues suos pereuntes despicerent, acriter est in-uectus arguens eos, quòd animarum cura neglecta studium omne in corpore fouendo collocarent. Illi autem integri-tatem & paupertatem viri obseruanter veriti, minime sic es-se affirmarunt: facilè enim & promptum eis esse, indigenti-bus facultates distribuere: deesse saltem qui in eo ministe-rio pro eo atq; deceret fidelem se præberet, omnesq; lucro inhiare, & talia fœdè in quæstum suum vertere, dixere. Tum Ephrem: Ego verò, inquit, qualis vobis esse videor? & illi: Honestus atq; bonus respondere: & talis prorsus, qui opi-nioni, quæ de eo fertur, vita ipsa respondeat. Itaq; ille ait, paratus sum omnibus hac in re inseruire: Et multò ab eis sumpto argento trecentas parauit mensas: & in publicis porticibus eos qui fame affecti erant, acceptos diligenter & benignè fouit: aduenas quoq; & alios qui inopia affligeren-tur humaniter curauit. Idemq; tātisper fecit dum fames ibi est grassata. Ea verò depulsa ipse ad philosophiæ suæ of-ficinam reuersus ibi paucos post dies vita est defunctus.

Amadæus Sabaudiæ Dux rogatus quondam à quibusdā Oratoribus, qui ad eum venerāt, an etiam haberet canes ve-naticos ad venandum ceruum vel aprum? Annuit, vt postea die redirent, Cum verò iam adessent expectantes videre quod cupiebant, Amadæus è pergula Aulæ ingentem à late-re ædium mendicorum multitudinem eis ostendit vnà dis-cumbentium. Atq; hi sunt, inquit, canes mei, quos alo quo-tidie, quibusq; cœlestem gloriam me spero venaturum. Et si alios canes haberem, nullum per eos leporem, vel ceruum, vel aprum caperem, qui mihi centum aureis non constaret. Malo equidem redditum meum in re magis seria collocare.

Sed quid mirum si viri fidei lumine imbuti beneficij in

egenos

egenos extitere, quando & ipsosmet ethnicos idem præstitisse legimus.

Titus Vespasianus Cæsar dicebat, non licere quemquam à vultu Imperatoris tristem discedere. Idem inter cænãdum aliquo die recordatus, quòd nihil eo die præstitisset, memorãdam illam vocem edidit. *Amici diem perdidi.* Laudanda sanè Principis beneficentia tàm singularis, qui omne tempus se perdidisse putabat, quo amicis benemeritis suum non præstitisset officium. *Apud Suetonium.*

Alexander Seuerus descriptum habebat quid cui tribuisset. Qui nihil aut minimum petijssent, eos appellabat, dicens: Quid est cur nihil petis? an me tibi vis fieri debitorem? pete ne priuatus de me queraris. Idem rogatus quis esset rex optimus: Qui, inquit, amicos muneribus retinet, & inimicos beneficijs ambit, & sibi conciliat. *Max. ser. 9. de Magistratu.*

Socrates Athelao Regi roganti vt ad se veniret, respondit. Nolle se ad eum venire à quo acciperet beneficia cum reddere illi paria non posset. Timuit fortasse ne cogeretur accipere quæ nollet. Negotium illi erat cum rege omnia sua magni æstimari volente. *Senec. lib. 5. de benefic. cap. 6.*

Alexander regium esse affirmabat à quibus malè audias, in eos & sæpe & multum conferre. Quo innuere voluit, liberalitatem aliquando etiam erga indignos exercendam esse.

Fridericus Cæsar sæpenumero dicere solebat se ex ijs quos extulisset quàm paucissimos gratos vidisse: idq; ex muneribus suis datum esse, vt ex fidelibus infideles fierent. *Aeneas Syluius lib. 2. comment. de rebus gestis Alphons.*

Alphonsus Rex oblatrantibus canibus & rebellantibus offulam obijciendam dictitabat. Intelligens maleuolos homines beneficijs vincendos esse. *Pontan. cap. 30. de liberalitate.*

Diogenes à quodam rogatus quam ob causam homines men-

mendicis darent, Philosophis verò nihil largirentur. Quia, inquit, se claudos & cęcos fore sperare possunt, Philosophos autem minimè.

CAPVT VII.

De Eleemosina.

ELeemosinæ consideratio valdè affinis est præcedenti de beneficentia & liberalitate, siquidem ad eundem planè finem referuntur, nempè ad subleuandam alterius indigentiam. Vniuersa lex, quæ vtroq; testamento continetur, eleemosinam, seu opera misericordiæ tum omnibus, tum maximè Ecclesiasticis commendat, iisque suadere conatur, iuxtà Sanctum Augustinum, se tantummodò dispensatores esse bonorum Ecclesiasticorũ nõ possessores, vt inde discant rebus mundi huius non adhærere, cum Deus illas non ad ea possidenda, sed ad distribuenda pauperibus ab ijsq; se gessit. Ideo vt Concilium Nannatense tradit: Instruendi sunt Presbyteri, pariterq; monendi, quatenus nouerint decimas & oblationes, quas à fidelibus accipiunt, pauperum & hospitum, & peregrinorum esse stipendia: atq; ideò eadem non vt propria vsurpanda, sed velut fideicommissa. Agnoscant proinde esse sibi aliquando de ijs coràm Deo in vniuersalis iudicij die rationem reddẽdam, quæ si indebito modo vsurparint, nec in pauperes dispertiuerint, acriter se corripiẽdos. Vt igitur hoc salubre Concilij monitum melius Ecclesiasticorum mẽtibus imprimatur videbimus. Quomodo Eleemosina (quæ est opus, quo indigẽtiæ alterius subuenitur ex misericordia procedens) commendatur. Primò per auctoritates sacræ Paginæ. 2. per auctoritates sacrorum Canonũ. 3. per auctoritates sanctorum Patrum. 4. per auctoritates Philosophorũ moraliũ. 5. videbimus de fructibus Eleemosinæ. 6. qui pos-

possint facere eleemosinam. 7. quibus sit facienda. 8. ex quo quando & de quibus sit facienda. 9. quo ordine. 10. quomodo. 11. de exemplis.

§. 1. *Eleemosina commendatur per auctoritates sacra pagina.*

EX testamento veteri. In Ecclesiastico. *Rogationem contribulati ne abÿcias, & non auertas faciē tuam ab egeno.* Item. *Ab inope ne auertas oculos tuos propter iram.* Item *Maledicentes tibi in amaritudine anima exaudietur deprecatio illius: Exaudiet autem eum qui fecit illum.* Item. *Congregationi pauperum affabilem te facito.* Item. *Ante mortem benefac amico tuo, & secundum vires tuas da pauperi.* In Prouerbijs. *De primitÿs omnium frugum tuarum da pauperibus, & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt.* Item. *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis & ipse clamabit, & non exaudietur.* Item. *Qui dat pauperi non indigebit: qui despicit deprecantem sustinebit penuriam.* Iterum in Ecclesiastico. *Exorare & facere eleemosinam nes despicias.* Item. *Conclude eleemosinam in sinu pauperis, & hac pro te exorabit à peccatis & ab omni malo.* Item. *Benefac iusto, & inuenies retributionem magnam, & si non ab ipso, certè à Domino.* Item. *Da pauperi & accipient.* Item. *Eleemosina viri quasi sacculus cum ipso, & gratiam hominis quasi pupillam conseruabit, & postea resurget, & retribuet illis retributionem vnicuiq; in caput ipsorum, & conuertet in inferiores partes terra.* Apud Isaiam. *Frange esurienti panē tuum, & egenos vagosq; induc in domum tuam; cum videris nudum operi eum, & carnem tuam ne despexeris: tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria Domini colliget te Tunc vocabis & Dominus exaudiet te, clamabis & dicet adsum.* Iterum in Ecclesiastico. *Fili eleemosinam pauperis ne defraudes, & oculos tuos ne transuertas à paupere.* Item. *Animam esurientem ne despexeris, & non exasperes pauperem in inopia sua.* Item. *Cor inopis ne afflixeris & ne differas quod erogа-*

gaturus sis in egenum. Item. *Declina pauperi sine tristitia aurem tuam, & redde debitum tuum, & responde eidem pacificè cum mansuetudine. Pauperi porrige manum tuam vt perficiatur propitiatio tua, & benedictio tua.*

Ex testamento nouo. In Euangelio Matthæi. *Quicunq; potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, amen dico vobis non perdet mercedem suam.* Ibidem. *Gratis accepistis, gratis date.* In Euangelio Lucæ. *Veruntamen quod superest date eleemosinam & ecce omnia munda sunt vobis.* Ibidem. *Vendite quæ possidetis & date eleemosinam. Facite vobis sacculos qui non veterascunt thesaurum non deficientem in cœlis quò fur non appropiat neq; tinea corrumpit*. Item. *Cum facis conniuium voca pauperes, debiles, claudos & cæcos, & beatus eris quia non habent retribuere tibi; retribuitur enim tibi in resurrectione iustorum.* Item. *Quare non dedisti pecuniam meam ad vsuram pauperibus.* In Actis Apostolorum. *Beatius est magis dare quàm accipere.* In Epistola ad Galatas. *Bonum autem facientes non deficiamus.* Ibidem. *Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei.* In 2. ad Corintios. *In præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam subleuat.* Item *qui parcè seminat parcè & metet.* In Epistola ad Hebræos. *Non enim iniustus est Deus vt obliuiscatur operis vestri & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius qui ministrastis Sanctis & ministratis.* Ibidem. *Beneficientiæ & communionis nolite obliuisci talibus enim hostijs promeretur Deus.*

§. 2. *Eleemosina commendatur per auctoritates Sacrorum Canonum.*

IN *Distinctione 86. cap. Fratrem. Sic habetur.* Fratrem nostrum Marinianum Episcopum verbis, quibus vales, excita; quia obdormisse eum suspicor. Et *infrà.* Dic ergo ei vt cum loco mutet & mentem. Non sibi credat solam lectionem, & orationem sufficere vt remotus studeat sedere, & de manu mi-

minimè fructificare : sed largam manum habeat, necessitatem patientibus concurrat, alienam inopiam suam credat; quia si hæc non habet vacuum Episcopi nomen tenet. Et *distinctione* 87.*cap.non satis.sic habetur*. Non satis est benè velle,sed etiam benefacere.Nec satis est iterum benefacere nisi id ex bono fonte hoc est ex bona voluntate proficiscatur. *Et infrà*. Perfecta liberalitas fide, causa, loco, tempore, commendatur vt primum operis circa domesticos fidei. Grandis culpa si sciente te fidelis egeat, si scias eum sine sumptu esse, fame laborare, ærumnam perpeti qui præsertim egere erubescat: si in causam ceciderit aut captiuitatis suorum,aut calumniæ & non adiuues: si sit in carcere & pænis, & supplicijs propter debitum aliquod iustus excrucietur (nam etsi omnibus debetur misericordia tamen iusto amplius) si tempore afflictionis suæ nihil à te impetret ; si tempore periculi quo rapitur ad mortem, plus apud te pecunia tua valeat, quàm vita morituri, non est leue peccatum. Et 7.*q*.1. *cap. omnis. infrà medium sic*. qui negant misericordiam faciendam fugientibus, ac necessitatem patientibus ipsum Christum negant qui est misericordia & veritas. Et 16. *q*. 1.*cap.reuertimini. infrà medium sic*. Si quando fames & pecunia, & rerum omnium egestas opprimunt mundum sciamus hoc ex Dei ira descendere, qui in pauperibus si non accipiat eleemosinam fraudari se loquitur : & suas possessiones possumus decimas & primitias interpretari.

§ 3.*Eleemosina commendatur per auctoritates Sanctorum Patrum.*

S*anctus Gregorius Magnus In Moralibus* 19. Tantò quisque perfectior est, quantò perfectius sentit dolores alienos. *Ibidem*. Qui indigenti proximo exteriorem substantiam præbet sed vitam suam à nequitia non custodit, rem suam Deo tribuit, & se peccato : Hoc quod minus est obtulit auctoris

hoc quod maius eſt ſeruauit iniquitati. *Ibid.* Ille perfectè tribuit qui cum eo, quod afflicto porrigit, afflicti quoq; animum in ſe ſumit vt prius in ſe dolentis paſſionem transferat, & tunc contra dolorem illius per miniſterium concurrat. Et 20. *mor. cap.* 27. qui exteriora largitur, rem extrà ſe poſitam tribuit; qui autem fletum aut compaſſionem aliquid ſui ipſius dat. Idem 21. *mor. cap.* 13. Quidam prius pauperem contumelijs afficiunt quàm dent eleemoſinam. Videtur ergo quod illatæ iniuriæ ſatisfactionem ſoluunt dum dona largiuntur. Idem *in Homilijs*. Sic mens per compaſſionem doleat vt & larga manus affectum doloris oſtendat. Et *in 3. par. paſtorali adm.* 22. Admonendi ſunt, inquit, qui nec aliena appetunt, nec ſua largiuntur, vt ſciant ſollicitè quod ea, de qua ſumus, cunctis hominibus terra communis eſt: & idcircò alimenta quoque omnibus communiter profert: & incaſſum ſe innocentes putant qui commune Dei munus ſibi priuatim vendicant.

Sanctus Hieronymus ad Nepotianum. Non memini me legiſſe mala morte mortuum, qui libenter opera Charitatis exercuit. Habet enim multos interceſſores & impoſſibile eſt multorum preces non exaudiri. *Idem ad Furiam*. Velimus nolimus ſeneſcimus. Paret ſibi viaticum quod longo itineri neceſſarium eſt; ſecum portet quod inuitus dimiſſurus eſt; immò præmittat in Cælū, quod ſi negauerit terra ſumptura eſt.

Sanctus Ambroſius de officijs. Aurum habet Eccleſia non vt ſeruet ſed vt eroget & ſubueniat etiam in neceſſitatibus. *Ibid.* Neceſſitates aliorum quantum poſſumus iuuemus, & plus interdum poſſumus: nihil tàm ſecundùm naturam eſt, quàm iuuare conſortem naturæ. *Idem in quodam ſermone*. Non minoris inquit, eſt criminis habenti tollere, quàm, cum poſſis & habes, indigentibus denegare. Eſurientium panis eſt quē tu detines; nudorum indumentum quod tu includis; miſerorum redemptio & abſolutio pecunia, quam tu in terra fodis:

tan-

tantorum scias te inuadere bona, quantis possis præstare & nolis. Non sunt bona hominis quæ secum ferre non potest. Sola misericordia comes est defunctorum.

Sanctus Augustinus de Conflictu virt. Memento, *inquit*, quid purpurato diuiti contigerit, qui nō ideò damnatus est quòd aliena tulerit, sed quòd egenti pauperi sua non tribuerit: & in inferno positus ad petenda minima peruenit, qui hic pauca negauit. *Idem super Psalmos.* qui dat eleemosinam vt careat tædio interpellantis, non vt reficiat viscera indigentis, & rem, & meritum perdit.

Sanctus Leo Papa in sermone de apparit. Domini. Misericordiæ virtus tanta est vt sine illa cæteræ, & si sint, prodesse non possunt. Quamuis enim aliquis fidelis sit, & castus, & sobrius, & alijs maioribus ornatus insignibus, si misericors tamen nō est, misericordiam non meretur.

Sanctus Basilius magnus in oratione ad diuites. At tu, inquit, nonne spoliator es, qui quæ dispensanda accepisti propria reputas? *Et paulò post.* Quocirca, inquit, tot pauperibus iniuriam facis, quot dare valeres.

Sāctus Ioannes Chrysostomus Hom. 34. ad populum Antiochenū. Nunquid, *inquit*, tua possides? res pauperum tibi sunt creditæ, siue ex laboribus iustis, siue ex hæreditate paterna possideas.

Sanctus Bernardus in epistola ad Henricum Archiepiscopum Senonensem sic ait. Nostrum est, clamant, quod effunditis: nobis crudeliter subtrahitur quod vos inaniter expenditis. *Idem in Apologia* ò vanitas vanitatum, sed non vanior quàm insanior. Fulget ecclesia in parietibus, & eget in pauperibus: suos lapides auro induit, & suos filios nudos deserit: sumptibus egenorum seruitur oculis diuitum.

Sanctus Petrus Chrysologus. O insignem paupertatis excellentiam: hæc Dei persona fit, Deus in paupere absconditur: & pauper quidem porrigit manum, Deus autem suscipit

quod

quod offertur. *Idem in sermone de diuite & Lazaro.* Obturatis auribus diuitis nihil esset vox vnius clamantis: Vnde Dominus ad aperiendum cor eius totum corpus Lazari visceribus cooperuit vt tot essent ora clamantia, quot vlcera existentia.

Idem in quodam sermone. Manus pauperis est gazophilaciũ Christi; & quicquid pauper accepit Christus acceptat. Da ergo pauperi terram vt accipias regnum: da micam vt accipias totum: da pauperi vt detur tibi: quia quicquid pauperi dederis tu habebis: quod pauperi non dederis habebit alter.

§. 4. *Eleemosina commendatur per auctoritates Philosophorum moralium.*

PHilo Hebræus sic ait. Talẽ te famulis tuis præbe, qualẽ tibi Deũ optas: audiemur enim à Deo sicut nos audimus: & aspiciemur ab ipso, vt nos aspicimus. Offeramus igitur misericordiã pro misericordia vt pro simili simile adipiscamur.

Adslon. Miseratio comes est calamitatis.

Cicero pro Ligario. Homines ad Deum nulla re propius accedunt quàm salutem hominibus dando. *Idem 1. de oratore.* Nihil est tàm regiũ tàm liberale tàmq; munificũ quã opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare periculis homines.

Democritus. Peregrinis & egentibus alimoniam ministrandam esse dicebat. Equidem quisquis indigenti victum negat; is neq; ab alio quicquam accipiet dum eguerit. *Idem dicebat.* Beneficium pro tempore exile, ingens reddi ijs qui illud in extrema necessitate acciperent.

Aristoteles cum nefario cuidam homini eleemosinam dedisset, & ob id castigaretur à quodam. Non mores, *inquit*, sed hominem commiseratus sum. Docuit vir sapientissimus etiam malis & indignis eleemosinam dandam esse in summa

re-

rerum necessitate, ne penuria suadente agant quod dedecus est coràm Deo, & hominibus.

Demosthenes dicere solebat æquum esse vt pauperes piè foueantur cum delectu tamen; ita vt dimissis improbis, illorum ratio potissimum habeatur, qui præter culpam egestate premuntur.

Ouidius. Regia (crede mihi) res est succurrere lapsis

Alter quidam Poeta *Iacobus Billius* de Eleemosinæ studio sic canit.

Qui reliquis studeant virtutibus, atq; labore.
Membra premant homines cernere mille licet.
Deficit ac miseros hac vna & maxima virtus
Qua sine nil altas obtinuisse iuuat.
Nam qui pauperie pressis se prabet acerbum
Cuncta licet teneat nil tamen ipse tenet.
O qua stultitia est: Deus emit sanguine seruos:
Mercari exiguo nos piget are Deum.

§.5. *De fructibus & bonis Eleemosina.*

E*Minentissimus Cardinalis Bellarminus aquè doctus ac sanctus in aureis suis opusculis spiritualibus, prasertim in opusculo de arte benè moriendi hos affert Eleemosina fructus.*

Primùm, *inquit*, Eleemosina liberat à morte sempiterna, siue id fiat per modum satisfactionis, siue per modum dispositionis ad gratiam, siue aliquo alio modo. Id enim manifestè docēt scripturæ diuinæ. In libro Tobiæ sic legimus. Eleemosina ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Et in eodem libro Angelus Raphael disertis verbis ait. Eleemosina à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata, & facit inuenire misericordiam & vitam æternam. Et Daniel ad Regē Nabucdonosor ait. Quamobrem Rex consilium meum placeat tibi, & peccata tua elee-

eleemosinis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum.

Secundò. Eleemosina, si fiat ab homine iusto & ex vera Charitate, meritum habet æternæ vitæ. Cuius veritatis testis erit Christus Iudex viuorum & mortuorum cum in iudicio dicet. Venite benedicti Patris mei possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi Esuriui enim & dedistis mihi manducare &c. & infrà. Quam diu fecistis vni ex his fratribus meis mihi fecistis.

Tertiò Eleemosina vim habet cuiusdam baptismi, peccata videlicet quoad culpam & pænam simul delendi dicente Ecclesiastico. Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosina resistit peccatis. Aqua enim ignem penitus extinguit itaut nec fumus quidem supersit; atque hoc ipsum Sancti Patres docent Cyprianus, Ambrosius, Chrysostomus, Leo. Nam Sanctus Cyprianus in sermone de Eleemosina sic ait. Sicut lauacro aquæ salutaris gehennæ ignis extinguitur, ita eleemosinis atque operibus iustis delictorum flamma sopitur. S. Ambrosius. Eleemosina, inquit, quodammodo aliud est lauacrum sicut ait Dominus. Date eleemosinam, & omnia munda sunt vobis nisi quod salua fide dixerimus indulgentior est eleemosina quàm lauacrum; lauacrum enim semel datur, & semel veniam pollicetur; eleemosina autem quoties feceris, toties veniam promereris. S. Ioannes Chrysostomus. Non est, inquit, peccatum, quod non possit purgare eleemosina, quodq; non possit extinguere. S. Leo sic ait: Eleemosinæ peccata delent, mortem perimunt, & pœnam perpetui ignis extinguunt. Hæc sanè magna est eleemosinæ prærogatiua, & deberet omnes homines ad amorem eleemosinæ inflammare; sed hoc non de quacunque eleemosina intelligendum esse videtur sed de illa dumtaxat, quæ ex magna contritione, ex magno Charitatis ardore procedit, qualis fuit S. Mariæ Magdalenæ, quæ lachrymis contritionis rigauit pe-

pedes Domini, & eleemosina vnguenti pretiosissimi pedes eosdem inunxit.

Quartò Eleemosina fiduciam auget apud Deum, & gaudium spirituale producit. Quamuis enim id commune sit eleemosinæ cum omni opere bono, tamen præcipuè conuenit eleemosinæ, cum per eam Deo simul & proximo gratum præstemus obsequium, & sit opus quod nō obscurè sed apertissimè dignoscitur esse bonum. Hinc est illud Tobiæ. Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosina omnibus facientibus eam. Et illud Apostoli. Vinctis compassi estis nolite itaq; amittere confidentiam vestram.

Quintò Eleemosina conciliat beneuolentiam multorum, qui pro benefactoribus Deum deprecantur; eisq; vel gratiam conuersionis, vel donum perseuerantiæ, vel incrementum gratiæ & gloriæ impetrant. Nam his omnibus modis intelligi potest verbū illud Domini. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tarnebacula.

Sextò Eleemosina dispositio est ad gratiam iustificantem. De hoc fructu loquitur Salomon in Prouerbijs vbi dicit. Eleemosinis & fide delicta purgantur. Et Dominus audita liberalitate Zacchæi dicentis. Ecce dimidium bonorū meorum do pauperibus & si quid aliquē defraudaui reddo quadruplum, ait. Hodie salus domui huic facta est. Deniq; in Actis Apostolorum legitur dictum fuisse Cornelio nondum Christiano, qui erat eleemosinarū multarum largitor. Eleemosinæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. Ex quo loco probat S. Augustinus Cornelium per eleemosinas impetrasse à Deo gratiam fidei Christianæ, & perfectæ iustificationis.

Septimò deniq; Eleemosina sępe causa est vt crescant bona temporalia, id quod affirmat Sapiens cum dicit. Fæneratur Domino qui miseretur pauperis. & rursus. qui dat pau-

peri non indigebit. Idem exemplo suo Dominus docuit cum iussit discipulis vt quinque panes & duos pisces, quos solos habebant, distribuerent turbis, & effecit vt reciperent duodecim cophinos plenos fragmentorum panum, & piscium, qui ad multos dies illis sufficere potuerunt. Tobias quoque, qui bona sua cum pauperibus liberaliter communicabat, ingentes diuitias breui consecutus est. Vidua quoq; Sarephtana, quæ modicum farinæ & olei Eliæ Prophetæ in eleemosinam tribuit, id ex beneficio Dei consecuta est vt ad longum tempus farina & oleum ei non defuerit. Exempla præterea plurima, & dignissima quæ legantur, extant apud Historicos Ecclesiasticos, præsertim apud Gregorium Turonensem lib. 5. historiæ Francorum. Apud Leontium in vita S. Ioannis Eleemosinarij. Apud Sophronium in Prato spirituali. cap. 185. & 201. Idem confirmat S. Cyprianus in serm. de Eleemosina & Sanctus Basilius in oratione ad Diuites. Vbi eleganti similitudine comparat diuitias aquis puteorum, quæ si frequenter hauriantur semper meliores, & copiosiores scaturire solent; si verò immotæ conseruentur, decrescunt atq; putrescunt.

§. 6. *Qui possint facere Eleemosinam.*

CONclusio *Diui Thomæ in 2. 2. q. 32. art. 1. est.* Quòd non omnes absolutè possunt facere Eleemosinam. Non enim possunt ij, qui sunt subditi alteri, de re secundùm quam sunt subditi. Ratio Diui Thomæ est. Quia sic se habet ordo naturalis vt inferiora secūdùm superiora regātur. Et ideò oportet quod ea, in quibus inferior superiori subijcitur, dispēset non aliter quàm ei sit à superiore permissum. Sic ergo ille, qui est sub potestate constitutus de re secundùm quam superiori subijcitur eleemosinam facere non debet nisi quatenus ei à superiore fuerit commissum. Si quis verò habeat aliquid

se-

secundùm quod potestati superioris non subsit iam secundùm hoc non est potestati subiectus, quantum ad hoc proprij iuris existens, & de hoc potest Eleemosinam facere.

Itaq; Religiosi, Filij familias, Vxores, Serui non possunt facere eleemosinam; quia sunt subditi, & sunt alteri iuris. Excipiuntur quatuor casus generales, quos adducit Toletus, in quibus possunt.

Primus casus est quando est extrema necessitas indigentis. Tunc quilibet potest, imò tenetur, etiam rem alterius dare, quo casu omnia sunt communia.

Secundus, quando est necessitas grauis. In hoc tamen casu si potest obtineri facultas dandi à superiore, tutius agetur illam petendo.

Tertiò, quando ipse superior dat commissionem subdito vt possit erogare eleemosinam.

Quartò, quando subditus animaduertit superiorem lætari & habere gratũ quòd eleemosina erogetur. Prædicti quatuor casus sunt communes omnibus, qui sunt sub aliena potestate siue sint Religiosi, siue Filij, siue Serui, siue Vxores.

Pręter dictos casus possunt Religiosi in alijs duobus, nempè .1. cum iter faciunt: tunc enim de datis in propriam sustentationem siue à superiore, siue ab alijs, possunt etiam distribuere indigentibus. Idem dicito quando sunt extrà conuentum suum in studijs vel vniuersitatibus commorantes. 2. quando cognoscunt superiorem suum gaudere de tali eleemosina; & si ipse adesset, vtiq; facturum, vel facultatem daturum. Idem dicendum quando sunt extrà monasterium suum in studijs, vel vniuersitatibus commorantes: tunc enim possunt facere eleemosinam ac si peregrinantes essent.

Quando autem Vxores, Filij familias, & serui possint etiam præter illos enumeratos casus facere eleemosinam absq; licentia suorum superiorum dicerem; nisi hoc esset extrà limites nostri instituti egredi: dirigitur enim hoc opus ad di-

sciplinam Ecclesiasticorum non laicorum. Qui talia scire optat videat Doctores præsertim summistas qui de talibus tractant.

§. 7. *Quibus Facienda sit Eleemosina.*

BReuiter & dilucidè hoc punctum tractat suo more *Toletus lib. 8. suæ summæ.* Dicit ergo.

Eleemosina est facienda indigentibus: est enim actus Misericordiæ, quæ non versatur nisi circa mala & miserias proximorum. Non solùm autem bonis sed etiam malis fidelibus & infidelibus est benefaciendum; nam misericordia nascitur ex Charitate quæ nullum excludit. Debent tamen adesse aliqua requisita in indigēte, vt ei sit erogāda eleemosina.

Primò requiritur. Vt nequeat laborare & comparare sibi victum: nam quando potest, sed otio vacat, non tenemur dare; nisi in extrema necessitate, quando iam laborare non potest: aut nisi inueniat qui ei det ad laborandum: aut nisi per laborem subeat detrimentum honoris. Sunt enim nobiles viri, & fæminæ, quibus esset magno dedecori alijs inseruire, & manibus laborare. His igitur non est deneganda eleemosina quamuis non laborent.

Secūdò requiritur. Vt talis indigens non accipiat ansam & occasionem peccandi per eleemosinam. Sunt enim qui securi de eleemosina dant operam rebus illicitis & malis; immò conuertunt ipsas eleemosinas in malum vsum: his melius est negare eleemosinam vt corrigantur. Ita habetur *à S. Augustino*. Vtilius, *inquit*, esurienti panis tollitur, si de cibo securus iustitiam negligat; quàm esurienti panis frangatur, si iniustitiæ seductus acquiescat.

Tertiò requiritur. Vt indigentia non sit in pænam v. g. per sententiam Iudicis; vt qui damnati sunt siti & fame perire; his enim non tenemur facere eleemosinam, vt dicit Diuus Tho-

Thomas: nihilominus licitum erit volenti facere; modò is non sit minister iustitiæ: ministris enim opus est exequi sententiam Iudicis. Dicit autem Soto quòd ille damnatus potest, si vult, non acceptare cibum, & permittere se mori. Caietanus verò dicit eum teneri sumere cibum oblatum, & conseruare vitam quantum potest.

Quartò requiritur. Vt indigentia non sit in bello iusto. Cum enim ciuitas hostilis est iustè obsessa, & fame cogitur se tradere, tunc non est ei ministrandus cibus; nec licet, esset enim graue peccatum. Secus autem in bello iniusto, quando aliqua ciuitas iniusta obsidione premitur tunc enim tenemur obsessis per eleemosinam succurrere quantum fieri potest.

Aduertendum est hìc posse dispensatorem Eleemosinarum alterius, sibi & suis facere de tali pecunia seu re eleemosinam, si ita indiguerit vt illi, quibus talis eleemosina eroganda est. Sed vt rectè sibi applicet debet se considerare vt tertiam personam; & quam tertio eleemosinam faceret sibi faciat.

§. 8. *Ex quo facienda sit Eleemosina, & quando.*

REgula sit. Eleemosina debet fieri de propria substantia non de aliena. Vnde non potest fieri de commodato, deposito, pignore: quia hæc sunt dominis proprijs reseruanda. Excipe casum extremæ necessitatis, quando licitum est etiam accipere rem alienam ad erogandam eleemosinam. Similiter non est facienda eleemosina de re obnoxia creditori quapropter qui multa contraxit debita, quæ vix potest suis pecunijs diluere, non potest erogare eleemosinam, & se impotentem reddere ad soluendum debita (excipe prædictum casum extremæ &c) Quod enim homo habet, antequam debita soluat, non est propriè suum, sed alienum:

id

id autem dicitur propriè ſuum, quod remanet ſibi detracto ære alieno.

Verùm quia adhuc ſubſtantia propria poteſt eſſe aut licitè, aut illicitè acquiſita: Rurſus licitè acquiſita (vel ſaltem licitè retenta vt dicetur) poteſt eſſe aut neceſſaria propriæ conſeruationi aut ſuperflua; ideò.

Notandum 1. Quoad illicitè acquiſita bona, tripliciter poſſe dici aliquid eſſe illicitè acquiſitum ex Diuo Thoma. Vno modo quando tàm ipſa acquiſitio quàm retentio eſt illicita & iniuſta vt cum aliquis acquirit per rapinam, per furtum, per vſuram, vel per alium iniuſtum contractum: & tunc res acquiſita non eſt propria ſed aliena; & non poteſt retineri, ſed debet reſtitui Domino. Alio modo quando tàm acquiſitio quàm retentio eſt quidem illicita ex parte accipientis: veruntamen non debet fieri reſtitutio ei à quo acceptum eſt, quia etiam datio eſt illicita ſicut contingit in Simonia. Tertiò quando nec acquiſitio nec retentio eſt illicita ſeu iniuſta; ſed opus, ex quo acquiritur eſt illicitum; alij dicunt, acquiſitionem illicitam, ſed retentionem licitam & iuſtam; vt accidit in lucro facto per meretricium, quod propriè vocatur turpe lucrum.

Not. 2 Quoad licitè acquiſita, aut ſaltem licitè retenta (vt in meretricio) hæc poſſe eſſe vel Neceſſaria, Vel ſuperflua. Neceſſaria item Vel ſimpliciter Aut ad vitæ propriæ, ſuæq; familiæ ſuſtẽtationem; & dicitur neceſſitas naturæ ſeu indiuidui: Aut ad decentiam ſui ſtatus; & dicitur neceſſitas perſonæ: Vel ſecundũ quid; quãdo ſcilicet homo poteſt quidem ſe, ſuam familiã, & ſtatus ſui decentiam conſeruare ſine tali re, vel pecunia; ſed difficulter & nõ commodè. Superflua ſunt quę nullo modo ſunt neceſſaria aliquo ex prædictis modis. Aduertendum tamen quod Neceſſarium, & ſuperfluum non debet attendi ſolùm reſpectu temporis & ſtatus præſentis; ſed etiã reſpectu futuri, & periculorum, quę probabiliter poſ-

possunt accidere. Sit exemplũ. In præsenti quidam habet solã vxorem aut sponsam. Pecunia, quam habet quamuis sit superflua respectu status præsentis, nõ erit tamen superflua respectu futuri; quia sperat filios & filias. Similiter. Aliquis hoc anno, quo res minus valent, habebit fortè rem familiarẽ superfluam: tamen, quia sequẽti anno res carius valebunt, & possunt etiam multa pericula euenire, illa res familiaris non erit superflua. Verum quidem est quod non sunt confingenda pericula; sed sunt consideranda ea, quæ probabiliter & iudicio prudentis viri possunt accidere.

Not. 3. Esse diuersos status in Rep. Christiana tàm Eclesciastica, quàm laicali: nec debent esse expensæ æquales in omnibus, sed in aliquibus maiores, in alijs minores secundum statum & dignitatem cuiusque.

Not. 4. triplicem esse posse indigentiam illius, cui eleemosina erogãda est nempe aut extremam, aut grauem, aut communem. Extrema dicitur cum quis est in periculo amittendæ vitæ nisi subueniatur illi. Grauis, cum imminet periculum, vel amittendi honorem & decentiam sui status; vel peccandi; vel alterius notabilis mali. ver. gr. cum mater propter indigentiam vult prostituere filias: hæc dicitur grauis necessitas. Communis dicitur quæ nec est extrema, nec multum grauis. His igitur prænotatis per aliquot conclusiones rem totam breuiter explicabimus.

Prima Concl. In extrema indigentia alicuius indigentis quilibet tenetur de præcepto illi succurrere tàm de illicite, quocunq; modo acquisitis, quàm delicitè acquisitis, & tàm de necessarijs quocunq; modo, quàm de superfluis: modò ipse aut familia non sit in eadem extrema necessitate. Excipiunt vnum casum, scilicet quando de illis duobus alter est persona publica & valdè proficua Reip. tunc dicunt potius huic quàm alteri subueniendum: omnes Doctores conueniunt in hoc, quòd ille alter priuatus potest subtrahere sibi cibum &

dare alteri: sed an teneatur de præcepto hoc facere discordant Doctores, vt videre est apud Toletum.

Secunda Concl. In graui indigentia alicuius quilibet tenetur de præcepto illi succurrere tàm de illicite acquisitis 2. & 3. modo dictis in primo notando, (non autem 1. modo quia sunt obnoxia restitutioni) quàm de licitè acquisitis etiam necessarijs secundum quid tamen ad decentiam status, non autem de necessarijs simpliciter vel ad vitæ suæ suorumque conseruationem; vel etiam ad ipsam decentiam status. In hoc etiam omnes conueniunt. Aduerte tamen prædictas necessitates extremas & graues esse intelligendas quando quis in illis reperitur absq; culpa & potestate sua. Nam si quis diceret ego me volo occidere, nisi des mihi centum aureos; & de facto vult se occidere; non ob id sunt illi dandi centum aurei; quia laborat culpa, non necessitate. Obseruandum etiam duas conditiones requiri ad constituendum peccatum mortale in hoc genere. prima vt quis certò sciat talem esse positum in extrema aut graui necessitate (Pastores animarum tenentur etiã inquirere tales indigẽtes) secũda, vt quis sciat nullum alium adesse qui succurrat. Si enim scis aliquem alium laturum opem, non peccas mortaliter si non succurras. Debes tamen certò scire futurum alium nec sufficit opinari.

Tertia Concl. In cõmuni indigentia pauperum nullus tenetur de præcepto & sub mortali facere eleemosinam etiam de superfluis. Hæc videtur esse communis opinio, de qua Toletus. Nihilominus pro certo tenendum quod negans eleemosinam pauperibus cõmuniter indigentibus absq; rationabili causa de superfluis sibi & suæ familiæ peccat saltem venialiter. Et Paulus Layman addit si diues aliquis nulla rationabili excusatione fretus omnes pauperes à se inhumaniter repellat, quod is in malo statu versari videatur tanquam nimis inordinato diuitiarum amore captus; & Dei ac proximi charitate spoliatus, de quo verificetur illud Domini verbum.

bum. Non potestis Deo seruire & mamonæ. Confessarius tamen non debet de facili absolutionem à peccatis negare huiusmodi diuiti: tum quia de obligatione hac an & qualis sit Doctores non conueniunt: tum quia moraliter vix accidit diuites non posse aliquam afferre causam cur non soleant dare eleemosinam: multi enim quāuis non dent singulis pauperibus ad se accedentibus; habent tamen propositum dandi vel suo loco & tempore alijs: vel pauperioribus: vel conuertendi superflua, si quæ habent, in alium pium vsum. Et hoc sufficit vt excusentur etiam à peccato veniali. Consilium tamen datur vt diuites largè de superfluis distribuant etiam in communibus indigentijs. Et ad hoc debent illos hortari tàm Concionatores quàm Confessarij, sicut illos hortantur passim Sancti Patres.

Firmis manentibus prædictis Conclusionibus Ecclesiastici adhuc strictius tenētur præcepto Eleemosinæ, quia de redditibus bonorum Ecclesiasticorum tenentur erogare in communes etiam pauperum indigētias quicquid illis est superfluum & superest congruæ & decenti ipsorum sustentationi. An verò teneantur ex charitate, aut ex iustitia, itaut si non erogent, teneantur ad restitutionem, videbimus capite sequenti.

§. 9. *Quo ordine facienda sit Eleemosina.*

QVamuis difficile sit, *vt ait Toletus*, ordinem vniuersalem & certum faciendi eleemosinam constituere, vt omnes Doctores fatentur; immo Diuus Thomas relinqui dicit vt plurimum prudentiæ dantis: nihilominus aliqua notitia ex sequentibus conclusionibus, quas ponit Toletus, haberi potest quarum.

Prima est. Majori seu grauiori necessitati prius est succurrendum quàm minus graui, in quacunq; persona ea sit. In

hoc omnes conueniunt. Quáuis enim consanguineis, amicis, benefactoribus, notis & alijs sit eroganda eleemosina; tamen prius indigentiori est eroganda quicunq; ille sit. Vnde si necessitas alieni est extrema, & necessitas cõsanguinei est communis aut etiam grauis, prius extraneo dãda est eleemosina. Similiter si illa est grauis, & hæc communis. Hinc sequitur quòd Personæ Ecclesiasticę, quæ volunt suos nepotes ditare: & seculares qui volũt augere suos status non possint cũ graues in Republica sunt necessitates, quibus prius satisfacere tenentur.

Secunda existente æquali necessitate, & indigentia, prius homo sibimet quàm alijs prouidere debet. In hac etiam omnes conueniunt. Non semper tamen ad id tenetur. Nam ille alter, qui est in æquali indigentia, aut est persona publica, & valdè vtilis Reipublicæ: aut est æqualis conditionis cum altero: aut est inferioris & minus vtilis Reipublicæ. Si est valdè vtilis, dicunt multi Doctores & fortè maior pars quòd tenetur iste sub peccato subtrahere sibi & dare illi personę publicæ. Si est æqualis, potest si vult subtrahere sibi & dare illi, & est consilium actusq; magnæ Charitatis; sed non tenetur de præcepto. Si autem ille est inferior & minus proficuus Reip. iste non potest illi dare sed tenetur sub peccato sibi prius prouidere.

Circa hanc Conclusionem emergunt duo dubia. Primum. An homo in extrema necessitate positus teneatur potius sibi succurrere quàm creditori suo existenti in æquali necessitate. Varij variè respondent. Fortè alicui nõ displicebit responsio Nauarri, qui dicit quòd, si res debitoris est in specie reddenda (puta quia est commodatum, aut depositum) teneatur dare creditori. Si verò non est talis res, quòd potest sibi retinere. Sed opinio Caietani, Tabienæ, Soti, & aliorum videtur magis recepta quod non teneatur dare creditori, sed quòd possit sibi retinere. Omnes tamen Doctores conueniunt

in

in hoc, quòd nulli fas sit, (etiam existenti in extrema, & etiam personæ publicæ) accipere seu suffurari ab alio in eadem necessitate existenti. Secundum dubium. An quemadmodum potest quis seipsum præferre creditori in supradicto casu: ita etiam possit præferre familiam suam? Tabiena dicit non posse, & succurrendum potius creditori. Soto verò tenet posse præferre parentes, filios, & vxores: non autem fratres & alios. Hanc sentētiam Soti approbat Toletus. Fundamentum ipsorum existimo; quia propter tantam sanguinis coniunctionem reputantur eadem persona.

Tertia. Parentibus potius quàm filijs in eadem necessitate est succurrendum. v. g. laborat pater Titij extrema necessitate, laborat insimul & filius Titij eadem necessitate; nec potest Titius ambobus succurrere: In hoc casu tenetur Titius potius succurrere patri, aut matri, quàm filio. In hoc omnes etiam conueniunt, & est doctrina Sancti Thomæ.

Quarta. In ęquali necessitate iste ordo communiter est seruandus, vt. 1. locum obtineant consanguinei: 2. hi, quorum cura nobis incumbit: 3. benefactores: 4. amici: 5. noti: 6. extranei. Hoc intellige, cæteris paribus, nam aliquando potest dari casus vt extraneus sit valdè vtilis Reip. & tunc præponendus est cæteris, etiā consanguineis: & aliquando amicus erit tàm intimus, vt pręponendus sit modico benefactori.

Quinta. In singulis ordinibus ij qui sunt meliores, aut vtiliores Reip. sunt præponendi alijs eiusdem ordinis in æquali ipsorum necessitate v. g. Inter æquales consanguineos præponendus est is, qui est melior, & studiosior; aut Reip. vtilior. Idem dicendum de ordine amicorum, benefactorum &c. Ex allatis conclusionibus potest haberi aliqua notitia ordinis erogandi eleemosinas.

§. 10. *Quomodo facienda sit Eleemosyna.*

NEcesse est primò vt eleemosinam faciamus intentione rectissima placendi Deo; non autem ad captandam auram popularem, aut ad alium prauum finem. Id enim Dominus noster disertis verbis docet cum ait. *Cum facis eleemosinam noli tuba canere: Et nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* Explicat hunc locum Sanctus Augustinus, & dicit per sinistram intelligi intentionem faciendi eleemosinã propter honorem temporalem, vel aliud quodcunq; temporale lucrum: per dexteram verò significari intentionem faciendi eleemosinam propter gloriam Dei; propter vitam æternam; propter proximi Charitatem.

Secundo facienda est Eleemosina promptè, & facilè vt non videatur extorta precibus; & si statim potest fieri, vt non differatur de die in diem. Ne dicas, inquit sapiens, vade & reuertere cras dabo tibi cum statim possis dare. Abraham amicus Dei rogat hospites vt ad se veniant non expectat vt ab eis rogetur. Quod idem fecit nepos eius Loth. Sic etiam Tobias non expectabat pauperes vt ad se venirent; sed ipse eos quærebat.

Tertiò requiritur vt eleemosina fiat hilariter non cum tristitia. In omni dato, inquit ecclesiasticus, hilarem fac vultum tuum. Et Apostolus. Non ex tristitia aut ex necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus.

Quartò necesse est vt Eleemosina fiat humiliter sic, vt intelligat dans se plus accipere, quàm dare. De qua re sic dicit *Sanctus Gregorius.* [Multum ad edomandam dantis superbiam valet si cum terrena tribuit, verba sollicitè penset cælestis magistri, qui ait. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula. Si enim eorum amicitijs æterna tabernacula acqui-

rimus

rimus dantes, proculdubio pensare debemus quia patronis potius munera offerimus, quàm egenis dona largimur.

Quintò opus est vt eleemosina fiat abundanter pro modo facultatum. Sic enim docet Tobias insignis eleemosinarius. Quomodo, inquit, potueris ita esto misericors: si multum tibi fuerit abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit etiam exiguum libenter impertiri stude. Et Apostolus docet Eleemosinam esse dandam vt benedictionem non vt auaritiam. Et *S. Ioannes Chrysostomus addit*: Non dare, sed copiose dare eleemosina est. Et in eodem sermone ait eos, qui ex audiri volunt à Deo cum dicunt (Miserere mihi Deus secundùm magnam misericordiam tuam) debere etiam misereri pauperum secundùm magnam eleemosinam suam. Verùm hoc abundanter non est intelligendum ita simpliciter vt importet solùm magnam copiam & magnam quantitatem eleemosinæ, quia si hoc modo, qui habet tenuem facultatem non posset abundanter dare, & nihilominus legimus vetulam illam Euangelicam paupercalam plus dedisse & abundantius dando minuta quàm multi diuites qui maiorem quantitatem ponebant in gazophilacium. Itaque *li abundanter* si accipiatur ex parte dantis, intelligitur proportionaliter habita ratione facultatum ipsius dantis, & magnitudine affectus qui datur: si accipiatur ex parte accipientis, intelligitur ita vt sufficiat toti necessitati indigentis. Verùm quidem est, quod dare hoc modo vni & soli pauperi non est in præcepto sed in consilio: satis enim est dare partem aliquam ad subleuandam inopiam indigẽtium præsertim cum alij simili modo eleemosinam faciunt. Immo bonum consilium datur vt eleemosina facienda regulariter non vni soli sed pluribus distribuatur. Vnde & Apostolus dicit. Si distribuero in cibos pauperum &c. Vbi Glosa dicit. Per hoc cautela eleemosinæ docetur vt non vni sed multis detur, vt pluribus prosit.

§. 11.

§. 11. *De Exemplis Ecclesiasticorum in erogandis eleemosinis insignium.*

HAbent in hoc genere Domini Ecclesiastici præstantissimos & Sanctissimos sui ordinis, quos æmulentur, viros in egentes profusissimos.

Sanctus Ioannes Alexandrinus Patriarcha cognomento Eleemosinarius, vt in eius vita auctor est Leõtius Episcopus Neapoleos in Cypro; in secunda Synodo Nicena Act. 4. commendatus. cum quintum decimum annum ageret misericordiã sibi desponsauit. Ipso suæ in Patriarcam electionis die. Non iustum, inquit, ò fratres, ante alterius cuiusquam curam habere, quam Christi, Euntes ergo per totam ciuitatem conscribite mihi ad vnum omnes dominos meos & auxiliatores (ita vocabat pauperes) Mira autem celeritate adnotati sunt suprà septem millia quingentos, quibus cum adnonam, & in singulos dies per suum procuratorem sustentationem constituisset ad templum consecrãdus perrexit. Eius institutis formatus ipsius minister Zacharias quicquid habere potuit è vestigio pauperibus dilargitus est, cuius & vox audita. Sic, sic Deus, aut tu mittendo aut ego dispergendo videbimus quis vincat. Liquet enim quoniam tu diues Domine, & vitæ nostræ miseratores. S. Ioanni singulis hebdomatibus Nosoconium bis serue inuisenti quidam peregrinus mutato semper habitu licet agnosceretur tribus viribus largissimam accepit ei obuiam factus eleemosinam sex & duodecim aureorum. Plura ibidem de Petro Telonario, de Troilo Episcopo, de S. Ioannis famulo, de Trapezita. Quicquid illi donauit Deus in pauperibus reddidit.

Sanctus Martinus Turonensis Episcopus, cum adhuc esset baptismi Candidatus, & sub Iuliano militaret continenter assistebat laborantibus, opem ferebat miseris, egentes alebat,

bat, nudos vestiebat, nihil sibi ex militiæ stipendijs præter quotidianum victum reseruans. Ambiani chlamidem suam, cum aliud ad manum non esset omnibus in materię opera expositis, cum paupere partitus, ea Christum insecuta nocte vestitum conspexit dicentemq; ad Circumstantes Angelos inaudiuit *Martinus adhuc Cathecumenus hac me veste contexit.* Ita in eius vita seuerus sulpitius. Qui etiam de eodem commemorat, quòd ad Missarum solemnia processurus ipse sibi latenter vestem detraxerit, eaq; seminudum & algentem pauperem induerit.

Doctorum Ecclesiæ antesignanus S. Augustinus in Epistola. 89. ad Hilarium quest.4. Ego, inquit, qui hæc scribo, perfectionem, de qua Dominus locutus est quando ait adolescenti. (Vade vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni & sequere me) vehementer adamaui, & non meis viribus, sed gratia ipsius adiuuante sic feci. Et ad hoc propositum quantis possum viribus alios exhortor, & in nomine Domini habeo consortes Cum his Dei seruis viuit (ait Possidonius illius discipulus, & 40. annis contubernalis Calumensis Episcopus in eius vita) Pauperum verò semper memor erat, eisq; inde erogebat, vnde & sibi suisque omnibus secum habitantibus erogabatur, hoc est ex redditibus possessionum Ecclesiæ, vel etiam ex oblationibus fidelium. nterea dum Ecclesiæ pecunia deficeret hoc ipsum populo Christiano denunciabat non se habere quod indigentibus erogaret. Nam & de vasis Dominicis propter captiuos & quamplurimos indigentes frangi & conflari iubebat, & indigentibus dispensari. Quod & ante fecit & laudauit S. Ambrosius.

S. Basilius Magnus Episcopus Cęsariensis in fame grauissima facultates suas diuendidit: frumentum comparauit, ex quo pauperes omnes etiam Iudæorum liberos aluit.

Anastasius Quartus Pontifex Maximus pauperes pauit sua pe-

pecunia, cum vniuersam propè Europam torqueret fames.

Rabanus Maurus Fuldensis Antistes, mox Archiepiscopus Moguntinus cum tanta fames Germaniam occuparet vt etiam pater filium suum deuorare vellet, multam beneuolentiam pauperibus exhibuit.

Sed quid ego hunc inanem laborem suscipio commemorandi eos qui ex Ecclesiasticis insignes fuere in erogandis eleemosinis, cũ plena sint sacrarum historiarum monumenta similium exemplorum; & vix legitur extitisse vllum probum Antistitem qui non continuò claruerit etiam in beneficiẽtia erga pauperes. Sed de probis viris & Christiana pietate excultis non magnam capio admirationem. Quod verò mirare non desino est intueri seculares immo & ipsos ethnicos in hos excelluisse.

Tullius Hostilius Romanorum Rex quot agrorum cæteri Reges in vsum suum seruabant, publicè pauperibus diuisit. Multorum regum moribus dissimilis, qui quod pauperum est sibi vsurpare consueuerunt.

Nerua Imperator ciuibus egenis vt vitam sustentarent decies & quinquagies centena millia nũmum erogauit. Idem puellas puerosq; parentibus pauperibus natos, sumptu publico per Italiæ oppida ali iussit.

Adrianus Imperator factus pueris ac puellis, quibus Traianus alimenta statuerat, incrementa dedit.

Henricus Quartus Imperator agmina pauperum sustentauit, qui cum domi, in cubilibus, in campis, in castris sequebantur: & in demortuorum locum mox alios substituebat.

CAPVT XLII.

De Distributione Redditnum Ecclesiasticorum.

QVia Ecclesiastici arctius tenentur præcepto Eleemosinæ quàm laici propter bona Ecclesiastica quæ possident

dent, quorum an sit domini vel tantum dispensatores magna est controuersia inter Doctores; ideo præter ea, quæ generaliter vidimus de Eleemosina capite superiori, videndum est modò in specie de eleemosina, quæ ab Ecclesiasticis eroganda est de redditibus bonorum Ecclesiasticorum, quæ possident, & vocantur beneficia & pensiones: ideò instituimus hoc caput de distributione redditũ Ecclesiasticorum. Circa quam materiam videndum .1. In quotuplici genere sint bona, quæ Ecclesiastici possident .2. quorum bonorum sint veri Domini. 3. An sint Domini vel solùm dispensatores redditum, quos ex bonis Ecclesiasticis habent. 4. An teneantur erogare in pauperũ eleemosinas, aliosq; pios vsus illos redditus qui supersunt congruæ seu decenti illorum sustentationi. 5. quo præcepto teneantur erogare, Charitatis ne an Iustitiæ. 6. quænam sit congrua redditum portio cuiusque Ecclesiastici. 7. An Ecclesiastici possint dare consanguineis de eo quod superest congruæ. 8. An testari possint de superfluis redditibus, qui reperiuntur tempore mortis eorum. 9. An peculium Ecclesiastici, quod reperitur tempore mortis eius, censendum sit profectum ex bonis Ecclesiæ vel aliunde quæsitum.

§. 1. In quotuplici genere sint bona ad Ecclesiasticos pertinentia.

IN triplici genere sunt bona ad Ecclesiasticos seculares pertinentia. Primum genus est bonorum, quæ ipsis obueniunt ex hæreditate, legato, donationis contractu, aut alia simili ratione, quæ sibi cum laicis communis est: & hæc bona vocantur à Doctoribus patrimonialia. 2. genus est bonorum, quæ ipsis obueniunt ex ministerio Ecclesiastico, puta ex concionibus, confessionibus, funeralibus, missis, diuinis officijs, & similibus ministerijs Ecclesiasticis, pro quibus accipiunt aliquod laboris & vitæ stipendium: & hæc vocantur bona

quasi patrimonialia. 3. genus est bonorum, quæ ipsis obueniunt ex beneficijs, vel pensionibus, & sunt fructus seu redditus beneficiorum consistentium aut in bonis immobilibus puta agris, domibus, censibus & similibus: aut in decimis, primitijs, oblationibus, canonica portione, distributionibus quotidianis: & hæc vocantur bona Ecclesiastica; seu redditus & prouentus Ecclesiastici, quia secundùm originem suam ad Ecclesiam pertinent; sed ab Ecclesia postea Clericis peculiariter deputata sunt, tanquam beneficium siue stipēdium ob spirituale ab eis præstitum officium.

§. 2. *Quorum bonorum dominium habeant Ecclesiastici.*

IN confesso est apud omnes Doctores, Ecclesiasticos habere plenum dominium bonorū patrimonalium, & quasi patrimonialium ad instar laicorum, ita ut de illis possint ad libitum disponere. *Ita Nauarrus de redditibus Ecclesiasticis,* quem sequuntur omnes. De bonis Ecclesiasticis est magna controuersia. Nihilominus quoad illam partem redditimum ex beneficijs prouenientium, quæ necessaria est congruæ ac decenti sustentationi Doctores frequentiori calculo asserūt etiam Ecclesiasticos habere huius partis dominium non minus quàm bonorum patrimonalium: adeò quidem vt si ex victu, alijsq; competentibus impendijs aliquid propria parsimonia Ecclesiasticus detrahat, de eo possit arbitratu suo disponere dando v. g. consanguineis; sicuti idem Nauarrus docet. Adde licet beneficiatus propria patrimonalia bona habeat, posse tamen, ijs in quemcunq; vsum seruatis, ex Ecclesiasticis redditibus compecētem sibi sustentationem accipere ita Layman, qui plures Doctores adducit. Probatur ex Apostolo 1. ad Cor. 9. *Quis militat suis stipendijs vnquam?* Et infrà. *Qui in Sacrario operantur quæ de sacrario sunt edunt. Et hui altari deseruiunt, cum altari participant.* Ita & Dominus ordina-

nauit ijs qui Euangelium annunciant de Euangelio viuere. Et Luc. 10. *Dignus est operarius mercede sua.* Sed Ecclesiasticus beneficiatus quamuis patrimonium habeat, operarius tamen est & Ecclesiæ seruit si officium suum præstet; Ergo ex iustitia debetur ei stipendium. Tota igitur difficultas est de redditibus beneficiorum vel pensionum, qui supersunt congruæ, an horum etiam dominium spectet ad Ecclesiasticos beneficiatos, de qua re §. sequenti.

§. 3. *An Ecclesiastici sint domini redditnum Ecclesiasticorum præsertim illorum, qui supersunt congruæ sustentationi.*

HOc punctum valdè est controuersum. Et Barbosa refert tres opiniones.

Prima celebris tenet Ecclesiasticos non esse dominos, sed solūmodo dispensatores; ita vt illi redditus non sint proprij; sed communes sibi & pauperibus erogandi; vel si supersint, in vtilitatem Ecclesiæ conuertendi, quod si aliter fecerint, furtum committunt & sacrilegium; & ad restitutionem teneantur. Huius sententiæ auctor fuit Archidiaconus cum multis alijs, præsertim Nauarro, qui nimis acriter in hac materia loquitur. Fundamentum huius sententiæ est; quia bona Ecclesiastica fuerunt Ecclesijs donata pia fidelium deuotione ad ministrorum & pauperum congruam sustentationem; ergo ipsi ministri saltem eorum, quæ superant congruam sustentationem, dominium habere non possunt.

Secunda sententia etiam celebris tenet contrarium, nempe quod Ecclesiastici sint domini etiā redditnum qui supersunt congruæ. Hæc sententia à Barbosa tribuitur Diuo Thomæ, quem sequitur ipse cum innumeris alijs. Hanc adstruit Laymam hac argumentatione. Beneficiati, inquit, acquirunt dominium redditnum, qui ad ipsorum congruam sustentationem requiruntur; ergo etiam acquirunt domi-

 nium

nium superfluorum. Antecedens admittitur communiter, & meritò; quia Ecclesiastici seculares sunt capaces domini j rerum, cum paupertatem non voueant, & Ecclesia, quæ annuos ipsis redditus largitur, nō reddit eos incapaces. Consequentia probatur; quia cum ipsi beneficiati promiscuè excipiant reditus omnes suorum beneficiorum, dici non potest aliquorum dominium eos acquirere, & aliquorum non acquirere; neq; assignari potest in indiuiduo pars, cuius sint domini, & pars cuius non sint Domini: ergò habent dominium omnium redituum etiam illorum qui congruæ superfluunt.

Tertia sententia est illorum, qui mediam quodammodo tenent viam; & faciunt Ecclesiasticos beneficiatos aliquādo solummodò vsuarios; aliquādo tàm in vita quàm in morte vsufructuarios. *Ita Glos. 2. in cap. quia nos. 3. de testam.* Et alij Doctores relati à Barbosa.

Ad videndum quænam ex præfatis sententijs sit probabilior, consideranda sunt cum Barbosa quinq; tempora, quibus bona Ecclesiastica sunt Ecclesijs data.

Primum tempus fuit quando neq; Ecclesia, neq; Christiani siue Clerici siue laici nec in communi nec in particulari bona propria possidebant, sed euangelicam perfectionem imitantes, omnia sibi oblata vendebant; pretiumq; ad Apostolorum pedes ponebant vt suis & cæterorum indigentium necessitatibus subuenirent; & diuidebatur singulis prout cuiq; opus erat; vt habetur in Actis Apostolorum.

Secundū tēpus fuit, quādo (cùm numerus fideliumsūmopere excresceret, & ideò commodè, nec in communi vitam agere, nec ad victum aut vestitum necessaria eisdem suppeditari possent) laici Christiani cæperunt bona propria ex commissione retinere: Clerici verò & Ecclesiæ adhuc communem vitam agebant, nihil proprium habentes in particulari: prædia tamen illo tempore à fidelibus donata, vel alias quæsita materialibus Ecclesijs tradebantur, quibus Episco-

pi

pi præsidebant vt ex illorum reditibus, decimis, & oblationibus, alijsq; eleemosinis Clerici communem vitam ducentes sustentarentur.

Tertium tempus fuit, quando Clericis ægrè ferentibus carere rebus proprijs fuit approbatiue permissum vt parentum patrimonia, vel bona aliunde quæsita habere possent; ita tamen vt proprium habentes nihil caperent de bonis deputatis ad pauperum & laicorum sustentationem.

Quartum tempus fuit quando Parochiæ sunt diuisæ, singulæque singulis Presbyteris assignatæ, bonaque Ecclesiarum quoad reditus in quatuor partes distributa; Vna Episcopo, altera Parocho, tertia fabricæ, quarta hospitibus, peregrinis, & pauperibus. Executio autem seu applicatio huius diuisionis per Episcopum fieri solebat.

Quintum tempus est hodiernum, quando bona Ecclesiarum iam sunt distributa & applicata, ita vt Episcopi iam habeant sua bona separata, similiter Capitula Cathedraliũ, Collegiatarum, Rectores Ecclesiarum, cæteriq; beneficiati: immo aliquibus in locis etiam fabrica Ecclesiæ habet suos reditus separatos, quæ fabrica habet etiam onus circa ornamenta necessaria, vestes sacras, vasa, & alia id genus: alijs in locis Rectores Ecclesiarum habent prædicta onera.

Posita igitur præfata diuisione temporum liquidò sequitur secundam sententiam esse probabiliorem attento tempore hodierno quando singulis ministris Ecclesiasticis sua portio constituta & assignata est; non ergo dispensatores sed veri domini: prima autem sententia quæ facit illos solùm dispensatores procedit attẽto tẽpore antiquo ante factam diuisionem. Non obstat fundamentum dictæ primæ sententiæ; quia procedit secundum tempus antiquum ante factam assignationem suæ cuiq; portionis, Episcopo, Beneficatis, fabricæ, & Pauperibus. Vnde sicut Episcopus & fabrica acquirit dominium reddituum qui obueniũt ex portione ipsis assigna-

nium superfluorum. Antecedens admittitur communiter, & meritò; quia Ecclesiastici seculares sunt capaces dominij rerum, cum paupertatem non voueant, & Ecclesia, quæ annuos ipsis redditus largitur, nō reddit eos incapaces. Consequentia probatur; quia cum ipsi beneficiati promiscuè excipiant reditus omnes suorum beneficiorum, dici non potest aliquorum dominium eos acquirere, & aliquorum non acquirere; neq; assignari potest in indiuiduo pars, cuius sint domini, & pars cuius non sint Domini: ergò habent dominium omnium redituum etiam illorum qui congruæ superfluunt.

Tertia sententia est illorum, qui mediam quodammodo tenent viam; & faciunt Ecclesiasticos beneficiatos aliquādo solummodò vsuarios; aliquādo tàm in vita quàm in morte vsufructuarios. *Ita Glos. 2. in cap. quia nos. 3. de testam.* Et alij Doctores relati à Barbosa.

Ad videndum quænam ex præfatis sententijs sit probabilior, consideranda sunt cum Barbosa quinq; tempora, quibus bona Ecclesiastica sunt Ecclesijs data.

Primum tempus fuit quando neq; Ecclesia; neq; Christiani siue Clerici siue laici nec in communi nec in particulari bona propria possidebant; sed euangelicam perfectionem imitantes, omnia sibi oblata vendebant; pretiumq; ad Apostolorum pedes ponebant vt suis & cæterorum indigentium necessitatibus subuenirent; & diuidebatur singulis prout cuiq; opus erat; vt habetur in Actis Apostolorum.

Secundū tēpus fuit, quādo (cùm numerus fideliumsūmopere excresceret, & ideò commodè, nec in communi vitam agere, nec ad victum aut vestitum necessaria eisdem suppeditari possent) laici Christiani cæperunt bona propria ex commissione retinere: Clerici verò & Ecclesiæ adhuc communem vitam agebant, nihil proprium habentes in particulari: prædia tamen illo tempore à fidelibus donata, vel alias quæsita materialibus Ecclesijs tradebantur, quibus Episco-

pi

pi præsidebant vt ex illorum reditibus, decimis, & oblationibus, alijsq; eleemosinis Clerici communem vitam ducentes sustentarentur.

Tertium tempus fuit, quando Clericis ægrè ferentibus carere rebus proprijs fuit approbatiue permissum vt parentum patrimonia, vel bona aliunde quæsita habere possent; ita tamen vt proprium habentes nihil caperent de bonis deputatis ad pauperum & laicorum sustentationem.

Quartum tempus fuit quando Parochiæ sunt diuisæ, singulæque singulis Presbyteris assignatæ, bonaque Ecclesiarum quoad reditus in quatuor partes distributa; Vna Episcopo, altera Parocho, tertia fabricæ, quarta hospitibus, peregrinis, & pauperibus. Executio autem seu applicatio huius diuisionis per Episcopum fieri solebat.

Quintum tempus est hodiernum, quando bona Ecclesiarum iam sunt distributa & applicata, ita vt Episcopi iam habeant sua bona separata, similiter Capitula Cathedraliū, Collegiatarum, Rectores Ecclesiarum, cæteriq; beneficiati: immo aliquibus in locis etiam fabrica Ecclesiæ habet suos reditus separatos, quæ fabrica habet etiam onus circa ornamenta necessaria, vestes sacras, vasa, & alia id genus: alijs in locis Rectores Ecclesiarum habent prædicta onera.

Posita igitur præfata diuisione temporum liquidò sequitur secundam sententiam esse probabiliorem attento tempore hodierno quando singulis ministris Ecclesiasticis sua portio constituta & assignata est; non ergo dispensatores sed veri domini: prima autem sententia quæ facit illos solùm dispensatores procedit attēto tēpore antiquo ante factam diuisionem. Non obstat fundamentum dictæ primæ sententiæ; quia procedit secundum tempus antiquum ante factam assignationem suæ cuiq; portionis, Episcopo, Beneficatis, fabricæ, & Pauperibus. Vnde sicut Episcopus & fabrica acquirit dominium reddituum qui obueniūt ex portione ipsis assigna-

signata; ita etiam Beneficiati Ecclesiastici. Et nihilominus adhuc tempore præsenti adimpletur pia fidelium voluntas donantium bona Ecclesiastica ad ministrorum, pauperumq; sustentationem; quia quilibet habet portionem sibi assignatam dictorum bonorum.

§. 4. An Ecclesiastici beneficiati teneantur in pauperum Eleemosinas aliosq; pios vsus erogare illam portionem, quæ excedit congruam.

Videretur prima facie respondendum quod nõ teneantur; quia vt dictum est sunt domini; quilibet autem dominus alicuius rei potest de illa disponere ad libitum etiã in prophanos vsus absq; eo, quod faciat alicui iniuriam. Nihilominus dicẽdum teneri Ecclesiasticos expendere in pauperum eleemosinas & pios vsus quicquid illis superest congruæ ac decenti suæ, familiæq; sustẽtationi. Et ratio est quia habent de bonis Ecclesiasticis dominium quodammodo restrictum & limitatum; fuerunt enim illis assignata dicta bona cum hac tacita conditione vt detracto eo quod ad suam congruam sustentationem requiritur, reliquum in pios vsus expendant. Neq; id videatur alicui nouũ: quia duobus modis potest aliquis acquirere dominium alicuius rei, scilicet vel liberè: vel limitatè cum adiectione pacti seu oneris; vt patet in fideicõmisso, in legato, in donato, sub modo & grauamine. Exemplum est. Si quis det Titio centum aureos nomine viatici ad peregrinationem, ea tamen conditione & pacto vt quod ipsi superfuerit pauperibus erogare debeat. In tali casu acquirit quidem Titius dominium centum aureorum sed restrictè & limitatè. Ita in proposito. Igitur non sequitur Beneficiati habent dominium redituum superfluorum; ergo illos possunt expendere ad libitum etiam in vsus prophanos; quia habent tale dominium restrictum cum onere expendendi quod superest in vsus pios, pauperumq; eleemosinas.

§. 5.

§. 5. Quo præcepto teneantur Ecclesiastici erogare quod sibi superest, præcepto ne Iustitiæ, an solius Charitatis.

HOc etiam non modicè est controuersum apud Doctores. Omnes videntur in hoc conuenire quod Ecclesiasticus, qui in prophanos vsus expendit quod sibi superest, peccet; & quidem grauiter pro quantitate & qualitate impensarum, & si omnino omittat erogare in pauperes aut pios vsus. Sed an peccet contra Iustitiam ita ut teneatur ad restitutionem; an verò solùm contra Charitatem, non liquet. Barbosa ait peccare solum contra Charitatem. Layman verò cum alijs peccare contra Iustitiam. & certè loquitur consequenter; quia si Ecclesiastici habent dominium bonorum Ecclesiasticorum restrictum & cum illo onere; ergo non adimplendo pactum, vel conditionem, vel onus appositum dicto dominio peccant contra iustitiam, & tenentur ad restitutionem; sicut peccaret contra iustitiam legatarius, qui accipiendo legatum non adimpleret onus legato iniunctum: & peccaret contra iustitiam Titius non dispensando pauperibus quod sibi superest de viatico centum aureorum sibi donato. Nihilominus in praxi hæc opinio non videtur recepta: nunquam enim Ecclesia coegit Clericos turpiter expendentes suos reditus ad faciendam pauperibus restitutionem.

§. 6. Quænam sit congrua portio cuiusq; Ecclesiastici.

NOmine congruæ intelligimus reditus illos qui necessarij sunt Ecclesiastico ad honestam, & decentem vitæ sustentationem. Cæterum ad hanc honestam & decentem vitæ sustentationem pertinent in primis ea, quæ requiruntur ad alendum ipsum Ecclesiasticum, eiusq; familiam, quam conuenienter suo statui habet, deinde ad hospitalitatē exer-

cendam erga consanguineos, amicos, peregrinos: tum verò ad præstandas donationes remuneratorias beneficiorum, imò interdum & liberales, non tamen prodigas: denique ad alias honestas & statui conuenientes animi ac corporis relaxationes. Quæ autem quantitas redituum sit necessaria ad prædicta omnia perficienda non potest ita ad amussim designari, & certò definiri nam in aliquibus erit maior aut minor: & debet æstimari tam ex personæ, & officij dignitate: tum ex redituum amplitudine & copia: tum ex ipsius Ecclesiastici meritis, ac laboribus, quos Ecclesiæ vtiliter præstat doctrina, consilio, scriptione: Eiusmodi enim Persona plus quàm alij eiusdem ordinis ac status, sed minus Ecclesiæ vtiles, ad sustentationem suam ex reditibus Ecclesiasticis accipere potest sumpto argumento ex verbis Apost. 1. ad Timot. 5. *qui benè præsunt Presbyteri duplici honore* (i. munerum largitione vti S. Hieron. in cap. 15. Matth. interpretatur) *digni habeantur maximè qui laborant in verbo & doctrina*. Ex prædictis igitur omnibus arbitrio boni, docti & prudentis viri debet pensari quantitas congrua cuiusque Ecclesiastici ita *Layman in Theolog. Mor. lib. 4. tract. 2. cap. 3. nu. 2.*

Barbosa de Iure Ecclesiastico lib. 3. cap. 17. nu. 20. in assignanda hac congrua quantitate dat hanc regulam ex Nauarro & Azorio, vt videlicet pro beneficiato infimæ sortis ea quantitas sufficiat, qua ipse, famulus vnus, coquus, & equus ali possint. Pro beneficiato Doctore aut simili, ea quantitas sit, qua ipse, famuli duo, coquus, & equus iuxtà patriæ morem sustentari queant. Pro beneficiato nobiliori ea quantitas assignetur, qua ipse, famuli tres, vel quatuor, equi duo cum curru, coquo, & rhedario ali possint, & sic de cæteris habita ratione qualitatis personæ, aliarumq; circumstantiarum de quibus supra. Cardinalibus verò aliqui Doctores mille aureos in singulos menses sufficere arbitrantur exceptis Cardinalibus Principibus, & Nepotibus summorum Pontificum, à qui-

à quibus mille aureos singulis hebdomadis ad sui & familiæ sustentationem tuta conscientia insumi posse nonnulli Doctores existimant. Sed tandem ipse Barbosa standum esse censet arbitrio boni & prudẽtis viri. Et Layman monet longè consultius atq; securius esse ipsis beneficiatis facultatem hanc insumendorum redituum restringere potius quàm laxare; quia reuera Concilia, Canones, & Sancti Patres valdè strictè loquuntur in hac materia.

§. 7. *An Ecclesiastici beneficiati possint dare consanguineis de eo, quod superest congrua.*

Breuiter distinguendum cum Layman loco citato. Aut Consanguinei sunt diuites; aut sunt pauperes considerato statu suo, quem honestè sustentare non possunt. Si diuites, non potest beneficiatus ex sibi superfluis dare consanguineis, quia tenetur dare pauperibus, & expendere in pios vsus: potest quidem detrahere de congrua viuendo parcè, & de hoc dare illis; quia vt dictum est suprà, de hac portione habet plenum dominium. Si verò sunt pauperes, potest etiam de superfluis dare illis non quidem tanquam consanguineis sed tanquam cæteris pauperibus. Et potest etiam, immo tenetur ex bonis Ecclesiasticis alere liberos suos non solùm legitimè natos; sed etiam illegitimos & spurios; & consequenter dare dotem competentem filiæ, quia dos succedit loco alimentorum. Cæterum si filij habeant bona propria sufficientia v. g. aduentitia à matre; itaut non sint indigentes; vel si Pater propria bona patrimonialia possideat, tunc non conceditur beneficiato ex bonis Ecclesiasticis dare liberis dotem & alimenta; nisi ipsi liberi sint in obsequio vel in familia ipsius beneficiati, quam alit conuenienter suo statui. *Ita Laym. loc. cit. nu.* 4. Immo potest etiam (si patrimonialia non sunt satis) dare de eo, quod superest congruæ, filio

vt illum alere possit in studijs: item fratri, nepoti, aut alteri consanguineo, cuius Pater non est satis idoneus ad sumptus ei ministrandos.

§. 8. *An Ecclesiastici beneficiati testari possint de redditibus suorum beneficiorum, & fructibus qui extant tempore mortis.*

NOn possunt; neq; ad pias causas vt videre est *in cap. 1. cap. quia nos. cap. relatum 2. de testam. & in auth. licentiam C. de Episc. & Cleric.* Ratio est. Quia reditus Ecclesiastici superflui debentur Ecclesiæ, ex qua profecti sunt. Quamuis enim Ecclesia potestatem tribuat beneficiatis erogādi redditus Ecclesiasticos in pias causas dum in viuis sunt, non tamen disponendi de illis in tempus post mortem eorum. Vnde omne ius Beneficiati in bonis Ecclesiasticis finitur ipsius morte; & redditus qui supersunt, redeunt vel ad Ecclesiam, si is qui moritur erat ex Congregatione seu Collegio Clericorum puta Canonicus: vel ad successorem si erat Parochus, aut similis Beneficiatus, *cap. relatio de testamen.* In quibusdam locis bona deuoluuntur ad Episcopum: Vel applicantur Cameræ Apostolicæ tanquam spolia, vbi adest talis consuetudo, de qua re *Molina disp.* 174. Et sanè optimo consilio ita decretum fuit vt Beneficiati promptiores essent ad erogandum in pias causas bona quæ ipsis supersunt scientes nullam facultatem sibi esse de illis post mortem disponendi.

Excipiēda sunt tamen minutiora quædam, quæ in signum grati animi & in locum remunerationis relinquere testamento, vel mortis causa donatione dare possunt famulis pro seruitijs præstitis. Dico (minutiora) quia maiora dona etiam remuneratoria beneficiorum non possunt per dispositionem vltimæ voluntatis relinqui. Si tamen verè debita sint, itaut nisi ea munera præstentur non solum vitium ingratitudinis in-

incurratur, sed etiam actio negotiorum gestorum vel alia similis possit contra defunctum seu successores intentari; quia illa obsequia non merè gratis exhibita censebantur: tunc successores Beneficiati soluere debent. *Layman.loc.cit.*

De bonis patrimonialibus, & quasi patrimonialibus; nec non de bonis per parsimoniã detractis ex cõgrua possunt disponere pro suo arbitratu. Verum quidem est, quod si intestati decedant & nullum habeant consanguineum; in dictis bonis succedit Ecclesia, vel potius applicantur beneficio, cui obligati erant; vel aliter prout locorum consuetudo se habet, sicuti constat *ex cap.1.vbi Abbas n.3.de success.ab intest. Layman. loc.cit.*

§.9. An peculium Ecclesiastici, quod reperitur tempore mortis eius, & ignoratur quale est, censendum sit profectitium ex bonis Ecclesiæ, vel aliunde quæsitum.


RESpondeo præsumendum esse profectum ex bonis Ecclesiæ ita ut ad hæredes defuncti nõ transeat *cap. quicũque in fin.12.q.3.* Barbosa qui multos auctores citat loc. cit.n. 38. Hac de Causa ad tollendas ambiguitates Sacri Canones statuerunt *in cap.manifesta cum seqq. 12.q.1.* vt manifesta esse debeant quæ ad Ecclesiam pertinent, & quæ ad beneficiatum cuiuscunque sit dignitatis: ac propterea si Clericus vel Prælatus de bonis Ecclesiæ alia bona præsertim immobilia acquisierit debet eius rei scriptum nomine Ecclesiæ conficere non autem proprijs vsibus deputare *cap. 1. & fin. 12.q.4.*

Esset hic locus quærendi ad quem pertineant fructus pẽdentes mortis beneficiati tempore, ad hæredes ne illius, vel ad successorem in beneficio, vel ad creditores? sed remitto ad Auctores qui de hoc tractant scilicet ad Layman loc. cit, & alios. Breuiter solum dico esse valdè probabilem senten-

tiam illorum qui dicunt diuidendos esse inter hæredes Beneficiati, aut Pensionarij mortui, & inter successorem in beneficio pro rata parte anni; & est sententia valdè consona æquitati, multisq; Diæcesibus recepta. Eam tradit *Layman loc. cit. nu. 10. quam tribuit Couaruuia, Molina, alijsq.* Argumentum sumit *ex l. diuortio. ff. sol. matrim.* vbi hoc idem statuitur de marito, soluto matrimonio, lucrante pendentes fructus in fundo dotali habita ratione temporis præcedentis, quo mulier in matrimonio fuit.

CAPVT IX.
De Prædicatione Verbi Dei.

APostolus noster. 2. ad Thimotheum. 4. sic ait. *Testificor coràm Deo, & Christo Iesu, qui iudicaturus est viuos & mortuos per aduentum ipsius & regnum eius prædica verbum insta oportunè importunè &c.* Quibus verbis perspicuum planè fit, Verbi Dei prædicationem munus esse præcipuum Ecclesiasticorum, idemq; maximè necessarium. Quapropter breuitate & claritate solita procedentes videbimus. 1. Quibus Personis Ecclesiasticis Verbi Dei prædicandi munus præcipuè incumbat. 2. de Vitæ probitate in Concionatore requisita. 3. de scientia pariter in illo requisita. 4. de præparatione generali ad huiusmodi munus salubriter exequendum. 5. de Vitæ ratione tenenda in loco vbi concionator hoc munus actualiter exercebit. 6. de præparatione adhibenda ad singulas conciones. 7. de materia concionum. 8. de forma concionis componendæ. 9. de forma concionis recitandæ.



§. 1. *De Personis Ecclesiasticis, quibus præcipuè Verbi Dei prædicandi munus incumbit.*

TRiplex Personarum Ecclesiasticarum genus reperitur, quibus Verbi Dei prædicandi munus incumbit, vt colligitur ex *Actis Ecclesiæ Mediolanensis par. 4. tit. instructiones prædicationis Verbi Dei.* Et sunt. 1. Episcopi. 2. Parochi. 3. Regulares.

Quod attinet igitur ad Episcopos. Ita præscribitur in *Conc. Trid. sess. 24. cap. 4. de Reform.* [Prædicationis, *inquit*, munus quod Episcoporum præcipuum est cupiens Sancta Synodus quo frequentius possit ad fidelium salutem exerceri canones aliàs super hoc editos à fel. rec. Paulo. 3. aptius præsentium temporum vsui accomodando mandat vt in Ecclesia sua ipsi per se, aut si legitimè impediti fuerint per eos, quos ad prædicationis munus assument: in alijs autem Ecclesijs per Parochos, siue ijs impeditis per alios ab episcopo impensis eorum, qui eas præstare vel tenentur vel solent deputandos in ciuitate, aut in quacumq; parte diæcesis censebunt expedire &c.] Ecce quomodo per Concilium clarè testatum relinquitur hoc munus esse Episcoporũ præcipuum. Et quamuis Episcopus assiduis officij sui pastoralis laboribus, curisq; occupatissimus, sæpè ad omnem populum sibi commissum concionem habere non possit: tamen veterem illam atq;adeò ab Apostolicis vsq; temporibus deriuatã rationem saltem adhibeat, qua Diæcesis suæ populis à se distantibus per literas pastorales aliquando concionetur. Hanc enim Verbi Dei disseminandi viam non modò Sanctus Paulus Apostolus tenuit; sed etiam cæteri Apostoli, qui per Epistolas absentibus prædicarunt. Idem ab antiquis sanctissimisq; Patribus factitatum esse constat: quorum animi eo charitatis amore flagrarunt vt alij in exilium pulsi,

alij

alij in custodiam detrusi, vel alia ratione à grege commisso procul remoti, absentesuè, cum coràm non possent, epistolarum pastoralium. scriptione vterentur ad concionandum. Atq; hoc quidem concionis genere Episcopus cum sępe vtetur, tum maximè quo tempore solemnes anniuersariæ mysteriorum nostræ redemptionis celebritates aguntur.

Parochi præterea, animarumuè Curatores muneris sui non immemores eam præcipuam prædicationis Verbi Dei curam sibi quoq; impositam exercere studebunt, vt illis præscribit *idem sac. Conc. Trid. illis verbis.* In alijs autem Ecclesijs per Parochos. *Et paulò infrà.* [Moneat Episcopus populũ diligente, teneri vnumquemq; parochiæ suæ interesse, vbi commodè id fieri potest, ad audiendum Verbum Dei.] Quibus verbis satis datur intelligi Parochos teneri hoc munus præstare eo meliori modo quo Deus illis dederit: nec mirum, sunt enim vocati in partem sollicitudinis pastoralis tanquã fideles operarij, vt episcopos opera sua coadiuuent.

Regulares etiam tanquam Episcoporum, ac Parochorum coadiutores in hoc munere vicariam opem laudabiliter nauant: ea tamen adhibita moderatione vt quamuis ab illis, qui eorum curæ præsunt concionandi facultatem habeant, in suis Ecclesijs non concionentur nisi petita prius benedictionæ ab episcopo vt per *Conc. Trid. sancitum est sess. 5. cap. 2. de reform. his verbis.* [Regulares verò cuiuscunq; ordinis nisi à suis superioribus de vita, moribus, & scientia examinati & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Ecclesijs suorum ordinum prædicare non possint: cum qua licentia personaliter se coràm Episcopis præsentare & ab eis benedictionem petere teneãtur antequã prædicare incipiant] *Ita Trid.* Etsi fortè Episcopus aliqua iusta de causa renuat: hoc præstare illo contradicente nequaquam audebunt. Sic enim *idem Conc. statuit sess. 24. cap. 24.* [Nullus autem secularis siue regularis etiam in Ecclesijs suorum ordinum contradicen-

cen-

cente Episcopo prædicare præsumat. *Ita Conc.* In Ecclesijs quæ ordinis sui non sunt, nullo modo nisi scripta facultate ab Episcopo concessa.] *Sic idem Conc. a. sess. 5. cap. 2.* [In ecclesijs verò, *inquit*, qui suorum ordinum non sunt, vltrà licentiam suorum superiorum etiam Episcopi licentiam habere teneantur, sine qua in ipsis Ecclesijs non suorum ordinum nullo modo prædicare possint. ipsam autem licentiam gratis Episcopi concedant.]

Præter tria dicta Personarum genera non debent Episcopi munus hoc alijs de facili demãdare, præsertim ijs qui Sacerdotes non sunt. Si quãdo verò ob iustam aut necessariam causam Diacono permittit, habebit rationem nõ solùm doctrinæ & morum disciplinæ (quæ duæ res, vt dicemus, in concionatore requiruntur) sed etiam ætatis, quæ solida & confirmata spectari in eo debet iudicio Sanctissimi Pontificis Gregorij Magni. Nullo autem modo concionandi potestatem faciat ei qui Diaconus non sit: neque item in docto, vel inepto, vel vitioso, vel vitij criminisue infamia notato, neq; secularibus negotijs implicito. Qua in re habenda etiam ratio Corporis. Ideò cui concionandi munus committitur non erit is turpiter distortus, vel aliqua corporis parte vsq; adeò deformis itaut indecore ac non sine aliqua populi offensione ille præstiturus sit tam graue prædicationis ministerium. Solent enim in concionatore quædam Corporis deformitates, præsertim si sint perinsignes, tum offensionem tum risum afferre. *Ita ex actis Ecclesiæ Mediolanensis loc. cit.*

§. 2. *De Vitæ probitate in Concionatore requisita.*

ILlud maximè sibi persuadebit qui concionandi munus suscipit, se (nisi rectè & euãgelij, quod prędicat, legibus cõgruenter vixerit) non magnam in audientium animis vim impressurum. Quemadmodum enim in arca testamenti duo illi Cherubim ita collocati erant vt semper mutuò se aspicerent: ita

ita vita concionatoris doctrinæ ex altera parte respondere debet vsque adeò vt & vitam doctrina collustret, & doctrinam rursus vita corroboret, viresq; eidem perpetuò addet. Nam de abstinentia, ieiunio, lachrymis, oratione, eleemosina, patientia, alijsq; Christianis virtutibus cum concionatur magnum certè pondus maximumq; momentum apud auditores habebit, si in omni eius vita virtus eluceat, cuius præcepta concionando tradit.

Erit igitur Concionator singulari vitæ innocentia, moribus sanctissimis, & diuinis virtutibus instructus. Dei nempe timore, terrenarum rerum despicientia, animarum salutis zelo, humilitate, mansuetudine, patientia, charitate, cæterisq; religiosæ disciplinæ ornamentis benè munitus. Quo de genere toto audiat sanctissimum ac sapientissimum virum *Ioannem Chrysostomum ita monentem.* [Doctor, *inquit*, concionatorue omnibus debet virtutibus esse excultus. Debet enim pauper spiritu esse, vt auaritiæ studium, atq; omnem quæstus cupiditatem liberè repræhendat. Debet perpetuò & sua & aliena peccata lugere, vt eos exagitet qui anteaquam peccant peccare non verentur; & vbi peccauerint dolorem non concipiunt scelerum quæ admiserint. Debent esurire & sitire iustitiam, vt operum bonorum studio languescentes excitet verbo Dei & exemplo suo accendat. Debet esse mansuetus, & ametur potius quam timeatur. Debet esse misericors erga alios & seueritatem sibi adhibere. Debet esse mundo corde vt ne cogitationes quidem inanes & inutiles hujus seculi suscipiat, nedum secularis negotijs se implicet. Debet esse pacificus vt populus quē docet sollicitus sit seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Debet esse paratus ad omnes res vel difficillimas pro gloria Dei, proq; Ecclesia ferendas non inani quodam animi impetu sed solida veraq; constantia digna martyribus.] *Hæc Chrysostomus.*

Neq; sanè solùm his Chrysostomi monitis se confirmabit;

sed

sed illud potissimũ perfectæ vitæ genus sequetur, quod Magnus ille Gregorius Pontifex Sanctissimus, idemq; sapientissimus præscribit, qui cum sæpe concionatorem informat; tum verò & *in libro pastorali & in moralibus præsertim lib. 30. cap. 21. & lib. 6. cap. 25.* alijsq; præterea locis, quibus perspicuum fit qui verbi diuini ministerium suscipit talem esse debere qualem se fuisse Sanctus Paulus Apostolus ostendit his verbis. *Mihi mundus Crucifixus est & ego mundo.*

§. 3. *De scientia in Concionatore requisita.*

QVamuis omnia, quæ in Ecclesia Catholica habentur ministeria pro ingenij nostri tarditate, difficilia nobis se præbeant: prædicationis tamen verbi Dei munus sicut vtillimum & præstantissimum est: ita cæterorum omnium difficillimum existit si pro rei dignitate & animarum fructu illud exercere desiderat. Tàm multa enim & supernaturalia, & naturalia, & acquisita requiruntur, vt vix aliquis reperiatur, qui omnia perfectè possideat. Supernaturalia enim sunt gratiæ diuinæ, & superni spiritus infusio; zelus salutis animarum, & virtutes cælestiales. In naturalibus computamus vires corporis, formæ elegantiam, laterum firmitatem, sonoritatem vocis, suauitatem oris, acumen ingenij, memoriæ tenacitatem, linguæ promptitudinem & similia, quæ non in mechanicis platearum officinis emuntur; sed ab ipsa natura in ipso vitæ exordio comparantur. Ad acquisita reducimus scientiarum peculium, quod nobis studio & labore conquirimus. Et de his erit nobis sermo in hoc loco; nam de supernaturalibus & naturalibus non est opus disserere; non enim cadunt sub arte, nec possumus de illis dare præcepta.

Tria igitur obseruanda sunt (*quæ adnotauit Aresius in sua arte concionandi lib. 4. cap. 27.*) ad scientiam concionatori ne-

cessariam plenissimè comparandam : videlicet .1. Selectus librorum, quibus concionator studere debet .2. Modus ipse studendi. 3. Fructus studiorum seu modus conseruandi quicquid vtilitatis & fructus ex libris perceptus est. Quemadmodum diligens agricola ad excolendos fructuosè agros; primùm excogitat quem fundum excolere debeat: secundò quam rationem excolendi tenere debeat: tertiò quo pacto fructus percipere debeat, perceptosq; asseruet.

Quantum ad Primum de libris ad duo Capita reuocari possunt omnes & singuli Concionatorum libri.

Primum Caput compræhendit eos omnes, quos concionator antequam munus concionandi aggrediatur, perlustrasse necesse habet. Sunt autem ij, qui agunt de concionandi arte. Qui tradunt regulas rectè, emendatè, & ornatè dicendi. Qui præbent materiam vniuersim necessariam omnibus concionibus, quales sunt vt plurimũ sibi Sacræ Theologiæ. Hos omnes vidisse opus habet concionator; & satis erit deinde aliquando illos percurrere ad memoriam excitandam prout opus fuerit.

Secundum Caput complectitur eos libros, quibus Concionatores vti solent quando actu munus concionandi exercent. Sunt autem ij qui materias peculiares exhibent pro concionibus vtpote conceptus (vt dicunt) rationes, exempla, similitudines, auctoritates &c. Horum tres Classes possunt assignari. Prima Classis erit eorum, qui continent materiam proximam concionum, quales sunt omnes, in quibus habentur vel ipsæ conciones extensæ aut annuales aut quadragesimales: Vel expositiones Euangeliorum & Epistolarum, quæ leguntur infrà annum in missis: Vel conceptus & materiæ pro concionibus ad loca propria redactæ. Secunda Classis eorum, qui continent materiam non tàm proximam: vt sunt libri Sanctorum Patrum, & expositorum Sacræ Scripturæ, in quibus continentur quidem materiæ prædicabiles

sed

sed non ita adamussim extensæ & in conciones digestæ, applicabiles tamen pro labore & industria concionatoris varijs Euangelijs. Tertia Classis eorum, qui continent materiam remotam; quales sunt ij, in quibus non extant quidem materiæ pro concionibus præcisè & per se, nihilo minus iuxtà ingenium concionatoris possunt ad conciones aptari formando ex illis conceptus prædicabiles: huiusmodi sunt vt plurimum libri historiarum; item rerum naturalium; item disciplinarum mathematicarum. Vsus librorum harũ trium classium talis esse poterit, vt scilicet in ipsa actuali compositione & extensione concionis adhibeantur libri primę Classis vtpote in quibus reperitur quicquid ad institutum pertinet. Ante tale tempus sint præ manibus libri secundæ Classis; quia si eos non habuerit concionator familiares ante, minus poterit illis vti tempore concionum; cum tamen illorum lectio sit necessaria, Vsus librorum tertiæ classis si sit frequens, & quodammodo quotidianus nõ approbatur: at summopere commendatur si aliquando inter grauiora studia intermisceatur; est enim perutilis & periucundus.

Esset hic locus recensendi si non omnes (hoc enim esset ferè impossibile) saltem aliquos prædictarum classium libros & auctores; sed remitto Lectorẽ ad eos qui tractant de concionandi arte, præsertim ad Aresium loco citato.

Quantum ad. 2. de Modo studendi. Hic modus talis esse debet, vt lectio libri, qui præ manibus habetur, attente fiat perpendendo non modò res, sed verba, phrasim, modum explicandi, ordinem, & quicquid boni in illo libro continetur qua in re prudenter dicebat Pater Granata. Non satis est multa tumultuariè & properanter legere. Et Quinctilianus dicebat debere nos mente reuoluere perlecta; & ad instar cibi sæpe ruminare. Seneca pariter pulcherima documenta tradit circa lectionem, atq; inter cætera hortatur vt non tanti faciamus legere multa, quanti perlecta mente repete-

re. Nobis, inquit, nihil tàm inutile est, quòd in transitu prosit: fastidientis stomachi est multa degustare, quæ vbi varia sunt & diuersa inquinant non alunt &c. Deniq; Aresius addit & aliud consilium, nimirum, & legens ex lectione illius libri arripiat occasionem aliquid ingenio proprio commentandi vel addendo, vel immutando, & applicando alteri argumento ea, quæ in libro repererit. Hoc studium erit satis vtile in libris præsertim tertiæ Classis.

Quantum ad 3. de Modo percipiendi fructum è studio, perceptumq; asseruandi, sciendum est hunc modum non in alio consistere quàm in vsu siluarum, vt vocant, idest in distributione quadam rerum prælectarum, quæ magis placuerint, ad loca communia, vt illis suo tempore vti possimus in exarandis concionibus. Qui vsus necessarius profectò est, nisi quis adeò fælici polleret memoria, vt quicquid legeret, retineret. Circa vsum igitur siluarum duo sunt obseruanda, nempè Numerus illarum, & Modus illas disponendi.

Circa Numerum. Non vna sufficit Concionatori, sed multiplex requiritur, sicut & multiplex est genus rerum ad tale munus rectè obeundum pertinentium.

Prima igitur Silua, eaq; pernecessaria erit rerum seu materiarum puta de Tribulatione; de Amore Dei, de Morte; de Inferno; de Iudicio; de Damnis peccati; & similium; quæ solent esse argumenta cõcionum. In hac Silua collocari debent non solùm simplices conceptus, sed etiam doctrinæ, historiæ, auctoritates Patrum, & quicquid deseruire poterit materiæ propositæ.

Secunda erit Euãgeliorum, & Festorum totius anni, quæ & necessaria quoq; est: Multa enim occurrere possunt in hac Silua prænotanda, quæ non conuenienter in priori collocari poterunt. In hac igitur ponentur tituli argumentorũ, seu materiarum, quæ tractari possunt super tale & tale Euangelium, & in tali festo. ex. gr. Primo die Quadragesimæ con-

cio.

cionator poterit tractare de Ieiunio, de Hypocrisi, de bonis operibus &c. (Dixi titulos solummodo; nam conceptus pertinentes ad has materias reponi debēt in silua materiarum) Præterea in hac silua adnotari poterunt inuentiones super illud Euangelium, espositiones, & moralitates ad illud pertinentes, ex. gr. si adesset catena Patrum, vel conceptuum super hunc textum, *Vnge caput tuum & faciem tuam laua* &c. in hac silua adnotari deberet sub fer. 4. Cinerum. Hæ duæ prædictæ siluæ magnā facilitatem nobis præbēt quamcunq; concionem habendi: nam si voluero v. g. habere concionem in prima Dominica Quadragesimæ, accipiam siluam Euangeliorū, ibiq; deprehendā multas materias posse super tale Euangelium pertractari: selecta igitur vna, aut altera, statim erit præ manibus silua materiarum, in qua repertis conceptibus, rationibus, auctoritatibus ad rem facientibus, non erit mihi opus aliud, nisi illos ordinare, & exponere.

Tertia Silua erit partium diuersarum eiusdem concionis puta Proemij, Introductionis, Narrationis, Confirmationis, Epilogi, collocando in prima illarum v. g. Proemij quicquid pertinet ad Proemium: in alia quicquid pertinet ad Introductionem; & sic de singulis. Multum deseruiet referre ad hanc siluam varias sacræ scripturæ auctoritates ad exagerandum, ad reprehendendum, ad mouendum affectum appositas. Intellige hoc debere fieri de ijs sententijs, quæ possunt diuersis materijs adaptari: nam ea quæ sunt propria alicuius materiæ aut euangelij ad alias superiores siluas debent referri.

Quarta deseruiet elocutioni, atq; in ea collocabuntur verba, & phrases elegantiores nostræ linguæ. Aresius dat hoc consilium vt sub eodem Verbo tria adnotentur, nimirum 1. sinonima tàm propria quàm metaphorica. 2. epitheta. 3. phrases. Ex. gr. In hac Silua Verbo Italico (Capelli) adnotentur. 1. sinonima huius vocis, quæ sunt (chioma, crini &c.)

re. Nobis, inquit, nihil tàm inutile est, quòd in transitu prosit: fastidientis stomachi est multa degustare, quæ vbi varia sunt & diuersa inquinant non alunt &c. Deniq; Aresius addit & aliud consilium, nimirum, & legens ex lectione illius libri arripiat occasionem aliquid ingenio proprio commentandi vel addendo, vel immutando, & applicando alteri argumento ea, quæ in libro repererit. Hoc studium erit satis vtile in libris præsertim tertiæ Classis.

Quantum ad 3. de Modo percipiendi fructum è studio, perceptumq; asseruandi, sciendum est hunc modum non in alio consistere quàm in vsu siluarum, vt vocant, idest in distributione quadam rerum prælectarum, quæ magis placuerint, ad loca communia, vt illis suo tempore vti possimus in exarandis concionibus. Qui vsus necessarius profectò est, nisi quis adeò fælici polleret memoria, vt quicquid legeret, retineret. Circa vsum igitur siluarum duo sunt obseruanda, nempè Numerus illarum, & Modus illas disponendi.

Circa Numerum. Non vna sufficit Concionatori, sed multiplex requiritur, sicut & multiplex est genus rerum ad tale munus rectè obeundum pertinentium.

Prima igitur Silua, eaq; pernecessaria erit rerum seu materiarum puta de Tribulatione; de Amore Dei, de Morte; de Inferno; de Iudicio; de Damnis peccati; & similium, quæ solent esse argumenta cōcionum. In hac Silua collocari debent non solùm simplices conceptus, sed etiam doctrinæ, historiæ, auctoritates Patrum, & quicquid deseruire poterit materiæ propositæ.

Secunda erit Euāgeliorum, & Festorum totius anni, quæ & necessaria quoq; est: Multa enim occurrere possunt in hac Silua prænotanda, quæ non conuenienter in priori collocari poterunt. In hac igitur ponentur tituli argumentorū, seu materiarum, quæ tractari possunt super tale & tale Euangelium, & in tali festo, ex. gr. Primo die Quadragesimæ concio.

cionator poterit tractare de Ieiunio, de Hypocrisi, de bonis operibus &c. (Dixi titulos solummodo: nam conceptus pertinentes ad has materias reponi debēt in silua materiarum) Præterea in hac silua adnotari poterunt inuentiones super illud Euangelium, espositiones, & moralitates ad illud pertinentes. ex. gr. si adesset catena Patrum, vel conceptuum super hunc textum. *Vnge caput tuum & faciem tuam laua* &c. in hac silua adnotari deberet sub fer. 4. Cinerum. Hæ duæ prædictæ siluæ magnā facilitatem nobis præbēt quamcunq; concionem habendi: nam si voluero v. g. habere concionem in prima Dominica Quadragesimæ, accipiam siluam Euangeliorū, ibiq; deprehendā multas materias posse super tale Euangelium pertractari: selecta igitur vna, aut altera, statim erit præ manibus silua materiarum, in qua repertis conceptibus, rationibus, auctoritatibus ad rem facientibus, non erit mihi opus aliud, nisi illos ordinare, & exponere.

Tertia Silua erit partium diuersarum eiusdem concionis puta Proemij, Introductionis, Narrationis, Confirmationis, Epilogi, collocando in prima illarum v. g. Proemij quicquid pertinet ad Proemium: in alia quicquid pertinet ad Introductionem; & sic de singulis. Multum deseruiet referre ad hanc siluam varias sacræ scripturæ auctoritates ad exagerandum, ad reprehendendum, ad mouendum affectum appositas. Intellige hoc debere fieri de ijs sententijs, quæ possunt diuersis materijs adaptari: nam ea quæ sunt propria alicuius materiæ aut euangelij ad alias superiores siluas debent referri.

Quarta deseruiet elocutioni, atq; in ea collocabuntur verba, & phrases elegantiores nostræ linguæ. Aresius dat hoc consilium vt sub eodem Verbo tria adnotentur, nimirum. 1. sinonima tàm propria quàm metaphorica. 2. epitheta. 3. phrases. Ex. gr. In hac Silua Verbo Italico (Capelli) adnotentur. 1. sinonima huius vocis, quæ sunt (chioma, crine &c.)

&c.) 2. epitheta, quæ sunt (biondi, crespi, aurei, pomposi canuti &c) 3. phrases, quæ sunt (inanellare, intrecciare, radere, spargere &c.) Atq; hæc silua valdè conferet ad locupletandum nos verbis pulcherrimis, & ad describendum atq; explicandum ornatè & copiosè quicquid libuerit.

Quinta Silua ab aliquibus conficitur pro varijs descriptionibus puta Terræ, Maris &c. Verùm quia huiusmodi descriptiones vt plurimum fiunt ad ostentationem quamdam; ideò non est necesse vt simus multùm solliciti de hac silua præsertim cum precedens possit deseruire ad huiusmodi descriptiones conficiendas.

Circa Modum ordinandi, & disponendi dictas Siluas varij varia dicunt. Breuiter pro. 1. &. 4. quæ sunt ampliores & difficiliores sit talis ordo. Seruentur literæ Alfabeti incipiendo ab. A. & ad singulas literas reducantur materiæ quæ incipiunt per aliquam ex ipsis literis (v. g. Amor Dei ad. A. Tribulatio ad. T. & sic de singulis) incipiendo siluam melius est adhibere folia soluta, quàm librum compactum, vt possit silua de die in diem augeri prout legendo auctores, adnotationes materiarum excrescunt. Et quia aliquando dubitamus ad quam literam debeamus reuocare inuenta: ideò magis obseruandum est quid illa doctrina seu conceptus seu sententia probet; & quid possit inde inferri; quàm quod contineat in superficie. Sit exemplum legendo reperio Christum flere vidẽdo Hierusalem, & prædicendo illius mala. In hoc loco quamuis nullum verbum habeatur de pietate & dilectione erga inimicos, nihilominus hic est locus proprius, quia pietas Christi ex hoc probatur eò quod defleat calamitates illius Ciuitatis sibi ingratæ & crudelis. Igitur potius ad materiam dilectionis inimicorum quàm ad materiam lachrymarum debeo reponere inuenta; & potius verbo Dilectio litera. D. quàm verbo lachryma litera. L. quia illud probant non hoc; lachrymæ enim in hoc casu

stant

stant materialiter & superficialiter. Et sic de alijs. Et quia idem conceptus aliquando probat diuersas materias diuersimodè consideratas; ideò poterit sub diuersis materijs referri, in vna tamen fusius, in altera breuius & relatiuè ad alterum locum.

Et breuiter dicta sint pro comparanda aliqua scientia ad conciones necessaria. Nec paruifacienda sunt monita quæ habentur in *Actis Eccles. Mediolanen. par. 4. §. de scientia Concionatoris.* vbi habentur infrascripta.

Traditionum Apostolicarum Ecclesiasticarumq; notitiam tenere studebit. In Sanctorum Patrum scriptis atq; sermonibus peritè versatus erit. Nec verò ignorabit Sacros Ecclesiæ ritus, qui in Sacramentis, in diuinorum officiorum cultu, in tota deniq; Ecclesiastica ratione instituti sunt: eorumq; mysteria & significationes explicabit, quorum explicatione mentes fidelium ad pietatis studium accendantur. Cognoscet item rerum in Ecclesia sancta gestarum ac memoriæ veteris & antiquitatis Ecclesiasticæ ordinem; maximè autem Sanctorum Patrum historiam, summorumque Pontificum & Episcoporum, quorum sanctitas præclarè eluxit; vitas. Tenebit præterea aliquam veterum canonum scientiam, summorumq; Pontificum descripta iura, atq; instituta, & Conciliorum decreta &c. *Hæc habent Acta Eccles. Mediol. loco citato.* Et *paulo infrà.* Sanctarum Meditationum, orationisq; mentalis vsum ac peritiam habebit vt alios ad cælestium contemplationem erudire concionando possit. Casuum conscientiæ doctrina instructus erit. Morum & virtutum Christianarum locos non solùm ordine collectos, sed rectè notos habebit.

Hæc omnia prædicta, & alia, quæ in dictis Actis habentur requiruntur ad exercendum pro dignitate & cum animarum fructu hoc præstantissimum Verbi Dei prædicandi munus.

§. 4. *De Præparatione generali ad prædicandi munus fructuosè exercendum.*

QVò ſtudioſius atque adeò religioſius concionator ſui muneris partes exequatur quamdam præuiam generalem præparationem adhibere ſtudebit. Conſiſtit autem hæc præparatio in tribus, nempe, 1. in attenta ponderatione, 2. in recta intentione, 3. in feruenti oratione.

Quantum ad ponderationem. Hæc debet eſſe de tribus, videlicet de Præſtantia, de Difficultate, & Vtilitate tanti muneris.

Præſtantia ex multiplici capite oſtendi poſſet; ſed in præſentiarum ſatis ſit illam demonſtrare ex Fine illius; ex Medijs ad finem; & ex Perſonis quæ tale munus omni tempore exercuerunt.

Ex fine; qui ſublimis eſt; agitur enim non de congregandis diuitijs temporalibus, non de comparandis mundanis honoribus, non de conſeruanda ſanitate, non de tuenda vita Corporis; ſed de lucrifaciendis, animabus, eiſq; è Dæmonibus ſeruitute liberandis, & ad Cœleſtem patriam euchendis. Huius autem rei quanta ſit dignitas nemo nō videt; cum ſit opus Dei; & prædicatores in hoc ſint quodammodo coadiutores & cooperatores ipſius Dei, qui in Conuerſione animarum, & in iuſtificatione impij oſtendit maximè ſuam omnipotentiam vt Eccleſia ait in quadam Collecta *Deus qui potentiam tuam parcendo maximè & miſerando manifeſtas.* Et certè iuſtificatio impij aliqua ex parte excedit ipſam mūdi Creationem, ſcilicet ſi non quantum ad modum operandi ſaltem quantum ad terminum productum *vt ait Diuus Thomas*; Nam in Creatione confertur rebus eſſe naturale; ſed in iuſtificatione impij (cùm hæc perficiatur per gratiam iuſtificantem) confertur iuſtificato eſſe ſupernaturale. Hinc meritò *magnus*

ille

ille Gregorius lib. 3. Dial. cap. 17. asserit maius miraculum esse peccatorem à via praua ad salutis semitas reducere quàm mortuũ ab inferis excitare, atq; optimam reddit rationem: inquit enim. *In isto resuscitatur caro moritura: in illo verò anima in æternum victura.* Et paulò post. *Et quidem post resurrectionem carnis de Lazari virtutibus tacetur: at post resurrectionem animæ capere nostra infirmitas non valet, quanta in sacro eloquio de Pauli virtutibus dicuntur.* Et si conuersio vnius solummodo peccatoris maius miraculũ censetur quàm excitatio mortui, quid dicemus de conuersione non vnius aut alterius, sed plurimorum errantium, ad quem finem prædicatio ordinatur?

Ex medijs ad prædictum finem. Sunt autem hæc media & instrumenta prorsus eadem cum illis, quibus Deus vtitur ad mirabilia facienda, scilicet verbum Dei. *Verbo Dei*, inquit psaltes, *cæli firmati sunt & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt.* Hoc eodem medio verbi diuini concionator vtitur ad conuersionem animarum. Nec quisquam miretur; nam illud fulgidum ecclesiæ iubar Augustinus non veretur verba diuina à Concionatore prolata conferre cum ipsomet Christi Domini corpore; quod certè ex vnione hypostatica ad Personam diuinam Verbi est infinitæ dignitatis. Sic autem ait. *Quid vobis plus esse videtur Verbum Dei an Corpus Christi? Si verum vultis respondere hoc vtiq; dicere debetis quòd non sit minus verbum Dei quàm Corpus Christi.* Et paulò post. *Non minus reus erit qui verbum Dei neglegẽter audierit quam ille qui Corpus Christi in terram cadere negligentia sua permiserit.* Hæc Augustinus.

Ex Personis, quæ hoc munus omni tempore exercuerunt. In lege veteri fuerunt Prophetæ, & Sacerdotes. In lege noua prior omnium extitit Christus Dominus, qui è cælis in terras descendens nihil antiquius habuit, quàm euangelium prædicare; imò ad hoc se missum esse testatur illis verbis Isaiæ: *Spiritus Domini super me eò quod vnxerit me, ad euangelizandum*

pauperibus misit me. &c. Et apud Ioannem. *In hoc natus sum,* inquit, *& in hoc veni in mundum vt testimonium perhibeam veritati.* Post Saluatorem huic officio fuere maximè addicti Apostoli, qui relictis quodammodo omnibus alijs curis huic vni insistebant, vt habetur in Actis Apostolorum, dicitur enim ibi quod conuocantes duodecim multitudinem discipulorum dixerũt. *Non est aequũ nos derelinquere verbum Dei & ministrare mensis.* Deniq; quemadmodum non est in Ecclesia Dei maior dignitas Episcopali; ita munus proprium Episcoporum veluti cæterorum omnium sublimissimum est, prædicare verbum Dei; vti *suprà* §. 1. *huius Capitis* innuimus. Quinimmo fateri possumus hoc esse officium Angelorum, quia Angeli etiam illo functi sunt, vt habetur *in libris Iudicum.* Idcirco sæpe in sacro eloquio appellantur Angeli, ipsi Sacerdotes & Prædicatores. Sic in Malachia. *Labia Sacerdotis custodiunt sciẽtiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est.* ac si diceret. Angelus appellatur, imitetur ergo Angelos, quorum munus est prædicare verbum Dei, & legem Altissimi hominibus nuntiare. Hinc S. Augustinus contemplatus mirabilem illam scalam, in qua Iacob Patriarca vidit Angelos ascendentes, & descendentes dicit per Angelos prædicatores significari. *Angeli Dei,* inquit, *prædicatores sunt veritatis, ascendant vt erigant magnos, descendant vt nutriant paruos.* Sed quid mirum si Prædicatores vocentur Angeli, & & prędicare sit opus Angelicũ; cum sit etiam quid sublimius, nempe opus diuinum teste magno illo Dyonisio Areopagita dicente *omnium diuinorum diuinissimum est dare operam conuersioni animarum.* Et ecce quanta est præstantia sublimis huius prædicationis officij.

Difficultas etiam non leuis sese offert in præstantissima huius muneris functione; siquidem tot tantaq; exiguntur in perfecto ac numeris omnibus absoluto concionatore, vt impossibile ferè videatur omnia in vno ac eodem homine fæliciter

citer

citer inu eniri. Complexus est ea paucis sed ponderosis verbis & carminibus Homerus celeberrimus poeta apud antiquos cum cecinit.

Cœlestes etenim non omnibus omnia præbent.
Eloquium ingenium, membrorum gratia, virtus
Vni haud conueniunt.

Quæ omnia in absoluto Ecclesiastico concionatore exiguntur, nec sunt satis: quia præter ingenium ad inueniendum dicenda: præter eloquium ad explicandum inuenta: præter gratiam ad inserendum quodammodò in auditorum animis explicata: præter virtutem ad prosequendum indefessis viribus firma voce;& forti pectore concionem; præter, inquam, hæc; si Concionator non polleat memoria tenaci, voce clara, aspectu iucundo, solida doctrina, pronto animo, & (quod omnium caput est) vero cordis spiritu, & sensu affectuq; diuinorum misteriorum, haudquaquam perfecti absolutiq; Ecclesiastici concionatoris nomenclaturam poterit obtinere. Vnde meritò possumus cum M. Tullio dicere. *Mirari desinamus quæ causa sit eloquentium paucitatis cum ex illis rebus vniuersis eloquentia constet, quibus in singulis elaborare permagnum est.* Hanc non leuem difficultatem ad concionandum prout rei dignitas postulat innuimus non vt deterreamus Ecclesiasticos nostros ab hoc tàm vtili, tàm necessario, ac tàm sublimi munere capessendo; sed vt cognita illius arduitate eò maiori studio ac diligentia ad illud arripiendum se conferant.

Vtilitas autem, quæ ex hac functione ritè & rectè peracta promanat, est maxima. Etenim quæ maior vtilitas adinueniri potest quàm lucrari animas Deo? Quis fructus vberior? Quod lucrum copiosius? Quis non constanter assereret pro vna solummodo mercanda anima omnes Concionatoris labores esse vtillimè impensos? Romani olim vt audaciores, & promptiores redderent suos milites ad magna quæque aggre-

grediendа facinora, diuerſas illis coronas proponebāt quas aureas, quas argenteas, quas murales, quas nauales, iuxtà diuerſitatem meritorum. Inter cæteras plurimi faciebāt coronam ciuicam, quæ pro ſeruata alicuius ciuis vita conferebatur. Si ergo tanti æſtimabant illi ſalutem & vitam corporalem vnius ciuis, quanti nos facere debemus ſalutem Animæ vniuſcuiuſq; noſtrum; cum anima longè corpus antecellat. Certè ſi nullum aliud præmium concionatori ſeruatum eſſet, hoc illi ſufficere deberet, nempe per ſuas Conciones lucrari animas. Nec gratis à nobis hoc dicitur. Satis apertè id teſtantur ſacra eloquia. Redēptor noſter apud Matthæū. 18. *Lucratus eris fratrem tuum*. Et Iacob. 5. *qui conuerti fecerit peccatorē ab errore viæ ſuæ ſaluabit animam eius &c.* Sed adhuc maiora & ſublimia ſunt præmia in cælis repoſita verbi Dei præconibus: nam in primis donatur illis peculiaris eaque pretioſa corona à Theologis Aureola nuncupata, quæ cum ſit triplicis generis videlicet Aureola Martyrum, Aureola Virginum, Aureola Doctorum ſeu verbi Dei præconum hæc vltima fortè tanto dignior & præclarior, quantò callidior, ſæuior, & fortior hoſtis ab his deuictus; quia Virginibus datur corona pro victoria de Carne; Martyribus corona pro victoria de Mundo; Doctoribus verò & Prædicatoribus corona pro victoria de Diabolo reportata. Hunc enim à fidelium mētibus per verbum Dei ab ipſis prædicatum expulerunt. Quàm difficilior autem ſit, & quàm illuſtrior victoria de Diabolo, quam de Mundo, & Carne teſtis eſt ipſe Apoſtolus Paulus egregius militiæ Chriſtianæ Dux, qui ab his tribus hoſtibus ſæpius & acerrimè opugnatus, parui tamen faciebat Mundi & Carnis conatus comparatione eorū, quos in conflictu Dæmonum ſuſtinebat: Vnde & dicebat. *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & Sanguinem, ſed aduerſus Principes & Poteſtates tenebrarum harum*. Hoc autem dicebat, non quòd ignoraret confligendum ſibi eſſe etiam cum pro-

propria carne; sed quod arbitraretur hunc conflictum cum carne flocci esse faciendum respectu hostium infernorum. Premium igitur Predicatoribus seruatum in cælis est Aureola Doctorum. Nec est opus vt plurimis verbis etiam adstruã, gloriam essentialem in cælis repositam Prædicatoribus esse quoq; ampliorem: hoc enim promisit illis ipse Dominus Cælorũ Rex dicens. *Qui fecerit & docuerit hic magnus vocabitur in regno cælorum*. Atq; inter illa beatorum agmina fulgebunt, quemadmodum sydera fulgere solent inter alias partes cælorum: sic enim habemus à Daniele Propheta cap. 12. dicente. *Qui docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti; & qui ad iustitiam erudiunt multos quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Et quia non quibuscumq; prædicatoribus hoc repromittitur; sed ijs tantummodo, qui hoc munere funguntur ea intentionis puritate, eo diligentiæ studio, eo salutis animarum zelo, quibus oportet & decet: Ideo.

Quantum ad intentionis puritatem (quæ erat vna ex tribus conditionibus requisitis in perfecto Concionatore *vt in principio §. diximus*) sciendum hanc esse summopere necessariam Euangelico Concionatori, vt scilicet non alium intendat finem, non alium sibi præfigat scopum, in quem collimare debeat, nisi omnipotentis Dei gloriam, animarumq; salutem. Hic est fructus, quem Dominus à suis missis exquirit, dum ait: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos vt eatis & fructum afferatis & fructus vester maneat.* Væ illis, qui aliud intendũt, quàm prædictum finem. Væ illis, qui in suis concionibus aut corporis commoda, aut populi plausum, aut Principum gratiam, aut Præsulum fauores, aut humanam gloriolam, aut, quod deterius est, turpe lucrum venãtur. Hi sunt, qui adulterãtur verbum Dei, de quibus meminit Apostolus verbis illis. *Non sumus sicut quidam adulterantes verbum Dei, sed tanquam ex Deo, coram Deo in Christo loquimur.* Nam quemadmodum is, qui ad mulierem alteri viro desponsatam

accedit, & alienum vitiat torum, dicitur adulter; sic planè qui verbum Dei, & sanctum prædicationis ministerium soli Christo dicatum peruertunt & in alios terrenos vsus cõuertunt, sunt adulteri, proindeque grauiter delinquunt, atq; vti adulteri grauiter punientur.

Immò non solum in habendis concionibus & in docendo populo puritas intentionis requiritur, itaut nil aliud nisi Dei gloriam, & nostram, proximorumq; ædificationem intendere debeamus: sed hæc eadem intẽtionis puritas requiritur in ipsamet comparanda doctrina & scientia. Audiamus *mellifluum Bernardum ser. 36. in cant.* de hac re melliflué loquentem. Sic enim ait super Cantica [Qui se (inquit Apostolus) putat aliquid scire, nondum scit quo modo oporteat eum scire. Vides quoniã non probat multa scientem si sciendi modum nescierit? Vides, inquam, quomodo fructum & vtilitatem scientiæ in modo sciendi constituit? Quid ergo dicit modũ sciendi? quid? nisi vt scias quo ordine, quo studio, quo fine quæq; nosse oporteat? quo ordine? vt id prius quod maturius ad salutem. quo studio? vt id ardentius quod vehementius ad amorem. quo fine? vt non ad inanem gloriam, aut curiositatem, aut aliquid simile; sed tantum ad ædificationem tuam vel proximi. Sunt namq; qui scire volunt eo fine tantùm vt sciant; & turpis curiositas est. Et sunt, qui scire volunt, vt sciantur ipsi; & turpis vanitas est (Qui profectò non euadent subsannantem satyricum, & ei qui est eiusmodi decantantem. Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter) Et sunt item, qui scire volunt, vt scientiam suam vendant v. g. pro pecunia pro honoribus; & turpis quæstus est. Sed sunt quoq; qui scire volunt vt ædificent; & Charitas est Et item qui scire volunt, vt ædificentur; & prudentia est. Horum omnium soli vltimi duo non inueniuntur in abusione scientiæ, quippe qui ad hoc volunt intelligere vt benè faciant. Deniq; intellectus bonus omnibus facienti-

bus

bus eum. Reliqui omnes audiant. Scienti bonum & non facienti, peccatum est ei. Ac si per similitudinem dicat: Sumenti cibũ, & non digerenti, perniciosum est ei. Cibus siquidem indigestus, & qui bonam non habet decoctionem, malos generat humores, & corrumpit corpus & non nutrit. Ita & multa scientia ingesta stomacho animæ, quæ est memoria; si decocta igne Charitatis non fuerit, & sic per quosdam artus animæ, mores scilicet atq; actus, transfusa, atq; digesta, quatenus ipsa de bonis, quæ nouerit, vita attestante & moribus bona efficiatur: nonne illa scientia reputabitur in peccatum tanquam cibus conuersus in prauos, noxiosq; humores? An non malus humor peccatum? an non mali humores praui mores? An non inflationes & tortiones in conscientia sustinebit qui huiusmodi est, sciẽs videlicet bonum & non faciens? An non responsum mortis & damnationis toties in semetipso habebit, quoties in mentem venerit sermo, quem dixit Deus; quia seruus sciens voluntatem Domini sui & non faciens digna, plagis vapulabit multis?] *Hæc Bernardus.* quæ certè magnum timorem Prædicatoribus, & Doctoribus incutere debent.

Quantum ad orationis feruorem (erat enim tertia conditio requisita in Concionatore) hoc admonere iuuat, vt futurus Concionator perspectis & benè perceptis præstantia, difficultate, & vtilitate muneris quod aggredi intendit; necnon pensata intentionis puritate, qua imbutus esse debet (de quibus omnibus suprà egimus) perceptis, inquam, benè supradictis omnibus se humillimè coràm Deo prosternat imbecillitatem suam agnoscens, eumq; ex præcordijs deprecetur vt cælesti benignitate se quamuis vilem vermiculum, & prædicationis officio indignum adiuuet; quatenus diuino suffultus auxilio nulla propriæ laudis, aut gloriolæ affectatione ducatur: Vt se vehementius in dies inflammet tùm ad præclaram illam diuinæ gloriæ cupiditatem; tum ad ignitam

ergi

erga proximos charitatem concipiendam. Vt deniq; diuina ope adiutus respondere possit congruè tum sanctitati rerum quæ pertractare intendit; tum dignitati personæ quam sustinet.

Lubet in calce huius paragraphi & pro Conclusione illius referre admonitionem, quæ habetur ad Concionatores *in Actis Ecclesiæ Mediolanensis, his conceptis verbis*. [Fugiet autem tanquam pestem omnem ambitionem, omnemq; illius suspicionem. Ne loca insigniora, vbi prædicationis suæ semen spargat, ambiat, affectetue: memor Christi Domini quem à Patre è cælo demissum ad erudiendum genus humanum, pagos & vicos & castella obijsse legimus. Nunquam in opinionem inducet maiori atq; meliori suggesto se dignum esse. Fuit hæc quondam Ethnicorum ambitio oratorum. Christianus autem Concionator ab istius ambitionis suspicione alienus esse debet, qui ad prædicandum Christum Crucifixum non ad sui ingenij ostentationem vocatus est.]

§. 5. *De Vitæ ratione tenenda in loco, vbi Prædicator actualiter hoc munus exercet.*

CONcionator vt ex suis laboribus optatum conuersionis animarum fructum reportet, instructus esse debet Verbo, exemplo, oratione. De Verbo, idest scientia, & de oratione iam diximus §. *antecedenti*. Superest vt in hoc §. aliquid dicamus de exemplo. Magis enim mouent exempla quàm Verba vt est commune adagium.

Vt igitur non minus exemplo quàm Verbo prædicet, aliqua obseruare debet pertinentia ad rectam disciplinam tenendam & cum seipso, & cum alijs.

Cum seipso seruabit Quædam spectãtia ad Cultum Dei; Quædam ad externam conuersationẽ. Quod attinet ad Cultum Dei curabit in primis officium diuinum quotidie ritè, di-

distincte, pieq; recitare. Deinde si aliquid temporis superest, optimum erit in diuinorum mysteriorum contemplatione aliquantum vacare: sic enim fiet vt diuini amoris igne succendatur, vt de se testatur Propheta illis verbis; *Et in meditatione mea exardescet ignis.* Quo succensus facilè deinde auditores suos eodem igne poterit inflammare, atq; ad fugienda vitia, virtutesq; amplectendas efficacius adhortari. Sacrosanctum Missæ Sacrificium singulis diebus, nisi legitima impediatur causa, offerre non desinat. Hoc enim cibo spirituali refectus tum sibi multùm proderit ad omnes muneris sui partes rectè exequendas; tùm fideles ad illius frequentiam, & ad Missæ veneratione͂ poterit vehementius excitare.

Quod verò attinet ad externam conuersationem. Incedendo, stando, sedendo, accubando, loquendo, comedendo, aspiciendo, quicquid deniq; exterius operando eam seruabit modestiam, & morum compositionem, quæ concionatorem Ecclesiasticum non dedeceat. Erit in omni colloquio grauis, mansuetus ac salutaris. In habitu ac indumento religioso, aut sacerdotale modestus. In victu temperatus, in potu sobrius; & ciborũ multiplicem varietatem fugiens frugalitatem sectabitur. Apud laicos cenare, prandereue quoad fieri potest deuitet. Nec ad mensam & conuictum adhibeat aliquem præsertim laicum nisi spiritalis, religiosæq; vitæ studiosum. Familiaritates & consuetudines laicorum valdè vitabit. Si Concionator erit regularis, bonum erit si habitauerit in proprio monasterio; aut in ædibus Parochialibus, Collegiatæue Ecclesiæ loci, in quo concionatur: aut saltem in alijs Ecclesiasticis domicilijs à laicali habitatione seiunctis. Ne eò fæminas ad colloquium secum incundum introducat, & admittat.

Cum alijs quædam adimplere, quædam vitare studebit.

Adimplenda. Communi vtilitati seruiet. Erit in omnes beneficus: singulis, prout opus fuerit, opitulabitur & conso-

lando, & consulendo, & benignè se gerendo. Nihil nisi sanctum, honestum, religiosum, & pium in admiratione, aut in desiderio habebit. In rebus aduersis erit constans & infractus. Pro gloria Christi, & pro salute animarum fortiter viriliterq; aget in omni, si qua inciderit, contradictione. Amore Dei inflammatus non modo probra, conuicia & contumelias patienter feret; sed mortem ipsam, si opus fuerit, forti inuictoq; animo subire non dubitabit.

Vitanda. Prædicationis nomine occasioneue Concionator regularis eleemosinam nullam paciscatur. Si quæ spontè datur (præter illum, quando extrà monasterium degit, quotidianum cibum) monasterio ordinis sui eam in commune conferet: aut superiori pro instituti cuiusq; ratione & regula tradet; memor voti paupertatis, quo adstrictus nihil proprium habere debet: immo illud proprietatis vitium in homine regulari detestabile fugiet & corde & ore, & opere. Nihil sibi petet, nec verò extorquebit, non vestem, non indusia, non sudariola, nõ cætera id generis sibi quæsitabit. Parochus etiam, aliusuè quicunq; in hoc sacro prædicationis munere occupatus, itidem rectè seruabit.

Superbiam, fastidium, atq; arrogantiam valdè vitabit: ac propterea solum ea proferre studebit quæ auditoribus salutaria sint futura; non autem ea, quæ ostentationem aliquam sapere videantur.

Nullis permittat se perturbationibus concuti. Non iracundiæ det locum. Non alteri in eadem Vrbe, eodemue oppido concionanti inuideat frequentiorem auditorum confluentiam. Et minus (quod diligentissimè cauere debet) ei detrahat aut verbo, aut facto, aut alio quocunq; modo. Auditores ab illo auertere non studebit. Nec præterea despondebit animum si perpaucos ad se conuenire perspexerit auditores: nam summus ille vitæ magister Iesus Christus cùm Dei sapientiam, vitamq; æternam mundo patefaceret, pau-

cos

cos habere discipulos non est dedignatus; immò solam aliquando mulierem audientem habuit, & hæc fuit Samaritana, cui soli de diuino cultu, deq; cælesti gratia sermonem habere non renuit.

Quilibet deniq; Concionator caueat quantū fieri potest ne cuiquam occasionem, aut dictis aut factis præbeat (etiam arripere volenti) vel obloquendi, vel malum suspicādi quauis de re, quæ reprehendi meritò possit; ne eius ministerium quod sanctum est vituperetur; sed in omni actione, & functione vniuerso populo spiritale gaudium, sanctarumque exempla virtutum præseferet.

§. 6. *De præparatione ad Singulas Conciones habenda.*

HÆc præparatio complecti potest tria. 1. Aliquot pietatis exercitationes. 2. Breues quasdam considerationes. 3. Modum tenendum in habenda concione.

Pietatis exercitationes erunt huiusmodi aut similes. 1. Conscientiam ab omni peccatorum labe præsertim mortalium pænitentiæ sacramento mundabit antequàm ad verbi Dei tractationem accedat. Et verò grauissimam illam Prophetæ obiurgationem non parùm extimescat. *Peccatori autem dixit Deus quare tu enarras iustitias meas & assumis testamentum meum per os tuum.* Deinde daturus se studio concionis habendæ sanctum Thomam Acquinatem aliosq; sanctitate claros viros sibi ad imitandum proponet, qui religiosa aliqua precatione vsi sunt prius quàm studijs se darēt. Peracta breui ad Deum oratione id curabit vt quod in concione dicturus est, benè cognitum prius habeat. Vbi verò ex studio librorumq; lectione hauserit quod prolaturus est, tùm Concionis partes, quas animo concepuit, etiam atq; etiam diligenter pièq; meditabitur. Optimum factu erit, si nocte antecedente concionem habendam ante Deum prostratus

illum humillimè roget vt sibi suisq; auditoribus diuinæ suæ gratiæ lumen infundat, quo illuminati & ipse congruè dicere, & illi fructuose valeant audire. Nec porrò aliquando defuere sancti Dei viri, qui non solum effusis lachrymis, sed cæso etiam verberibus corpore id à Deo impetrare consueuerunt.

Considerationes autem breues immediatè ante Concionem poterunt esse huiusmodi. Consideret se Primò piscatorem hominum esse; ideòq; debere neruos omnes intendere vt sagenam euangelicam impleat, idest vt animas errantium in viam salutis reducat, & Christo lucretur: quare videat ne in prædicationis officio languescat. Consideret præterea populum ad concionem audiendam confluentem, esse veluti multitudinem hominum esurientium: vel cætum claudorum, paraliticorum, mutorum, cæcorum, surdorum, hidropisi laborantium, malo demone æstuantium; talemq; multitudinem valetudinis beneficium expectare. Hæc & similia consideret, atq; ita in omni concionandi materia se accommodet, vt illorum saluti prospiciat tum consulendo, tum consolando, tum omni officio præstantiq; remedio.

Modus in habenda Concione talis esse poterit; nimirum quemadmodũ sanctas cõmotiones in alijs, ita tales primum animo suo ipse concipiet atq; in se excitabit, itaut quales in aliorum mẽtes transfundi cupit ipse, illas animi sui sensibus rectè conceptas quasi spectandas cæteris proponat. Id assequi studebit primum ardenti precatione, deinde rei de qua dicturus est explorata cognitione, tum vehementi cogitatione, & quasi ob oculos posita specie ipsius rei quam meditatione concepit; ac præterea attenta lectione loci sacræ scripturæ; qui cum re conueniat, quam animo excogitatam habet.

Et quoniam ad commouendos animos parùm valet concio alieno labore conscripta, nunquam ad affectionum exco-

cogitationē alienæ concionis industria vtetur: sed ingenio suo concipiet & gignet, quo vehementius primum se, deinde alios afficiat: disciplinæ enim cibus, qui populo proponitur, mente propria quasi stomacho concoctus vires maiores habet ad omnem sanctam commotionem.

Ne igitur Concionator se totum in alienas Cōciones temerè ingurgitet: satius erit eas ex Sanctissimorum Ecclesiæ Doctorum Gregorij, Ambrosij, Augustini, Chrysostomi, aliorumq; Patrū homilijs, sermonibus, & tractationibus conflare. Atq; vt vno verbo omnia complectar: Quem deuotionis ardorem ex religiosa diuinarum precum recitatione, sacra celebratione, & pia meditatione Deo iuuante conceperit, eundem studiosè curet secum in suggestum afferre.

§. 7. *De Materia concionum.*

MAteriā triplicem considerare possumus in concionibus scilicet Materiam In qua, & hæc sunt vniuersi homines quibus prædicatur. Materiam Circa quam, & hoc est Euangelium iuxta illud Domini apud Marcum cap. vltimo. *Prædicate Euangelium omni Creaturæ.* Et Materiam Ex qua, & hæc sūt Auctoritates Sacræ scripturæ tàm veteris quàm noui testamenti, Auctoritates Sanctorum Patrum, Sacrorum Canonum, Sacrarum Constitutionum, Rationes, Ecclesiæ traditiones, Historiæ, Exempla, Similitudines, omnis deniq; doctrinæ & eruditionis apparatus; quia ex his omnibus tanquam flosculis & sertis contexitur concio. Sed Materia præcipua, quæ hic nobis consideranda occurit est Circa quam nempe Euangelium. *Est autem Euangelium* (vt omittam pro nunc alias significationes) *scriptura continens Vitam & Verba Christi Domini.* Et quia Christus Dominus in euangelio reprehendit vitia, & hortatur ad virtutes promittendo his præmium Vitæ æternæ, & comminando illis

pœ-

pœnam gehennæ. ideo quatuor hæc erunt scopus omnium Cõcionum præsertim versantium circa morũ reformationẽ, sunt ferè omnes Conciones quæ ad Christi fideles habentur, quos supponimus iam tenere dogmata fidei, & quid credere & quid sperare debeant. Id benè notauit *Sac. Conc. Trid. sess. 1. cap. 2. de refor.* dum mandat Episcopis per illa verba. [Plebes sibi commissas pro sua, & earum capacitate pascant salutaribus verbis; docendo quæ scire omnibus necessarium est ad salutem annunciandoq; ei cum breuitate & facilitate sermonis vitia quæ eos declinare, & Virtutes quas sectari oporteat, vt pœnam æternam euadere, & cælestem gloriam consequi valeant.] Sed vt aliquo ordine in hac re, sicut in cæteris, procedamus. Videamus. 1. quomodo & à quibus præcipuè vitijs & peccatis Cõcionator deterrere suos debeat auditos. 2. quomodo, & ad quas virtutes debeat eos adhortari. 3. quas regulas tenere debeat in Concione vt sciat quæ proferre, quæ vitare debeat concionando. Sequemur autem in hac re Instructiones gloriosi & Sanctissimi Præsulis Caroli Borromæi, quæ habentur *in Actis Ecclesiæ Mediolanensis par. 4.*

Quoad vitia & peccata. Hæc frequentius reprehendet, & detestabitur; pro qualitate tamen locorum, personarum, & temporum. Scilicet.

Detestabile blasphemiæ scelus, ac nefaria maledicta, quæ in Deum, sanctosq; conijciuntur.

Superstitiones, auguria, diuinationes, venificia, incantationes, & cætera huiusmodi.

Dierum festorum violationem. Immodestum quorumdam accessum ad Ecclesias ad Indulgentias ad Stationes ad supplicationes publicas &c.

Contractus illicitos, & omnem illicitam rei alienæ acceptionem, & detentionem.

Adulteria, & alia Carnis opera.

Falsa testimonia, & omnes Detractionis species.

Gu-

Gulæ & ventris explendi, & ebrietatis vitia.

Deniq; omnia peccata quæ committuntur contrà Diuinæ legis præcepta.

Et quia homines deprauatæ consuetudinis nonnulli errore ducti pro nihilo putant quasdam publicorum peccatorum illecebras & occasiones; ideò Euangelicus Concionator in illas inuehi non prætermittat, easq; in summū odium adducere quantum fieri potest, contendat; atque ostendat quàm grauiter Deus in illis offendatur; quàm multa mala, quàm innumeræ calamitates etiam publicæ, quàm grauia detrimenta inde emanent. Huiusmodi sunt spectacula, ludi, resq; ludicræ id generis, quæ ab ethnicorum moribus originem ducunt, disciplinæq; Christianæ aduersantur. Itē Choreæ, saltationes, ac tripudia, e quibus mortiferæ cupiditates excitantur. Scænicæq; personatæq; actiones, vnde tanquam è quodam seminario semina malefactorum ac flagitiorum penè omnium existunt. Omnis in muliebri vestitu luxus, caudatæ vestes, superbus ornatus, muliebres fuci ac pigmenta, cæteraq; ad mollitiem atq; adeò ad libidinis incitamentum fœdè excogitata. Effusa virorum impensa, & omnis intemperantia, quæ ad barbararum gentium à fide alienarum similitudinem tàm valdè accedit. Epulæ sumptuosæ, & commessationes immoderatæ à frugalitate Christiana alienæ. Omnis alea, omnisq; eius generis ludus; vnde iurgia, furta, maledicta, pleraq; alia mala oriuntur. Eorum peccatum insectabitur, qui ædes suas quasi ludum aleatorium exponunt. Multorum otiosam vitam, ac voluptariam ità facilè peccatis expositam repræhendat quàm sæpissimè.

Et quoniam pleriq; sunt qui certis vulgaribus argumentationibus disciplinæ Christianæ repugnantibus vtuntur ad peccatorum excusationem; de industria aliquando prout vsu venerit concionator piè doctèq; ostendat quàm magnopere isti argumentationis atq; opinionis humanæ decepti à

via

via salutis aberrent. Istorum alij sunt qui honorum studijs, ambitioniq; seruiunt propterea quod & mundo & propinquis satisfaciendum putent. Alij angustam illam viuendi viam ad euangelij prescriptum minimè tenent quia communem vitæ consuetudinem amplectendam arbitrentur. Alij pietatis opera multa aspernantur, quoniam anicularum ea potius esse arbitrantur quàm virorum. Sunt qui à perfectiori vitæ ratione, atq; à frequenti sacramentorum vsu se atq; alios abducunt, quod sine tali diligentiori studio homo salutem consequi possit. Sunt item qui peccata excusant adolescentiæ nomine, vel aliam causam prætexunt. Atq; ita quidem multi malè agere pergunt vulgi opinionibus falsis, ineptisq; argumentationibus ducti, quæ à concionatore coarguendæ atq; refutandæ sunt.

Vniuersa denique peccata omni increpatione exagitet. Cruciatus, tormentaq; perennia ac sempiterna damnatorum exaggeret. Sæpè mundi res caducas, breuique interituras & eius infinita incommoda studiosè proponat, ac recenseat calamitates.

Quoad Virtutes & pietatis opera. Curabit Concionator Virtutes, eorumq; præcipua officia non modò in vniuersum sed etiam singillatim diligenter exponere descendendo ad certas species. Quamobrem hortabitur suos auditores Ad euangelica consilia amplectenda: Ad perfectioris vitæ disciplinam suscipiendam: Ad misericordiæ atq; eleemosinæ tum spiritualis tum corporalis opera exercenda, præsertim ad Correctionem fraternam: Ad Hospitalitatis officia: Ad pænitentiæ exercitationes, Corporis macerationem, castigationemq; Ad Ieiunium prout Vigiliæ, quatuor tempora, Aduentus, & Quadragesimæ expostulant: Ad lectionem piorum librorum, & euitationem inutilium: Ad Cultum Sanctarum Imaginum: Et ad alia similia pietatis opera & Virtutum officia.

Præ-

Præterea illud præcipuum munus suum esse putabit concionator, vniuscuiusq; status homines docere atq; instruere beati Pauli exemplo, qui excellens vniuersarum gentium concionator omnes ad officij sui functiones erudiuit. Monebit igitur sæpissimè parentes & liberos: viros & vxores: dominos & seruos: Clericos & laicos: principes & subditos: magistratus & priuatos: deniq; omnes cuiuscunq; conditionis & status prout locorum & temporum ratio postulat, docendo singulos quod cuiusq; proprium est: qua ratione bonis animi, corporis, & externis ad consequendam sempiternam beatitudinem vti possint: Item qua moderatione prospera; qua patientia aduersa ferre debeant. Et similia virtutum opera.

Cæterùm in qualibet materia, & in quolibet concionum genere hæc cauebit Concionator. Ne à veteri, vulgataq; bibliorum editione, in proferendis diuinarum literarum sententijs discedat: ad pleniorem tamen illius explicationem vti etiam poterit, & licitum erit, græca & hebraica lectione. Ne sacram scripturam ad suos sensus contorqueat contrà eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta mater Ecclesia, aut contrà vnanimem Patrum consensum. Subtiliores quæstiones apud imperitam multitudinem ne attingat. Ne de Beatissimæ Virginis immaculatæ conceptione disputare ausit. Ne facetias, ridiculaue dicta afferat. Ne res ineptas vel superuacaneas, vel parùm fructuosas afferat. Ne nouas allegorias comminiscatur, sed eas seligat ex receptis ab ecclesia scriptis. Ne historias ex apocriphis scriptoribus narret. Ne miracula narret, quæ certi auctoris testimonio non commendentur. Ne incerta, & quæ falsi speciem præseferunt, commemoret. Ne futurorum prædictionem sibi sumat. Ne ex prophanis libris, quæ non sine reprehensione ab hominibus religiosis legi posse videntur, quidquam in medium afferat. Ne Patrum sententiam temerè vnquam refutet. Ne docto-

res & auctores neotericos in medium afferat. Ne sanctorum Doctorum prolixas sententias, sed breues latino sermone recitet. Ne prophanum quidquam. Non edicta laicalia. Nec cætera id generis de suggestu enunciet. Ne Indulgentias promulget; aut pauperes commendet ad eleemosinas, nisi annuente Episcopo. Ne quemquã nominatim insectetur; Vel ita verbis depingat; vt de quo loquatur facilè possint auditores animaduertere. Ne in ordinem vllum, aut statum, aut vitæ genus ab ecclesia receptum inuehatur. Ne Episcopos aliosue Prælatos; nec verò Ciuiles magistratus asperius obiurget; sed si quando occasio tulerit piè potiùs admoneat. Ne vitijs exagitandis quasi furenter iratus exscandescat nimis. Ne iniuriosa verba proferat neq; ignominiosa. Ne obtrectationibus, quæ aliquando fiunt, & querimonijs de suggestu respondeat. Ne de suggesta vnquam conqueratur sibi coronam non adesse frequentium auditorum. Ne aures facilè præbeat laicis Clericorum vitæ detrahentibus, aut Ciuitatis Rectorũ: sed omnia ante diligenter diuq; perpendat quàm ad reprehensionem descendat. Ne statim cum concionari aggressus est; sed postquam aliquot concionibus habitis prudentis, docti, & religiosi concionatoris nomen adeptus est, ad vitia acrius insectanda se conferat. Sed in omni genere, atq; in omni admonitionis & exhortationis officio eam beneuolentiam & charitatem auditoribus suis ostendat qua parens liberos amplectitur, assiduèq; secum reputet quod Apostolus scripsit. *Filioli quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis.*

§ 8. *De forma componenda Concionis.*

CVm ars concionandi (quatenus respicit partes acquisitas pendentes ab industria, & labore hominis) reducatur ad artem oratoriam, seu Rethoricam: ideò non erit abs

re hic recolere illa quinq; instrumenta, seu quinq; partes artis oratoriæ, quas solent Rhetores comuniter assignare nempè *Inuentionem, Dispositionem, Elocutionem, Memoriam, Pronunciationem*. His enim quinq; constat forma Concionis; ita tamen vt tria priora spectent ad formam, vt ita dicam, intrinsecam concionis, idest ad texendam & componendam concionem, de qua forma erit sermo in hoc. §. alia duo posteriora spectent ad formam extrinsecam, idest ad habendam & recitandā ipsam Concionē; de qua forma § sequenti.

Inuentio est argumentorum ad propositionem probandam à varijs locis collectio. Nam ad tria genera vt plurimum solent omnes Conciones reuocari. 1. Genus vocatur Materiæ, vt concio de oratione, de peccato, de laudibus alicuius sancti. 2. possumus vocare expositorium seu Parafrasticum seu Humiliarium, in quo explanatur Euangelium, vel alia pars sacræ scripturæ. 3. Mixtum, & erit illud, in quo & Materia & Euangelium simul pertractatur veluti eruendo materiam ab Euāgelio, Vel reuocando Euangelium ad aliquam vnam materiam. Non difficile autem erit cognoscere statim, aut determinare in quonam ex prædictis generibus sit Cōcio, vel debeat esse. In 1. & 2. genere Propositio poterit esse simplex, & vocatur thema simplex Ver. gr. in 1. sic. (*Tentatio est vtilis*) in 2. sic: (*Euangelium est mirabile*) sed in 3. genere propositio debet esse necessariò composita v. gr. *Quod tentatio sit vtilis ostenditur ex Euangelio hodierno*) & vocatur thema cōpositum.

Proposito igitur Themate siue simplici siue composito, ad inueniendam materiam pro argumentis & probationibus oportet.

Primò inuestigare tàm subiecti quàm prædicati Nomen, Causas, Effectus, Definitionem, Partitionem, Subiecta, Adiuncta, Consentanea, Dissentanea; & quæ de ijs circumferuntur Testimonia. Nihil enim ad rem aliquam spectare potest, quod ad aliquem ex his locis non referatur. Ideò vo-

cantur (loci Argumentorum) seu aliter (loca Topica) tanquam loca capsarum, tituli que pixidum, qui indicant vbi aromata condantur. Non immoror in illorum explicatione, quia suppono illa nota concionatoribus ex Rhetoricis, & ex Dialecticis.

Secundò inspicere Circumstantias tàm Personæ, quàm facti. Circumstantiæ Personæ sunt 11.

Consilium, Affectus, Natura, Oratio, Nomen
Sors, Habitus, Virtus, Studia, Facta, Casus.

Consilium importat opiniones, intentiones; fines, ad quos Homo dirigit suas actiones & vitam.

Affectus vocantur illæ passiones quæ solent animum perturbare, suntq; etiam 11. nimirum Amor, Odium, Desiderium, Fuga, Delectatio, Tristitia, Audacia, Timor, Spes, Desperatio, Ira.

Natura. Sub hac continetur Natio, Patria, Genus, Parentes, Sexus, Conditio, Qualitates naturales, vt si ingeniosus pulcher, robustus &c.

Oratio idest sermo, lingua, idioma, modus loquendi, eloquentia, vis in dicendo &c.

Nomen tam proprium vt Petrus Paulus &c. quam appellatiuum vt Religiosus, Secularis. Ab appellatiuis melius est ducere argumenta vtpotè imposita magis studiosè, & cum ratione; nisi fortè nomen propriũ esset diuinitus impositum.

Sors amplectitur hæc illa omnia bona & mala quæ vocantur fortunæ, vt esse diuitem, pauperem. &c.

Habitus significat qualitatem quamdam, quæ est difficilè mobilis, vtpotè comparatam diuturno studio & frequentatis actibus. Huiusmodi sunt scientiæ, & Artes vt ars canendi, pulsandi, scribendi, pingendi &c.

Virtus importat educationem, amicitias, conuersationes, modum viuendi.

Studia. Studium est vehemẽs applicatio animi ad aliquid

vt

vt Poesis, &c. Igitur per studia intelliguntur applicationes ad varia negotia, artes, & scientias.

Facta omnia quæ quis egit, agit, & acturus est, compræhenduntur hoc verbo (facta.)

Casus importat omnia, quæ acciderunt fortuitò Personæ, vt vulnera, mors, amissio rerum &c.

Circumstantiæ facti sunt octo.

Quis, Quid, Vbi, Per quæ, Quoties, Cur, Quomodo, Quando.

Quis. Dicit Personam, quæ operata est factum, cuius circumstantias explicamus v. g. Homicidium.

Quid. Dicit rem factam. Si fuit homicidiũ proditorium, in rixa, casuale &c.

Vbi. Dicit locum si fuit sacer vel prophanus; in publico aut occulto.

Per quæ. Dicit media & auxilia, v. g. si vulnerauit gladio, aut lapide, si solus vel cum socijs.

Quoties. Dicit numerum rei patratæ. Multi non ponunt hanc inter circumstantias.

Cur. Dicit motiuum & finem, vnde mota est illa persona ad talem actionem patrandam, si propter lucrum, aut vanam gloriam, aut amicitiam.

Quomodo. Dicit modum actionis si audacter aut modestè; si velociter aut tardè.

Quando. Dicit tempus si de die vel noctu: si manè vel serò &c.

Tertiò legere Auctores quærendo in illis quicquid pro themate proposito deseruire potest. In primis laudatur Sanctus Thomas in sua summa; quia non erit fortè materia vlla tractabilis in Concione, de qua ipse non agat. Expediens erit illum videre ante: tum ne fortè fiat error in dogmatibus fidei; quicquid enim ipse docet potest inoffenso pede prædicari: tum quia in illo inueniemus rationes solidas, plurimasque auctoritates etiam sacræ scripturæ & Patrum, quæ

auctoritatem & splendorem dabunt nostræ concioni: tum quia ansam dabit nobis nouas rationes & conceptus adinueniendi ex eo, quod ipse optimè explicat naturas rerũ, quas tractat. Poterunt etiam alij Scholastici videri, vt Diuus Bonauentura & Neoterici qui explicant res satis benè & fusè. Non erit abs re videre auctores qui exponunt illud Euangelium præcipuè Patres: & eos qui super idem Euangelium conciones habent: item videre auctores qui tractant materiam nostri thematis tàm quoad subiectum, quàm quoad prædicatum. Et si adhuc posito toto præcedenti apparatu, & collecta supellectile non habemus materiam sufficientem pro texenda concione, poterimus alios etiam libros peruoluere, & videre in indice si de illa materia pertractant, vel si exponunt aliquem textum illius Euangelij, quod occurrit.

Quartò fabricare ex nobis ipsis conceptus Ex. sacra Scriptura. Quod quomodo debeat & possit fieri videndus est *Aresius de arte prædicandi lib. 1. cap. 16. & sequentibus.* Verùm quia non satis est inuenire quid dicas, nisi etiam scias inuenta disponere; ideò post Inuentionem argumentorum, conceptuum, probationum, & materiæ ad nostram Concionem deseruientium, necesse est illa disponere. Igitur

Dispositio est probationum inuentarum in suis locis congrua & accommodata distributio. Triplicem autem dispositionem debet Concionator seruare. 1. inter partes præcipuas Concionis, quas septem enumerat *Aresius*, nempe *Proœmium, Introductionem, Propositionem, Confirmationem, Finem primæ partis Concionis, secundam partem, & Epilogum.* Verùm quia ipse supponit Concionem esse diuidendã in duas partes, quod non semper nec vbiq; terrarum nec ab omnibus obseruatur, ideò melius possumus diuidere Concionem in quatuor partes, nempè in *Exordium Narrationem, Confirmationem, Epilogum.* Vel breuius in tres partes, *Propositionem, Confirmationem, Conclusionem, seu Epilogum.* 2. dispositio erit inter argumenta seu conceptus;

quia

quia cum possimus quamlibet propositionem probare pluribus argumentis dispositio docet nos quodnam ex illis primo loco, quodnam secundo debeamus collocare. 3. dispositio erit in forma vnius & eiusdem argumenti, vt omnia ordinatè procedant. Esset hic agendum de singulis præfatis dispositionibus, & de singulis partibus primæ dispositionis scilicet de illis aut septem, aut quatuor, aut tribus iuxtà diuersorum placita; sed quia nimium excederemus limites nostri instituti; præterquam quod esset actum agere; ideò remitto Lectorem ad eos qui agunt de arte oratoria, & de arte Concionandi; inter quos videri poterit *Aresius lib. 2. de Arte concionandi* Italico idiomate (*Dell'arte de ben predicare*) *Et Iacobus Peresius de sacra ratione concionandi*. Et *Ludouicus Granatensis Rhetorica Ecclesiastica* & alij Auctores.

Elocutio est tertium instrumentum Oratoris & Concionatoris; quia non satis est inuenisse materiam, eamq; disposuisse; sed necesse est etiam habere verba, quibus inuenta & disposita auditoribus proferas: & non solum proferas quocunq; modo; sed ornatè & apposité & ad persuasionem. Quamuis enim tria sint officia concionatoris, immo cuiuslibet oratoris scilicet *Docere*, *Delectare*, *Mouere*; hoc tamen vltimum, quod est *Mouere*, *seu Persuadere* primum obtinet locum in dignitate. & quia est finis oratoris; & reliqua duo sunt media ordinata ad hunc finem; ideò enim orator & Concionator docet & delectat dicendo, vt tandem moueat auditorem, & persuadeat illi esse faciendum, vel fugiendum quod ipse dicit: & vt trahat auditorem in suam sententiam. De *elocutione etiam videri possunt auctores citati præsertim Aresius lib. 3.*

Referam hic monita quædam à S. Carolo Borromæo relicta, ad nostrum institutum facientia contenta *in Actis Ecclesiæ Mediolanensis par. 4. de Instruc. præd. verb. Dei.*

Eloquutionis genus, *inquit*, exquisitum ne affectet. Fucum sermonem fugiat. Imperitæ multitudinis consuetudinem so-

quendi ne sequatur, cum in ea sint multa absurda, multaq; indigna Concionatoris grauitate. Dicendi forma vtatur, cui per artem, atq; exercitationem par esse possit. Verba antiqua & peregrina fugiat. Fati, Fortunæ, Infortunij nomina, aliaq; id generis ab Ecclesiæ vsu iampridem explosa omninò cauebit. Anicularum non adhibeat prouerbia. Inflata oratione ne vtatur sed graui. Exordiatur moderato & temperato dicendi genere; in quo exordio vitentur similitudines præsertim poetico more explicatæ. Vocabulorum frequentem synonimiam omnino caueat, nisi cum vnum altero significantius aut magis proprium fuerit. Metaphoras, similitudines, & exempla à rebus maximè notis & insignibus sumat; nam deijcit maiestatem orationis qui à rebus humillimis similitudines frequenter trahit. Eiusdem rei repetitionem vitet, quoniam molesta est, & affectum restinguit. Cum de peccatis ad luxuriam pertinentibus agit cautionem adhibeat ne imprudens in obscæna verba incidat. Et videat in primis ne loquendo turpes cogitationes inijciat. Adulationis verba omnino fugiat cum de Magistratibus, aut apud eos verba facit. Ambitiosum dicendi genus caueat. Splendidos titulos, & nomina adiuncta illustria, vt serenissimus Dauid, planè reijciat. Honorifica tamen breuiq; præfactione eos viros excipiet, quorum exempla proponit ad imitationem. Verba Ecclesiastica, & siminus elegantiæ habent ne dicere recuset: at prophana & noua repudiet omnino. Apostolos, Martyres Confessores, Virgines, & qui cælesti gloria perfruuntur sancti nomine semper appellet. Dictionem vitet, quæ indignationem & fastidium parit præsertim cum de incommodis suis loquitur. Attentionem cum petit ne arroganter faciat; neue se magna dicturum & admirabilia polliceatur. Ne ambiguè loquatur, vt eadem oratio varium sensum possit afferre. Ne concisè item vt auditores incerti sint, & animo pendeant. Nè obscurè vt dictum facilè percipi non queat.

§. 9.

§. 9. De Forma Concionis recitandæ.

QVinq; diximus esse partes, seu vt alij dicunt instrumenta artis oratoriæ seu Rhetoricæ nempe *Inuentionem*, *Dispositionem*, *Elocutionem*, *Memoriam*, *Pronunciationem*. Tria priora diximus spectare ad formam componendæ Concionis & orationis, quam appellauimus formam intrinsecam, de quibus. §. superiori. Restaret hic agendum de alijs duobus pertinentibus ad formam recitandæ orationis quam vocamus formam extrinsecam; & sunt *Memoria*, & *Pronunciatio*. Plurimi hæc duo complectuntur in vno, quod vocant Actionem.

De Memoria & Pronunciatione latè tractant Auctores suprà citati, præsertim Aresius lib. 4. per totum.

Hic iuuat afferre monita S. Caroli Borromæi *in Actis eccles. Mediolan. loc. cit. Sic igitur ait.* Primò totam concionem accommodabit concionator ad ingenium, conditionemq; hominum, apud quos concionaturus est. Nihil enim ineptius & absurdius dici, fingiuè potest quàm si in pauperrimo pago apud rusticos fame, frigoreq; confectos ita concionetur, vt in opiparas epulas, splendidissimas vestes auro argentoq; intextas, quas homines indigentissimi ne somniarunt quidem, perpetuò inuehatur. Concionaturo igitur hæc erunt cogitanda omnia, non solum scilicet auditorum status, sed etiam locus, tempus, res, de qua dicturus est, & personæ suæ auctoritas, & vitæ genus vt aptè, decore, conuenienter & cum dignitate concionetur. Itaq; rudibus faciliora, doctis subtiliora & sublimiora, variamq; eruditionè subministrabit. Sed quando non æqualis est omnium conditio, vt diximus, nec idem vitæ modus, certè concionis argumentum non dissimile erit à statu eorum qui audiunt. Et verò quemadmodum ab audientium conditione discrepare non de-

bet: ita talem etiam esse conuenit, qualem eorum mores requirunt. *Mendaces Cretenses, malæ bestiæ, ventres pigri* inquit S. Paulus. Omnis porrò obiurgatiō vel acerrima ad eorum emendationem adhibenda fuit. Duri certè obiurgādi sunt & tractandi durius: at mitius qui in pestitera viuendi consuetudine non persistunt. Hoc docet idem Sanctissimus Pontifex Gregorius exemplo Galli, qui vt media nocte in arctissimo hominum somno raucè quodammodo canit, deinde sub auroram suauius cantum emittit: ita concionator homines in peccatorū quasi somno grauissimè dormientes obiurgationibus acribus excitet: tum ijs verò qui in via virtutis tanquam vigilantiores facti sunt cohortationum suauitate alliciat ad omnem in rectè sanctèq; agendo progressionem. Neq; præterea concio diuersa erit ab euangelij, quod eo die à populo auditum est, historia: quæ si subministrat genus cōcionandi de penitentia, non aliud concionator sumet, quod nullo modo conueniat cum illius diei euangelica lectione; nisi aliquando à reproposita digrediendi materiam aliquis locus, aut occasio præbeat.

Præterea de Voce & Corporis Motu hęc ibidem præscribuntur. Vocem & actionem ita temperare conabitur Concionator, vt non ex arte petere; sed verè & ex natura dicere videatur. Pro rerum, quas dicit varietate, voce & gestu vario vti studebit: ne fortè res mediocres aut etiam fortasse leues magna contentione tractet, quasi sola voce & gestu velit persuadere: aut verò quæ magna sunt imminuat: aut cuidam recitanti potius quàm ex animo dicenti similis videatur. Ita illud vitium quoq; cauebit ne vno vocis sono tota constet oratio quod satietatem, vt plurimùm tum in dicente, tum in auditoribus parere consueuit. Vocis mollitiem vel suauitatem quamdam, magnitudinem item ne affectet; ne item in quouis genere nimiam contentionem. Vt nimiam tarditatem quasi verba difficilè inueniens, ita nimiam celerita-

rita-

ritatem fugiat; non enim proficit oratio ita effusa, sed quasi animos auditorum præteruolat. Itaq; pro rerum oportunitate nunc tardè nunc celeriter eloquatur. Canoram vocem in exordio, & magnam fugiat; hæc enim & modestum exordium esse vitat; & reliquæ orationi pronunciandæ nocet. In alijs fortasse imitandis prudentiam adhibeat; ne vel leuia quædam aut etiam vitiosa imitetur, aut ea, quę quamuis alijs conueniant, à se tamen aliena sunt. In gestu & Corporis motu tantum item faciet, quantum natura rerum patitur, quod vel ex eo discere potest si aliquos rectè natura tantum pronunciantes in communi consuetudine obseruet. Ita neq; eodem gestu semper vtatur, neq; manu eodem modo composita; neq; vno brachio tantum, neq; eodem motu Corporis, & eadem vultus moderatione. Non importunè suggestum palmis feriat; sed cum rei magnitudo poscit. Non per suggestum quasi volitabit nunc ex hoc nunc ex illo angulo prosiliens. Non quasi è suggesto medium corpus demittat, aut alijs multis motibus vtatur, qui aut deformes sunt aut digladiantis potius quàm dicentis esse videntur.

Hæc omnia facilè vitabit si Christianam modestiam, & grauitatem prædicatoris non obliuiscatur, nihilq; audebit quod suprà vires, artem, & exercitationem suam esse suspicetur, quodq; ex concepto affectu non proficiscatur.

Sed vt distinctius de pronunciatione (quę in voce, & corporis motu versatur) aliquid eloquamur, hęc Cōcionator teneat. In Exordio vocem sedatā adhibeat, & quotidiano sermoni proximā. In Narratione vocis varietate vtatur, vt quo quidquid pacto gestū sit, ita narrare videatur: es enim strenuè gestę vocis celeritate; quę verò dignitatē habent plenis faucibus, & sedatissima voce narrandæ sunt. In cohortatione quæ in Epilogo Concionis fit, primò voce vtatur attenuatissima, quæ fit faucibus contractis: deinde clamore leni non obstreparo, mox sano æquali, ac postremo voce celeri.

In conquestione item quæ pars etiam epilogi est vocem adhibeat depressam, crebra interualla, longa spatia,& magnas commutationes.

In Corporis statu & motu hæc caueat. Ne in suggesto vnquam corpore innitatur: sed rectus stet aut sedeat. Ne deiecto, ne supino, ne præduro, ne in latus inclinato capite sit, sed planè recto. Ne supercilia contrahat, ne diducat, ne remittat. Ne nares corruget, ne moueat, ne inflet, ne digito diducat, ne plena manu resupinet. Ne labia lambat, ne moueat. Ne mentum pectori affligat. Ne humeros attollat, ne rursus contrahat. Ne brachium tanquam gladiator immoderatè proijciat. Ne læuam manum iactet nisi rarò, & in maximo concionis actu. Ne manum suprà oculos tollat, ne dimittat infrà pectus. Ne fæmur feriat nisi rarò cum indignationem mouere studet. Ne pedibus supplodat nisi opportunè in summa contentione. Ne tussiat, ne expuat crebrò nisi necessitate coactus. Ne in eloquendo maiorem spiritus partem per nares effundat. Ne crebro anhelitu iumenta imitetur onere laborantia. Ne digitorum gestum indecorum adhibeat sed decentem; nempè in principijs lenem, & in vtramq; partem modicè prolatum; in narrando paulò productiorem; in reprehendendo ácrem & instantem. Ne argutijs digitorum vtatur. Hæc atq; adeò alia vt fugiat, in consilium adhibeat prædicationis vsu peritos. Et hæc dicta sint satis de Prædicatione Verbi Dei.

CAPVT X.

De Instructione simplicium & exhortationibus priuatis.

MAteria presentis capitis valdè affinis est præcedenti; instruere enim simplices & rudes de rebus spectantibus ad salutem æternam consequendam; & exhor-

exhortari priuatim ad opera pietatis,& ad peccata vitanda est prædicare verbum Dei: differentia solùm consistit in modo vt prædicare & concionari consistat in communicando populis verbum Dei cum quadam emphasi, dignitate, & Maiestate, & pro suggesto; instruere verò & exhortari sit idem verbum Dei seminare modo faciliori, humiliori & ad captum simplicium accōmodato quasi familiariter loquendo. Cum igitur hæc materia sit affinis immo eadem genericè cum præcedenti ferè omnia quæ in capite præcedenti dicta sunt, possunt proportionaliter huc applicari. Et nihilominus ne hoc caput præterijsse videamur, etiam de hac materia aliquid dicemus.

De Necessitate Instructionis simplicium, & exhortationis priuatæ.

IGitur omnibus incumbit tum verbo, tum exemplo pro ratione status & conditionis personarum, locorum & temporum promouere alios ad Cognitionem & Amorem Dei, & ad salutem æternam consequendam; nihilominus hoc munus præsertim incumbit Ecclesiasticis, & inter Ecclesiasticos præ omnibus incumbit Pastoribus animarum; vt declarauit & decreuit *Sacrum Concilium Tridentinum pluribus in locis.*

Et 1. *sess. 5. cap. 2. de reform. sic decernit.* [Archipresbyteri quoq; Plebani, & quicunq; Parochiales, vel alios idoneos si legitimè impediti fuerint diebus saltem Dominis,& festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua, & earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo ea quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annunciando eis cum breuitate & facilitate sermonis, vitia, quæ eos declinare, & virtutes quas sectari oportet vt pœnam æternam euadere,& cœlestem gloriam consequi valeant. Id verò si quis eorum præstare negligat, etiam si ab Episcopi iurisdictione quauis ratione exemptum se esse prætenderet, etiam si Ecclesiæ quouis modo

do

do exemptæ dicerentur, aut alicui Monasterio etiam extrà Diæcesim existenti forsan annexæ vel vnitæ, modo reipsa in Diæcesi sint, prouida pastoralis Episcoporum sollicitudo non desit ne illud impleatur: *Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis*. Itaq; vbi ab Episcopo moniti, trium mensium spatio, muneri suo defuerint, per censuras Ecclesiasticas seu alias ad ipsius Episcopi arbitrium cogãtur; itaut etiam si ei sic expedire visum fuerit ex beneficiorum fructibus alteri, qui id præstet, honesta aliqua merces soluatur, donec principalis ipse resipiscens officium suum impleat.]

Præterea *sess. 22. de sacrificio Missæ cap. 8. sic habetur.* [Mandat synodus pastoribus & singulis curam animarum gerentibus vt frequenter inter Missarum celebrationem vel per se vel per alios ex ijs, quæ in Missa leguntur aliquid exponant atq; inter cætera sanctissimi huius sacrificij mysterium aliquod declarent diebus præsertim Dominicis & festis.]

Vlterius *sess. 24. de reform. cap. 7. tale decretum habetur.* [Vt fidelis populus ad suscipienda Sacramenta maiori cum reuerentia atq; animi deuotione accedat præcipit Sancta Synodus Episcopis omnibus vt non solum cum hæc per se ipsos erunt populo administranda prius illorum vim & vsum pro suspicientium captu explicent; sed etiam lingua vernacula si opus sit & commodè fieri poterit, seruari studeant iuxtà formam à Sãcta Synodo in Cathechesi singulis Sacramentis præscribendam, quã Episcopi in vulgarem linguam fideliter verti, atq; à Parochis omnibus populo exponi curabunt nec non, vt inter Missarum solemnia aut diuinorum celebrationem sacra eloquia, & salutis monita eadem vernacula lingua singulis diebus festis vel solemnibus explanent, eademq; in omnium cordibus postpositis inutilibus quęstionibus inserere, atq; eos in lege Domini erudire studeant.]

Ex verbis præfatis Sac. Conc. Trid. quatuor colligere debet quilibet animarum Pastor & Rector.

Pri-

Primò obligationem & necessitatem, cui est adstrictus, docendi populum ea, quæ sunt necessaria ad salutem.

Secundò res, quas docere debet: huiusmodi sunt eæ, quas populus tenetur credere, & agere: item valor, efficacia, & virtus Sacramentorum; deniq; quidquid homines præstare debent, & quidquid cauere ad æternam salutem.

Tertiò tempus docendi, quod est saltem diebus Dominicis & festiuis.

Quartò modum, qui seruari debet in sermonibus; consistit autem ex præscriptione Concilij in tribus conditionibus; nempè vt materia quæ pertractatur sit accommodata auditorum intelligentiæ & captui; vt adsit breuitas; vt facilitas dictionis.

Quantum ad primam conditionem de materia accommodata. Optimum erit si Pastor verba faciendo ad rudes & simpliciores, omittat quæstiones difficiliores & abstrusas, contentus tradere ea, quæ Euangelium continet. Quapropter studebit prius sacri Euangelij historiam ita planè referre vt omnes intelligant omittendo altiores & subtiliores illius expositiones; deinde poterit documenta ad mores pertinentia inde deducere. Vtatur illa regula à B. Francisco suis concionatoribus præscripta, nimirum vt suus sermo quatuor veluti rotis feratur idest *reprehensione vitiorum, adhortatione virtutum, pœnarum comminatione, & promissione præmiorum.*

Quantum ad secũdam de breuitate. Hanc seruabit vt populus alliciatur ad frequentius conueniendum; curabit autem semper breuitatẽ tenere, sed præcipuè temporibus, quibus populus detinetur laboribus corporis & rerum domesticarum seu publicarũ curis & negotijs. Talis autem sit breuitas vt saltem tria puncta sermo contineat, quæ tamen non prolixè, sed tantum quantum est satis, exponantur. Illud tamen in primis curabit vt talis sit ordo & distinctio rerum dicendarum, vt auditorum memoriæ facili negotio insideant.

Quan-

Quantum ad tertiam de facilitate, & decore seruando. Studeat vt omne, quod dicturus est, sit doctrinæ sanæ, & Catholicæ consonum, cauendo idcirco ab opinionibus nouissimus aut singularibus; & generaliter caueat ab ijs rebus, quas ipse non benè tenet & percipit; ne fortè proferat aliquid, cuius ipse nequeat esse Iudex an sit benè vel malè prolatum. Et si fortè aliquid protulerit, quod non benè consentiat Catholicæ doctrinæ, de quo vel ipse postea aduertat, vel ab alijs sit admonitus, curet prima sequenti vice, qua verba facturus est, declarare quod malè, aut ambiguè, aut obscurè, aut æquiuocè locutus est, ne populus deceptus existat. Cæterum quæ hic possent adduci de obseruandis aut vitandis in sermone habendo videantur *suprà cap. anteced.* §. 7. *de materia Concionum, versus finem*.

CAPVT. XI.
De Correctione Fraterna.

ILlud Domini præceptum, quod habetur Matth. 18. illis verbis. *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum*. Quod est præceptum correctionis fraternæ ad omnes Christi fideles spectat sed maximè ad ecclesiasticos quia illis præcipuè incumbit cura salutis proximorum; ideò de Correctione fraterna dicturi Videbimus. 1. quanta sit necessitas huius correctionis fraternæ. 2. quæ Vtilitates inde consequantur. 3. quæ Personæ in specie teneantur ad illam. 4. quo præcepto & quibus rationibus. 5. quibus Personis sit facienda. 6 quibus modis sit facienda. 7. An dentur casus, in quibus possit imò debeat omitto fraterna Correctio.

§. 1.

§. 1. *Quanta sit necessitas Correctionis fraternæ.*

MAior est necessitas Correctionis fraternæ (debitis loco, tempore, & modo faciendæ vt dicemus) quàm sit necessitas eleemosinæ indigenti; & medicinæ ægroto. Et ratio est, *vt inquit Diuus Thomas*, quia est remedium contrà peccatum alterius. Peccatum autem alicuius dupliciter cõsiderari potest. Vno quidem modo inquantum est nociuum ei qui peccat. Alio modo inquantum vergit in nocumentum aliorum, qui ex eius peccato læduntur & scandalizantur: & etiam inquantum est nocumentum boni communis, cuius iustitia per peccatum hominis perturbatur. Duplex ergo est correctio delinquẽtis & vtraq; necessaria. Vna quidem, quæ adhibet remedium peccato inquantum est quoddam malum ipsius peccantis, & ista est propriè fraterna correctio quæ ordinatur ad emendationem delinquentis; & est actus Charitatis nõ minus ac eleemosina, immo magis, quemadmodum maior Charitas est remouere malum spirituale, quàm remouere malum temporale siue corporale in proximo: per correctionem autem repellimus malum spirituale fratris, scilicet peccatum. Alia verò correctio est, quæ adhibet remedium peccati delinquentis secundùm quod est in malum aliorum, & præcipuè in nocumentum boni communis; & talis correctio est actus iustitiæ, cuius est conseruare rectitudinem iustitiæ vnius ad alterum.

Deducitur etiam eius necessitas ex hoc, quod valdè congruit, immò est necessaria loco in quo viuimus, scilicet in terris. In Cælo enim non habet locum correctio, cum nulla ibi sit peccati corruptio. In Inferno non est possibilis, quia damnati sunt obstinati in malo. Sed hic in terris, in hac lachrymarũ valle & est peccati corruptio, & est possibilis correctio. Propterea Deus posuit hominem in hoc loco vt sub

virga diuinæ disciplinæ viueret & mala sua ibi corrigeret. Corrigibilitas est de maximis bonis præsentis vitæ, quo bono amoto melius esset homini si natus non fuisset. Cur tot peccatores damnati sunt nisi quia defuit eis disciplina correctionis? de qua Regius Psaltes ait *Et disciplina tua correxit me in finem, & disciplina tua ipsa me docebit.* Est igitur necessaria in mundo correctio

Est etiã maximè necessaria correctio ex parte ipsius Personæ corrigendæ dupliciter. 1. vt distinguatur à Diabolo; corrigibilitas enim distinguit moraliter homines malos à Diabolo; quia mali dum degunt in hac mortali vita susceptibiles sunt correctionis; Diabolus verò nequaquam: Vnde incorrigibilitas reddit hominem valdè similem Diabolo. Dicitur enim Eccles. 21. *Qui odit correptionem, vestigium est peccatoris* Vestigium autem pedis assimilatur pedi; sic vestigium peccatoris assimilatur peccatori; peccator autem per antonomasiam dicitur Diabolus. 2. Ne damnetur; nam defectus correctionis est valdè noxius & periculosus: vbi enim deest correctio, ibi abundat peccati corruptio. Vnde qui odit correctionem videtur amare corruptionem:& ideò qui hic non corriguntur, in inferno damnantur. Habetur in Exodo quod Moyses proiecit virgam, & versa est in colubrum. Coluber occidit; Virga autem non occidit; vt habetur in Prouer. 23. *Si percusseris eum virga non morietur*. Virga igitur correctionis vertitur in colubrum, quia qui hic non corrigitur, à serpentibus infernalibus in futuro cruciabitur. Sic enim habetur etiam in Prouerbijs. *Qui increpationes odit morietur*. Item ibidem 29. *Viro, qui corripientem se dura ceruice contemnit, repentinus ei superueniet interitus.* Hinc dicebat Dauid. *Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Vt igitur delinquens distinguatur à Diabolo: & vt effugiat damnationem æternã, necessaria est illi fraterna correctio.

§. 2.

§.2. *Quæ vtilitates ex fraterna correctione oriantur.*

MVltæ vtilitates consequuntur ex correctione. Prima est Animæ sanatio. Qui enim non suscipit correctionem est signum mortis. Vnde Iob. 5. dicitur. *Beatus homo qui corripitur à Domino. Increpationem ergo Domini ne reprobes; quia ipse vulnerat & medetur; percutit & manus eius sanabunt.* Sic enim putridæ carnes ferro, & cauterio curantur; sic peccata austeritate & dolore expellũtur Iob. 36. *Reuelabit aurẽ eorũ* (.s. peccatorũ) *vt corripiat, & loquetur vt reuertantur ab iniquitate.*

Secunda est. Maculæ cognitio. Nam sermo corrigentis quasi speculum peccatori proponitur. Mulier autem habens speculum ante se quod tortum viderit corrigit, & non frangit speculum; ita iustum est vt peccator ad correctionem fratris se emendet. In Prou. 19. *Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus.* Et ibidem 28. *Qui corripit hominem postea gratiam inueniet apud eum magis quàm ille qui per linguæ blandimenta decipit.*

Tertia est. Malorum ab inuicem separatio. Sicut enim in sepè vna spina aliam defendit: & sicut squamæ sibi inuicem colligantur vt nec spiraculum quidem per eas transeat; sic mali & peccatores separandi sunt ab inuicem per correptionem. In Osea. 5. *In desolatione erit in die correptionis. In tribubus. Israel ostendi fidem, &c.*

Quarta est. Præseruatio aliorum à malo maximè per correctionẽ iustitiæ. Vnde *S. Ambrosius super Epistolã ad Corint. 1. dicit sic.* [Peccatum vnius quod cognitum non arguitur multos contaminat; immò omnes qui norunt & non deuitãt, aut cum possint arguere dissimulant. Non enim sibi videtur peccare, quando à nullo corripitur vel vitatur.

§. 3. *Quæ Personæ in specie teneantur ad correctionem fraternam.*

QVærit *D. Tho. 2. 2. q. 33. a. 3.* Vtrũ correctio fraterna pertineat solum ad Prælatos. & respondet cũ distinctione hoc modo. [Duplex est, *inquit*, correctio. Vna quidem quæ est actus Charitatis, quæ specialiter tendit ad emendationem fratris delinquentis per simplicem admonitionem, & talis correctio pertinet ad quemlibet Charitatem habentem siue sit subditus siue Prælatus. Est autem alia correctio quæ est actus iustitiæ, per quam intenditur bonum cõmune, quod nõ solum procuratur per admonitionẽ fratris, sed etiam interdum per punitionem vt alij à peccato timentes desistant. Et talis correctio pertinet ad solos prælatos, qui non solum habent admonere sed etiam corrigere puniendo.]

Quamuis autem omnes teneantur ad correctionem fraternam negari tamen non potest quin Ecclesiastici magis teneantur quàm laici, & inter Ecclesiasticos magis Prælati quàm subditi (loquor de Correctione propriè fraterna, quæ ad omnes pertinet) Dicit enim *S. Hieronymus*. [Sacerdotes studeant illud Euangelium implere. Si peccauerit in te frater tuus vade & corripe eum &c.] Et *Diuus Augustinus in primo de Ciuit. Dei*. [Sicut enim temporalia beneficia potius debet aliquis exhibere illis, quorum curam temporalem habet: ita etiã beneficia spiritualia puta Correctionem, doctrinam, & alia huiusmodi magis debent exhibere illis, qui sunt suæ spirituali curæ commissi.]

Quæres quid si Ecclesiasticus siue Prælatus siue subditus: aut etiam laicus sit in peccato mortali, tenetur ne habere correctionem fraternam ad fratrem delinquentem? Respondeo *ex sententia Diui Thomæ* cum distinctione. Peccator per se loquendo tenetur corrigere delinquentem, & ratio est. quia correctio delinquentis pertinet ad aliquem, inquantum

tum

tum viget in eo rectum iudicium rationis: At peccatum non tollit totum bonum naturæ, quin remaneat in peccante aliquid de recto iudicio rationis; ergo omnis etiam peccator per se loquendo tenetur ad Correctionem, modò concurrant alia requisita, de quibus infra. Per accidens autem peccator impeditur à correctione propter tria scilicet Vel ratione suppositi indigni. Vel ratione superbiæ. Vel ratione scandali.

Primò ratione suppositi indigni: ex peccato enim præcedenti indignus aliquis redditur vt alium corrigat, & præcipuè si maius peccatum commisit non est dignus vt alium corrigat de minori. Vnde super illud Matth. 7. *Quid vides festucam &c.* dicit Hieronymus. De his loquitur, qui cum mortali crimine detineantur obnoxij, minora peccata fratribus non concedunt.

Secundò ratione scandali, quod sequitur ex correctione, si peccatum corripientis sit manifestum, quia videtur quod ille qui corrigit non corrigat ex Charitate, sed magis ad ostentationem. Vnde super illud Matt. 7. *Quo modo dicis fratri tuo &c.* exponit S. Chrysostomus. [In quo proposito puta ex Charitate vt salues proximum tuum? Non: quia teipsum saluares. Vis ergo non alios saluare, sed per bonam doctrinam malos actus celare, & scientiæ laudes ab hominibus quærere.]

Tertiò ratione superbiæ, inquantum scilicet aliquis propria peccata paruipendens seipsum proximo præfert in corde suo peccata eius austera seueritate dijudicans ac si ipse esset iustus. Vnde & *S. Augustinus dicit in lib. de sermone Domini in monte.* Accusare vitia officium est bonorum virorum & beneuolorum, quod cũ mali faciunt alienas partes agunt. *Et ideò sicut idem Augustinus dicit ibidem.* Cogitemus cum aliquem reprehendere necessitas nos cogit vtrum tale sit vitium quod nunquam habuimus, & tunc cogitemus nos homines

esse

esse & habere potuisse: Vel tale quid aliquando habuimus, & iam non habemus; & tunc tangat memoriam communis fragilitas vt illam correctionem non odium sed misericordia praecedat. Si autem inuenerimus nos in eodem vitio esse non obiurgemus, sed congemiscamus & ad aequaliter currendum inuitemus.]

Ex his ergo patet quòd peccator non excusatur à praecepto Charitatis fraternae quando vrget (quod infra videbitur) quemadmodum nec excusatur ab Eleemosina praestanda, & à quocunq; alio praecepto affirmatiuo quando obligat.

Et si obijciatur illud dictum Isidori. *Non debet vitia aliorum corrigere qui est vitijs subiectus.* Et illud Rom. 2. *In quo alium iudicas teipsum condemnas; eadem enim agis, quae iudicas.* Ex quibus locis videtur inferri quod peccator corripiens fratrem nouiter peccet, & sibi nouam condemnationem acquirat.

Respondetur quòd si corripiat cum humilitate sicut facere debet, & non cum animi elatione & ex tumore superbiae, non peccat: quamuis per hoc vel in conscientia fratris, vel saltem sua condemnabilem se esse ostendat.

§. 4. *Quo praecepto, & quibus rationibus Homines teneantur ad Correctionem fraternam.*

NVlli dubium est adesse praeceptum de correctione fraterna quod omnes afficit, & habetur in illis Domini verbis Matth. 7. *Si peccauerit in te frater tuus vade & corripe eum inter te & ipsum solum &c.* super quae verba dicit *S. Augustinus.* [Si neglexeris corripere peior eo factus es, qui peccauit.] Sed hoc non esset nisi per huiusmodi negligentiam aliquis praeceptum omitteret. Et vnicuiq; mandauit Deus de proximo suo.

Sed considerandum est, *vt inquit D. Thomas*, quod sicut praecepta negatiua legis prohibent actus peccatorum, ita

prae-

præcepta affirmatiua inducunt ad actus virtutum. Actus autem peccatorum sunt secundum se mali, & nullo modo benè fieri possunt, nec aliquo tempore, aut loco; quia secundum se sunt coniuncti malo fini *vt dicitur in 2. Ethic.* Et ideò præcepta negatiua obligant semper & ad semper: sed actus virtutum non quolibet modo fieri debent, sed obseruatis debitis circumstantijs, quæ requiruntur ad hoc quod sit actus virtuosus, vt scilicet fiat vbi, quando, & secundum quod debet. Et quia dispositio eorum quæ sunt ad finem attenditur secundùm rationem finis, in istis circumstantijs virtuosi actus præcipuè attendenda est ratio finis, quæ est bonum virtutis. Si ergo sit aliqua talis omissio alicuius circumstantiæ circa virtuosum actum, quæ totaliter tollat bonũ virtutis hic actus contrariatur præcepto; si autem sit defectus alicuius circumstantiæ quæ non totaliter tollat virtutem, licet non perfectè attingat ad bonum virtutis, non est contrà præceptum. Correctio autem fraterna ordinatur ad fratris emendationem; & ideò hoc modo cadit sub præcepto secundùm quod est necessaria ad istum finem; non autem ita quod quolibet loco, vel tempore frater deliquens corrigatur. Hinc nota *Cum Caietano pro timoratis conscientijs* quod quando correctio fraterna omittitur Vel propter defectum spei emendationis, quia scilicet non sperat illum se emendaturum: Vel propter respectum humanum, quia timet ne illum offendat, aut timet ne reputetur præsumptuosus: Vel propter ignorantiã, quia non credit se in tali casu obligari: Et breuiter ex quacunq; causa omittatur; (si tamen saluatur in præparatione animi hoc, quod si crederet probabiliter quod illũ à mortali peccato retraheret, omnia postponeret Charitati fraternæ, & non omitteret correctionem) non est peccatum mortale. Et ratio est, quia in tali omissione non tollitur totaliter bonum virtutis, quia saluatur finis; saluatur.n. intẽtio emẽdationis fratris, quam intendit Charitas, & præceptũ Correctionis: & de-

& defectus solum cōtingit in alijs circumstantijs puta in considerationc temporis, modi, vel debiti, & huiusmodi; propter quos defectus veniale peccatum committitur. Omnes igitur tenentur ad Correctionem præcepto affirmatiuo; sed non ad semper, sed solum quando adest tempus, locus, & modus congruus; ita ut tunc probabiliter secutura sit emendatio fratris.

Sed vt descendamus ad particularia, & ad aliquot Personarum genera.

Prælati maximè tenentur ad correctionem faciendam; alioquin dicuntur Canes muti, vt habetur *distinct. 43. cap. sit rector. vbi dicitur.* [Sæpe namque rectores improuidi humanam gratiam amittere formidantes, loqui liberè recta pertimescunt, & iuxtà veritatis vocem nequaquam iam gregis custodiæ pastorum studio; sed mercenariorum vice deseruiunt; quia venienti lupo fugiunt dum se sub silentio abscondunt. Hinc namq; eos per Prophetam Dominus increpat dicens in Esaia. Canes muti non valentes latrare.] Propterea *dist. 47. cap. quod ad nos attinet*; [Conscientiæ nostræ conuenit semper dare operam ne quis culpa nostra de Ecclesia pereat. Si autem quis vltro & crimine suo perierit, & pænitentiam agere, & ad Ecclesiam redire noluerit; nos in die iudicij inculpatos futuros credimus, qui eorum consuluerimus sanitati: illos solos in pænis remansuros, qui noluerunt consilij nostri salubritate sanari.

Parentes etiam maximè tenentur respectu filiorum suorum. Necessarium est enim vt parentes corrigant filios; quia parens tenetur proli non solum in educatione corporali; sed etiam in disciplina morum. Vnde *dist. 47. cap. sicut hi. §. necesse dicitur sic.* [Qui in laicali habitu vxorem habuit, filios à vitijs ad virtutum studia & verbo & exemplo prouocet. Vnde Apostolus ad Ephesios scribit. Vt viri vxores suas sicut corpora sua diligant, & filios suos non ad iracundiam prouocant;

nocent; sed enutriant illos in omni disciplina & correctione Domini. Vnde de Beato Iob legitur, qui pro filijs suis quotidiana offerebat sacrificia Deo offerens holocausta per singulos dies, quos tanta Charitatis perfectione constrinxit in vnum, vt sua quisq; die conuiuiũ faceret cæteris fratribus, & ad epulandum secum tres sorores ipsorum pariter inuitarent. Quod quia Heli facere dissimulauit, & falsa pietate ductus filios delinquentes ferire noluit vt in libris Regum legitur, apud districtum Iudicem semetipsum cum filijs crudeli damnatione percussit. Vnde ei diuina voce dictum fuit. Honorasti filios tuos plus quàm me.]

Domini quoq; respectu famulorum suorum tenetur. Necessarium est enim vt qui præest in domo corrigat familiam; quia familia debet per Dominum corrigi, ad bonumq; incitari ne descendant in infernum viuentes quoniam nequitiæ in habitaculis eorum, vt dicit Psalmista. Et sicut dicit Apostolus 1. ad Timotheum. *Qui suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.*

§. 5. *Quibus Personis sit facienda Correctio.*

Sicut omnes tenentur ad Correctionem actiuè, idest ad faciendam; ita etiam passiuè, ad recipiendam; Vnde omnibus est facienda. Sed est specialis difficultas de Prælatis; Vtrum scilicet subditus teneatur corrigere Prælatũ suum? Cui difficultati *Sanctus Thomas 2.2.q.33.art.4.* respondet cum distinctione. [Correctio, *inquit*, quæ est actus iustitiæ per correctionem pænæ non competit subdito respectu Prælati: Sed correctio fraterna quæ est actus Charitatis pertinet ad vnumquemque respectu cuiuslibet personæ, ad quam debet habere Charitatem si in ea aliquid corrigibile inueniatur. Actus enim ex aliquo habitu vel potentia procedens se extendit ad omnia quæ continentur sub obiecto illius potentiæ

vel habitus:sicut visio ad omnia quæ continentur sub obiecto visus: sed quia actus virtuosus debet esse moderatus debitis circumstantijs; ideò in correctione, qua subditi corrigunt Prælatos, debet modus congruus adhiberi, vt scilicet non cum proteruia & duritia sed cum mansuetudine & reuerentia corrigantur. Vnde Apostolus dicit 1. ad Timot. *Seniorem ne increpaueris, sed obsecra vt patrem. Hinc Augustinus dicit in Regula.* Non solum vestri, sed etiam ipsius, (idest Prælati) misere mini, qui inter vos quanto in loco superiori tanto in periculo maiori versatur. Correctio autem est opus misericordiæ.] Et quamuis *Diuus* Gregorius dicat. *Sanctorum vitam corrigere non præsumant nisi qui de se meliora sentiunt.* Nemo autem debet de se meliora sentire, quàm de Prælato suo. Nihilominus benè satisfacit Diuus Thomas dicendo. Quod præsumere se esse simpliciter meliorem suo Prælato videtur esse præsumptuosæ superbiæ: Sed æstimare se meliorem quantum ad aliquid non est præsumptionis; quia nullus est in hac vita qui non habeat aliquem defectum. Et etiam considerandum est quod cum aliquis Prælatum charitatiuè monet non propter hoc se maiorem existimat; sed auxilium impertitur ei, qui quanto in loco superiori, tantò in periculo maiori versatur, vt dicit Augustinus.

Itaq; omnibus facienda est Correctio. Et quidem filijs talis adhibenda est vt etiam pænalis si opus sit; immo pænalis de vltimo supplicio. Quod etiam ethnicos fecisse legimus *apud Val. Max. lib. 5. cap. 8.* qui adducit quædam exempla. Referam hic quatuor. Primum de Bruto, qui filios virgis cæsos & ad palum religatos securi percussit, quia volebant dominationem Tarquinij à se expulsam introducere. *Patrem exuit* (inquit Valerius) *vt Consulem ageret, orbusq; viuere, quàm publicæ vindictæ deesse maluit.* Secundum de Cassio, qui filium suum ob crimen affectati regni damnauit, & verberibus affectum necari iussit, peculiumq; eius Cereri consecrauit. Tertium

tium de Manlio Torquato, qui filium suum, eo quod probatum esset ipsum accepisse pecuniam à socijs, indignum iudicauit domo sua; qui filius, scilicet Decius Syllanus, se suspendit, cuius exequijs nec pater interfuit. Quartum de Aulo Fuluio, qui filium suum amicitiam Catilinæ sequutum ad se reuocauit, & propria manu interfecit. Dixit enim *non se Catilina illum aduersus patriam, sed patria aduersus Catilinam genuisse.*

§. 6. *Quibus modis facienda sit correctio seu de requisitis ad illam.*

VT Correctio suum sortiatur finem, qui est emendatio fratris, quatuor exiguntur.

Primò. Vt Correctio fiat cũ misericordia, cum iustitia, cũ humilitate: ideo dicitur in Euangelio. *Si.* nã litera illa. *S.* aliquando scribitur per virgulam rectam; vbi notatur rectitudo iustitiæ; & super illam producitur virgula reflexa quæ designat flexibilitatẽ misericordię. & litera. I. cum sit minima inter cęteras designat humilitatẽ. Quę omnia vno verbo dicũt Correctionẽ debere esse moderatam. Vnde illla Carmina.

Immoderata facit correctio deteriorem.
Sed moderata illi correctio gignit amorem,

Secundò. Vt peccattum, de quo fit correctio sit mortale: ideò dicitur, (*peccauerit*)

Tertiò. Vt corrigens credat probabiliter eum, qui corripitur, recepturum correptionem & se emendaturum: ideò dicitur *in te*, idest, te sciente, vel contrà te, vel malo exemplo te corrumpente.

Quartò. Vt locus & tempus oportunè se offerant ad faciendam correctionem: ideò dicitur, (*frater tuus*) Cum enim *li, tuus*, sit pro nomen possessiuum designat quod frater, quem corrigere intendis, sit in potestate tua quoad locum & tempus correctionis. Locus vt sit in occulto; ideò dicit (*inter te*

vel habitus: sicut visio ad omnia quæ continentur sub obiecto visus: sed quia actus virtuosus debet esse moderatus debitis circumstantijs; ideò in correctione, qua subditi corrigunt Prælatos, debet modus congruus adhiberi, vt scilicet non cum proteruia & duritia sed cum mansuetudine & reuerentia corrigantur. Vnde Apostolus dicit 1. ad Timot. *Seniorem ne increpaueris, sed obsecra vt patrem. Hinc Augustinus dicit in Regula.* Non solum vestri, sed etiam ipsius, (idest Prælati) miseremini, qui inter vos quanto in loco superiori tanto in periculo maiori versatur. Correctio autem est opus misericordiæ.] Et quamuis *Diuus* Gregorius dicat. *Sanctorum vitam corrigere non præsumant nisi qui de se meliora sentiunt.* Nemo autem debet de se meliora sentire, quàm de Prælato suo. Nihilominus benè satisfacit Diuus Thomas dicendo. Quod præsumere se esse simpliciter meliorem suo Prælato videtur esse præsumptuosæ superbiæ: Sed æstimare se meliorem quantum ad aliquid non est præsumptionis; quia nullus est in hac vita qui non habeat aliquem defectum. Et etiam considerandum est quod cum aliquis Prælatum charitatiuè monet non propter hoc se maiorem existimat; sed auxilium impertitur ei, qui quanto in loco superiori, tantò in periculo maiori versatur, vt dicit Augustinus.

Itaq; omnibus facienda est Correctio. Et quidem filijs talis adhibenda est vt etiam pænalis si opus sit; immo pænalis de vltimo supplicio. Quod etiam ethnicos fecisse legimus *apud Val. Max. lib. 5. cap. 8.* qui adducit quædam exempla. Referam hic quatuor. Primum de Bruto, qui filios virgis cæsos & ad palum religatos securi percussit, quia volebant dominationem Tarquinij à se expulsam introducere. *Patrem exuit* (inquit Valerius) *vt Consulem ageret, orbusq; viuere, quàm publica vindicta deesse maluit.* Secundum de Cassio, qui filium suum ob crimen affectati regni damnauit, & verberibus affectum necari iussit, peculiumq; eius Cereri consecrauit. Tertium

tium de Manlio Torquato, qui filium suum, eo quod probatum esset ipsum accepisse pecuniam à socijs, indignum iudicauit domo sua; qui filius, scilicet Decius Syllanus, se suspendit, cuius exequijs nec pater interfuit. Quartum de Aulo Fuluio, qui filium suum amicitiam Catilinæ sequutum ad se reuocauit, & propria manu interfecit. Dixit enim *non se Catilina illum aduersus patriam, sed patria aduersus Catilinam genuisse*.

§. 6. *Quibus modis facienda sit correctio seu de requisitis ad illam.*

VT Correctio suum sortiatur finem, qui est emendatio fratris, quatuor exiguntur.

Primò. Vt Correctio fiat cũ misericordia, cum iustitia, cũ humilitate: ideo dicitur in Euangelio. *Si*. nã litera illa. *S*. aliquando scribitur per virgulam rectam; vbi notatur rectitudo iustitiæ; & super illam producitur virgula reflexa quæ designat flexibilitatẽ misericordię. & litera. I. cum sit minima inter cęteras designat humilitatẽ. Quę omnia vno verbo dicũt Correctionẽ debere esse moderatam. Vnde illla Carmina.

Immoderata facit correctio deteriorem.
Sed moderata illi correctio gignit amorem,

Secundò. Vt peccattum, de quo fit correctio sit mortale: ideò dicitur, (*peccauerit*)

Tertiò. Vt corrigens credat probabiliter eum, qui corripitur, recepturum correptionem & se emendaturum: ideò dicitur *in te*, idest, te sciente, vel contrà te, vel malo exemplo te corrumpente.

Quartò. Vt locus & tempus oportunè se offerant ad faciendam correctionem: ideò dicitur, (*frater tuus*) Cum enim *lt, tuus*, sit pro nomen possessiuum designat quod frater, quem corrigere intendis, sit in potestate tua quoad locum & tempus correctionis. Locus vt sit in occulto; ideò dicit (*inter te*

& ipsum solum) Tempus vt sit aptum, vt ille sit dispositus ad correctioné recipiendam: omnia enim debent fieri tempore oportuno ne quodammodo inferatur violentia rebus. Vnde canit ouidius.

Dum furor in cursu est currenti cede furori
Difficiles aditus impetus omnis habet.
Stultus ab obliquo qui cum discedere possit
Pugnat in aduersas ire natator aquas.
Impatiens animus nec ad huc tractabilis arte
Respuit, atq; odio verba monentis habet.
Aggrediar melius tunc cum sua vulnera tangi
Iam sinet, & veris vocibus aptus erit.
Quis matrem nisi mentis inops in funere nati
Flere vetat, non hoc illa monenda loco est.
Cum dederit lachrymas animumq; impleuerit ægrum
Ille dolor verbis emoderandus erit.
Temporibus medicina valet; data tempore prosunt
Et data non apto tempore vina nocent.

Et quia varia sunt genera, conditiones, & temperamenta personarum quibus adhibenda est correctio; ideò sciendum quod circa corrigendos est quadruplex differentia. Quidam corrigendi sunt cum amore: tales sunt humiles & mansueti, qui si aliquando offendunt, continuò resipiscunt, & leui admonitione emendantur. Vnde S. Augustinus. *Prudentem virum, & corrigi paratum breuiter admonuisse sufficiat.* Immò aliquando sola superioris respectione corripitur S. Ambrosius super psalmos. *Iusti aspectus perfectioribus letitia est; plerumque verò correctionis admonitio.* Ideò dicitur in Euangelio. *Vade & corripe eum inter te & ipsum solum*, idest dulciter & secretè. Quidam corripiendi sunt cum rigore sicut astuti, qui peccata sua abnondunt & defendunt nec se corrigere volunt. tales corrigendi sunt cum rigore & astutia, vt fecit Daniel cõtrà senes qui iniustè accusauerant Susannam. Ideò dicitur in

Euan-

Euangelio. *Si te non audierit, adhibe tecum duos vel tres testes &c.* Quidam corripiendi sunt cum timore: tales sunt superbi, & præsumptuosi qui pœnis & flagellis sunt coercendi; ideò dicitur in euangelio. *Si eos non audierit dic Ecclesiæ,* id est Prælato. Quidam sunt corripiendi cum rubore: tales sunt obstinati qui debent præcidi & excommunicari ab Ecclesia; ideò dicitur in Euang. *Si Ecclesiam non audierit sit tibi tanquam ethnicus & publicanus.*

§. 7. An dentur casus, in quibus omitti possit Correctio.

DIuus *Thomas 2. 2. q. 33. art.* 6. quærit Vtrum quis debeat à Correctione cessare propter timorem ne fiat ille corrigendus deterior. & respondet cū distinctione inquiens. Duplex est correctio delinquentis. Vna quidem pertinens ad Prælatos, quæ ordinatur ad bonum commune, & habet vim coactiuam; & talis correctio non est dimittenda propter turbationem eius qui corripitur, tum quia si propria sponte emendari non velit cogendus est per pœnas vt peccata dimittat; tum etiam quia si incorrigibilis sit per hoc prouidetur bono communi dū seruatur ordo iustitiæ, & vnius exemplo alij deterrentur; Vnde Iudex non prætermittit ferre sententiam condemnationis in peccantem propter timorem turbationis ipsius, vel etiam amicorum eius. Alia verò est Correctio fraterna, cuius finis est emendatio delinquentis non habens coactionem sed simplicem admonitionem. Et ideò vbi probabiliter æstimatur quod peccator admonitionem non recipiat sed ad peiora labatur, est ab huiusmodi correctione desistendum; quia ea quæ sunt ad finem debent regulari secundùm quod exigit ratio finis.

Dices. Peccatum est quædam animæ infirmitas iuxtà illud Psal. 33: *Miserere mei Domine quoniam infirmus sum &c.* Sed ille cui imminet cura infirmi non debet cessare ab illius cura-

ratione ob eius contradictionem vel contemptum, quia tunc maius imminet periculum vt patet in furiosis; Ergo multò magis debet homo peccantem corrigere quantumcumque grauiter ferat.

Respondeo quòd Medicus quadam coactione vtitur in phrenetico, qui curam eius recipere non vult; & huic assimilatur correctio Prælatorum, quæ habet vim coactiuam: non autem simplex correctio fraterna.

Quærit etiã *Diuus Thomas art.* 7. Vtrùm in correctione fraterna debeat ex necessitate præcepti admonitio secreta præcedere denuntiationem. Et respondet etiam cum distinctione dicendo. Aut peccata sunt publica, aut sunt occulta. Siquidem sunt publica, non est tantum remedium ei, qui peccauit vt melior fiat; sed etiam alijs in quorum notitiam deuenit vt non scandalizentur. Et ideò talia peccata sunt publicè arguenda secundùm illud Apostoli. 1. ad Timot. 5. *Peccantes coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant.* Quod intelligitur de peccatis publicis vt Aug. dicit in lib. de Verbis Domini. Si verò sint peccata occulta, sic videtur habere locum quod Dominus dicit. *Si peccauerit in te frater tuus.* Quando enim te offendit publicè coràm alijs; iam non solum in te peccat; Sed etiam in alios, quos turbat: sed quia etiam in occultis peccatis potest parari proximorum offensa, ideò adhuc videtur distinguendum esse Quædam enim peccata occulta sunt quæ sunt in nocumentum proximorum Vel corporale, Vel spirituale, puta si quis occultè tractet quomodo Ciuitas tradatur hostibus; Vel si hæreticus priuatim homines à fide auertat. Et quia ille qui sic occultè peccat non solùm in te peccat, sed etiam in alios oportet statim procedere ad denuntionem, vt huiusmodi nocumentum impediatur (nisi fortè aliquis formiter æstimaret quod statim per secretam admonitionem posset huiusmodi mala impedire) quædam verò peccata sunt quæ

so-

ſolum ſunt in malum peccantis, & eius in quem peccatur, vel quia à peccante ſolùm læditur, vel ſaltem ex ſola notitia & tunc ad hoc ſolùm tendendum eſt vt fratri peccāti ſubueniatur. Et ſicut medicus corporalis ſanitatem ægroto confert ſi poteſt ſine alicuius membri abſciſſione: ſi aut non poteſt abſcindit membrum minus neceſſarium vt vita totius conſeruetur: ita etiam ille qui ſtudet emendationi fratris debet ſi poteſt emendare fratrem quantum ad conſcientiam vt fama eius conſeruetur, quæ quidē eſt vtilis. Primò quidē & ipſi peccanti non ſolùm in temporalibus, in quibus quantum ad multa homo patitur detrimentum amiſſa fama; ſed etiam quantum ad ſpiritualia; quia præ timore infamiæ multi à peccato retrahuntur: & quando ſe infamatos conſpiciunt irrefrænatè peccant. Vnde Hieronymus dicit. *Corripiendus eſt ſeorſum frater ne ſi ſemel pudorem vel verecundiam amiſerit permaneat in peccato.* Secundò debet conſeruari fama fratris peccantis; Tum quia vno infamato alij infamantur ſecundum illud *Augustini.* [Cum de aliquibus qui ſanctum nomen profitentur aliquid Criminis vel falſi ſonuerit, vel veri patuerit; inſtant, ſatagunt, ambiunt vt de omnibus hoc credatur:] Tum etiam quia ex peccato vnius publicato alij prouocantur ad peccandum. Sed quia conſcientia præferenda eſt famæ, voluit Dominus vt ſaltem cum diſpendio famæ fratris conſcientia per publicam denunciationem à peccato liberetur. Vnde patet, quod poteſt eſſe de neceſſitate præcepti quod ſecreta admonitio publicam denunciationem præcedat.

Dices. Religioſi tenentur ſuis Prælatis obedire; ſed quandoq; Prælati præcipiunt vel communiter omnibus, vel alicui ſpecialiter, vt ſi quid corrigendum nouerint, ſibi dicant. Ergo videtur quod eis teneantur dicere etiam ante ſecretam admonitionem; non ergo eſt de neceſſitate præcepti vt ſecreta admonitio præcedat publicam denunciationem.

℞eſpondeo quod Prælato non eſt obediendū contrà præ-

ceptum

ceptum Domini secundum illud Act. 5. *Obedire oportet Deum magis quàm hominibus*. Et ideò quando Prælatus præcipit vt sibi dicatur quod quis sciuerit corrigendum, intelligendum est præceptum sanè, saluo scilicet ordine fraternæ correctionis, siue præceptum fiat ad omnes communiter, siue ad aliquem specialiter. Sed si Prælatus expressè præciperet contrà hunc ordinem à Domino institutũ, & ipse peccaret præcipiens, & etiam alter obediens, quasi contrà præceptum Domini agens. Vnde non esset ei obediendum, quia Prælatus non est Iudex iudiciorum occultorũ sed solus Deus: Vnde non habet potestatem præcipiendi aliquid super occultis nisi inquantum per aliqua indicia manifestantur puta per infamiam, vel per aliquas suspiciones, in quibus casibus potest Prælatus præcipere eodem modo sicut & Iudex secularis vel Ecclesiasticus potest exigere iuramentum de veritate dicenda. *Ita D. Thomas loc. cit. ad 5.*

CAPVT XII.

De Irreprehensibilitate, & Integritate seruanda in omnibus vitæ actionibus.

APostolus scribens ad Timothæum ait. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse &c.* Et idem Apostolus ad Titum. *Oportet Episcopum sine crimine esse sicut Dei dispensatorem*. Et infrà. *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in grauitate, Verbũ sanum, irreprehensibile, vt is qui ex aduerso est vereatur nihil habens malum dicere de nobis*. Sub nomine autẽ Episcopi Apostolus informat omnes Ecclesiasticos vt aliàs dixi. Videndum est igitur. 1. quid intelligat Apostolus per illa verba (*Irreprehensibilem*) & (*sine Crimine*). 2. quàm necessarium sit bonum exemplum Ecclesiasticorum præsertim Pastorum. 3. quanti facere debeat Ecclesiasticus suam bonam famam apud omnes.

§. 1.

§. 1. *Quid intelligat Apostolus per illa verba* (Irreprehensibilem) & (sine Crimine.)

VErbum *Irreprehensibilẽ* dupliciter potest intelligi. Primò quod idem sit ac sine crimine, itaut dicta verba idem sonent. Esse autem sine crimine est esse sine notabili defectu, & integræ famæ ac fidei vt explicat Glosa Lirani in illis locis Apostoli. Nam Crimen quatuor modis accipitur vt ait *Glos. dist. 25. §. nunc autem verbum.* Aliquando enim significat omne delictum siue mortale, siue veniale quomodocunq; procedat vel ex deliberatione vel ex ignoranta; & ita intelligitur illud (*Nemo sine crimine viuit*) Aliquando significat delictum procedens ex mera deliberatione siue sit mortale siue veniale. Aliquando delictum dignum depositione. Aliquando infamiam procedentem ex delicto. In hac vltima significatione accipitur in epistola ad Titum *li* (*sine crimine*) idest sine infamia, & vir integræ famæ. Idem est igitur dicere *Irreprehensibilem* ac dicere esse crimine, sine infamia, & esse integræ famæ.

Secundò potest intelligi (*Irreprehensibilem*) vt idem importet ac carentem omni vitio, ac ornatum omni virtute. *S. Chrysostomus hom. 10. in Timot.* Vel *irreprehensibilem*, idest; sine reprehensione: is autem est sine reprehensione qui fungitur, vt decet, officio suo, & perfectè partes suas adimplet. Vt autem Ecclesiasticus partes suas adimpleat, debet attendere ad exemplum bonorum operum, & ad doctrinam verborum, vt idem Apostolus eodem loco ad Titum ait. *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum in doctrina* (idest informando eos verbis sacris) *in integritate* (idest puritate mentis & corporis) *in grauitate*, (idest in gestu & motu corporis composito) *Verbum sanum & irreprehensibile vt is qui ex aduerso est vereatur nihil habens malum dicere de nobis* (idest nihil habens quod re-

prehendere possit in nobis: & meritò quidem, quia vt ait. *S. Hieronymus ad Oceanũ Epist. 83.* [Futurus Pastor Ecclesię talis eligitur, ad cuius comparationem rectè grex cæteri nominentur.] *Et idem ad cap. 3. Michea ait.* Reuera qui ad hoc eliguntur vt cæteris præsint, sicut præordinantur dignitate ita præeminere debent sanctitate.

§. 2. *Quàm necessarium sit exemplum bonum Ecclesiasticorum præcipuè Pastorum.*

DE bono exemplo Ecclesiasticorum alibi tractauimus, nempe in prima parte huius operis; & multa ad hanc rem facientia reperiuntur passim apud Auctores, ideò breuiter hic agemus de hac materia.

Magnum igitur onus Ecclesiasticis incumbit bonum sui exemplũ præbendi cæteris, tum propter multas vtilitates & sibi & aliĳs inde emanantes; tum præsertim ad comprobandum id, quod alios docet; etenim exemplum quamdam occultam vim & efficaciam imprimit verbis, quibus alios instruimus, ita vt & auidius ab auditoribus excipiantur, & firmius; cordibus inhæreant, & libentius opere compleantur. Vnde *Diuus Bernardus epist. 201. ad Bal. Abbat. admonens quemdam Præsulem aiebat.* [Memento dare voci tuæ vocem virtutis vt opera tua verbis concinant, immo verba operibus, vt cures videlicet prius facere, quàm docere. Alioquin subsannabit te sapiens, vtpote pigrum illum, cui labor sit manum porrigere ad os. Arguet & te Apostolus dicens. Tu qui alios doces teipsum non doces. *Et Alibi.* Sermo viuus & efficax exemplum est operis faciens suadibile quòd dicitur, dum monstratur factibile quod suadetur.]

Sanctus Gregorius Nazianzenus suo graui eloquio commendans illum nunquam satis commendatum suum socium sanctum Basilium sic inquit *Tonitruum erat oratio tua ò Basili, & fulgur vita.* Doctrinam facit similem tonitrui, & vitæ exemplum

plum comparat fulguri. Et quidem meritò quia quemadmodum fulgur præcedit tonitruum, ſic in viro Eccleſiaſtico & præcipuè in Paſtore & Rectore Animarũ exemplum vitæ præcedere debet ſermonem quem dicit, & doctrinam quam docet: Et ſicut à fulgure ſplendor, à tonitruo autem fragor egreditur: ita bonum vitæ exemplum actus ſplendeſcere facit; doctrina autem auribus & cordibus intonat auditorum: Pariter ſicut fulgur excitat homines ad tonitruum audiendum; ita vitæ exemplum excitat homines ad doctrinam Paſtoris libentius excipiendam.

Bonitas & ſcientia ſunt quodammodo duo pedes, quibus Eccleſiaſticus Paſtor antecedere debet ſuum gregem, eumq; ad æternitatis paſcua ducere. Altero illorum deficiente non benè gradietur; nam ſcientia ſine bonitate degenerat in malitiam: bonitas autem ſine ſcientia ſapit inſipientiam. Hoc perpendens deuotus Bernardus ſuper verba Euangeliſtæ Ioannis in laudem Diui Ioannis Baptiſtæ prolata ſcilicet (*ille erat lucerna lucens & ardens*) ſic dicit. *Lucere minus eſt, ardere parum, lucere & ardere perfectum.*

Quapropter debet Eccleſiaſticus Paſtor præcedere ſuum gregem exemplo vitæ, vt quemadmodum excedit dignitate & gradu, ita vitæ bonitate, virtutibus & doctrina ſuum populum antecellat. Quod vtiq; fuit nobis oſtenſum in præcepto illo à Deo Sacerdotibus impoſito in teſtamento veteri, quo illis præcipiebatur vt ferentes arcam fæderis præcederent populum, iſq; ſequeretur, ſed tanto inter Sacerdotes & populum interualllo, vt duo millia cubitorum ſpatio diſtarent ab inuicem; Volens Deus per hoc docere nos (*vt explicat Origenes hom. 9. in 3. Ioſ.*) quantum diſtare debeat, & quantum antecellere debeat vita Paſtoris vitam gregis. Quod etiam egregiè protulit illud exemplar Paſtorum Gregorius Magnus ſic inquiens. *Tantum debet actionem populi actio tranſcendere Præſulis, quantum diſtare ſolet à grege vi-*

ta Pastoris. Esset hic addendum quot mala secum afferat malum vitæ exemplum Sacerdotum præcipuè Pastorum. Sed breuitatis gratia omitto; præsertim cum de hoc alibi egerimus. Satis etiam benè hæc adducit auctor quidam qui composuit Monita pro Rectoribus animarum *par. 1. tit. 2. cap. 2.* liber inscribitur. *Auuertimenti per l'Vfficio del Rettore Curato.*

§. 3. *Quanti facere debeat Ecclesiasticus suam bonam famam.*

FAmam, *quæ est bona & præclara existimatio apud alios*, quilibet Ecclesiasticus debet & habere, & conseruare, & augere; immo cauere ne amittat. *Oportet autem* ait Apostolus. 1. Timot. 3. *& illum testimonium* (bonæ vitæ) *habere ab illis qui foris sunt* (ab ipsis Ethnicis ne illi pristina approbent peccata) *vt non in opprobrium* (infamiam) *incidat* (fiatq; commune probrum) *& in laqueum Diaboli* (vt illius ignominia quasi laqueo Diabolus partim fideles partim infideles irretiat, eosq; & à Sacerdote, & à Religione auertat.

De hac famæ integritate sollicitè tuenda præclarissimè philosophatur *S. Augustinus multis in locis sed præcipuè serm. 49. de diuinis, qui est primus de communi vita Clericorum, & habetur 12. q. 1. cap. 10. Nolo.* [Vobiscum, *inquit*, hic viuimus, & propter vos viuimus; & intentio votumque nostrum est vt apud Christum vobiscum sine fine viuamus. Credo autem ante oculos vestros esse conuersationem nostram; vt & nos dicere fortassis audeamus, quamuis illi multum impares qui dixit Imitatores mei estote sicut & ego Christi. Et ideò nolo vt aliquis de nobis inueniat malè viuendi occasionem. Prouidemus enim bona, vt ait idem Apostolus, non solum coram Deo; sed etiam coràm hominibus. Propter nos, cōscientia nostra sufficit nobis: propter vos fama nostra non pollui, sed pollere debet in vobis. Tenete quod dixi, atque distinguite. Duæ res sunt Conscientia & fama. Conscientia tibi.

Fama

Fama proximo tuo. Qui fidens conscientiæ suæ negligit famam suam, crudelis est: maximè in loco isto positus, de quo dicit Apostolus scribens ad discipulum suum Titum. Circa omnes teipsum bonorum operum præbe exemplum: nostis omnes, aut pænè omnes sic nos viuere in ea domo, quæ dicitur domus Episcopi, vt quantum possumus imitemur nos Sanctos, de quibus loquitur liber Actuum Apostolorum. Nemo dicebat aliquid proprium, sed erant illis omnia communia.]

Verè & disertè pro suo ingenio *Beatus Hieronymus Epist.* 1. *ad Ageruchiam cap.* 5. [Si Timotheo, *inquit*, dicitur adolescentiores viduas deuita. & iterum ama anus vt matres, adolescentulas vt sorores cum omni castitate: quare tu me commonentem non audias? Fuge personas, in quibus potest malæ conuersationis esse suspicio: nec paratum habeas illud è triuio. Sufficit mihi conscientia mea; non curo quid de me loquantur homines. Et certè Apostolus prouidebat bona non tantum coràm Deo sed etiam coram hominibus; ne per illum nomen Dei blasphemaretur in gentibus.]

2 *Itaq; sic nos existimat homo* (quilibet) *vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei* (hoc est arcanæ & diuinæ doctrinæ ac Sacramentorum Christi.) Et in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patiētia. Profectò qui de sustētatione, de diuitijs solliciti sunt, multò magis pro fama laborare debent; siquidem *Melius est nomen bonum quàm diuitiæ multæ, super argentum & aurum, gratia bona.* Docet Salomon præclaram famam longè anteponēdam opibus; & gratiositatem ac amabilitatem apud Deum, & homines plurimùm præstare thesauris: hæc enim bona vtilia sunt, illa verò honesta; honestas autem vtilitati præponderat. Plautus.

Ego si bonam famam seruare, sat ero diues.

Et salutare monitum est.

Om-

Omnia si perdas, famam seruare memento
Qua semel amissa, postea nullus eris.

Et illud Ecclesiastici 41. *Curam habe de bono nomine; hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri pretiosi; & magni.* Famam, & virtutis celebritatem in omnibus Ecclesiasticis exquirit *Sac. Trid. Synodus* etiam in Episcopis & purpuratis Principibus, *dum sess. 25. cap. 1. de Reform. sic ait.* [Optãdum vt ij, qui Episcopale ministerium suscipiunt, quæ suæ sint partes agnoscant; ac se non ad propria commoda non ad diuitias aut luxum; sed ad labores & sollicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligant; nec enim dubitandum est & fideles reliquos ad religionem, innocentiamque facilius inflammandos si Præpositos suos viderint non ea, quæ mundi sunt, sed animarum salutem, ac cælestem patriam cogitantes. Hæc cum ad restituendam Ecclesiasticam disciplinam præcipua esse Sancta Synodus animaduertat; admonet Episcopos omnes, vt secum ea sæpè meditantes, factis etiam ipsis ac vitæ actionibus, quod est veluti perpetuum quoddam prædicandi genus se muneri suo conformes ostendant; inprimis verò ita mores suos componant, vt reliqui ab eis frugalitatis, modestiæ continentiæ, ac quæ nos tantopere commendat Deo, sanctę humilitatis exempla petere possint. Quapropter, exemplo Patrum nostrorum in Concilio Carthaginensi non solum iubet vt Episcopi modesta supellectili & mensa, ac frugali victu contenti sint; verùm etiam in reliquo vitæ genere ac tota eius domo caueant ne quid apparẽt quod à Sancto hoc instituto sit alienum; quodq; non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatis contemptum præseferat. Quæ verò de Episcopis dicta sunt, eadem non solum in quibuscunq; beneficia Ecclesiastica tàm secularia quàm regularia obtinentibus pro gradus sui conditione obseruari sed & ad Sãctæ Romanę Ecclesiæ Cardinales pertinere decreuit.]

O vtinam hoc Sanctum decretum ab omnibus Ecclesiasti-

cis

cis tàm secularibus, quàm regularibus executioni demandaretur.

DISTINCTIO TERTIA.

De Disciplina seruanda circa Loca, Res, & Actiones Ecclesiasticas.

OMnia vestra cum ordine fiant, *inquit Apostolus*. Cum igitur in prima huius libri distinctione egerimus de Disciplina Ecclesiasticorum circa Personam propriam; & in secunda tractatum sit de Disciplina circa Alios; superest vt pro completa huius rei tractatione agamus de Disciplina Ecclesiasticorum circa Loca, Res, & Actiones Ecclesiasticas: sic enim monitum Apostolicum quantum fieri potest Deo dante, adimplere conabimur. Porrò loca sunt Templum seu Ecclesia, Sacristia, Chorus, Altaria, Sacella, Sacrarium, Baptisterium, Cæmeterium seu Sepulchra mortuorum. Rerum autem Aliæ pertinent immediatè ad Sacrosanctum Missæ Sacrificium, vt Calix, Patena, Corporale &c. Aliæ mediatè vt vestimenta Sacerdotalia, & ornamenta Altarium. Aliæ remotè vt Reliquiæ, Imagines, Organa, Campanæ &c. Actiones verò Ecclesiasticæ frequẽtiores sunt Celebrare Sacrum, Recitare Officium; Administrare Sacramenta; Benedicere populo. De his igitur omnibus per duodecim capita agemus. Itaq; Caput. 1. erit de Templis. 2. de Altaribus. 3 de Cappellis, Choro, Sacristia, Sacrario. 4. de Baptisterio, Cæmeterio, & Sepulchris mortuorum. 5. de Calicibus, Patenis, Corporalibus. 6. de Purificatorijs, Velis pro Calicibus, Ampullis alijsq; pro Missa. 7. de vestibus sacris Ecclesiasticorũ. 8. de Reliquijs, Imaginibus &c. 9. de Celebratione Missæ. 10. de Recitatione officijs. 11. de Admini-

nistratione Sacramentorum. 12. de Benedictionibus. Et per hæc remanebit absoluta præsens Secunda pars nostri Speculi Ecclesiastici.

CAPVT I.
De Disciplina seruanda circa Templa seu Ecclesias.

VT disciplina circa templa vberius tradatur operæ pretium erit videre. 1. quid significet Templum & Ecclesia; & de varijs illorum nominibus. 2. de ratione construendi Ecclesias. 3. de fine illarum 4. de reuerentia illis adhibenda. 5. de pænis eorum, qui templa prophanarunt.

§. 1. *Quid significet Templum, & Ecclesia, & de varijs illorum acceptionibus.*

HÆc nomina *Templum & Ecclesia* idem planè significant, nempè Ædem Sacram, in quam fideles conuenire solent ad orandum ad verbum Dei audiendum, & ad diuina percipienda mysteria. Vel breuius. *Templum, seu Ecclesia est locus cultui Dei dicatus*. Nomen *Templi* fuit etiam ab ethnicis vsurpatum ad significanda loca, in quibus eorum falsis Dijs cultum exhibebant: Vnde *Diuus Hieronymus ait* [Ecclesias Christianorum conuersas in templa à Iuliano.] Sed impropriè talia Gentilium loca appellabantur templa: etenim cum illi errarent in odoratione veri Dei, ita etiam in nuncupatione loci falso illorum cultui deputati.

Præter nomen *Templi* commune ædibus tàm sacris vero Deo dicatis, quàm prophanis deputatis falsis Dijs seu Idolis vt suprà diximus, & colligitur & sacris litteris, in quibus ap-

appellatur Templum tàm illa ædes magnificentissimè à Salomone extructa Hierosolimis in honorem veri Dei, quàm ædes Idoli Dagon Philistinorum: præter, inquam, nomen Templi sunt alia nomina idem significantia vt *Fanum, Delubrum*, quibus nominibus Historici; imò ipsa sacra pagina vocat templa Idolorum. Sic Isaias. *Qui in delubris idolorum dorminnt*. Et Ieremias. *Succendit ignem in delubris Deorum Ægipti*. Et Reg. 3. *Ædificauit Salomon fanum Chamos Idolo Moab*. Verùm hæc nomina *Fani & Delubri* non inueniuntur apud Sacros Auctores attributa ædibus sacris, vt notat Baronius, quemadmodum attributa inueniuntur sequentia, nimirum *Domus, Dominicum, Martyrium, Basilica*. De *Domo* dicitur. *Ædificauit Salomon domum nomini Domini*. & Item. *Domus mea Domus orationis est*. Nomen *Dominici* vsurpatum à Concilio Laodiceno & à Sancto Cypriano inuenitur, quasi Domini locus. *Martyrium*, quia in ædibus sacris erant sepulchra martyrum. *Basilica*, idest domus Regis: basilicæ enim (quod est nomen græcum) antiquitus dicebantur palatia Regum; ædes autem sacræ sunt domus Regis Regum Iesu Christi Domini Nostri; verùm hoc nomen aptatur ædibus sacris insignioribus, & antiquioribus; fortè quia vt plurimùm sunt extructæ ad instar Basilicarum, quæ Romæ extabant antiquitus; erant enim illæ Basilicæ Porticus quædam multis columnis suffultæ in foris, quò confluebant negotiatores causa negotiorum, cæteriq; se in illas recipiebant ad declinandam pluuiam, solis ardorem, omnemque aeris intemperiem; vt scribit Vitruuius. Sed nomen frequentius vsurpatum apud Christi fideles est *Ecclesia*. Hoc nomen est Græcum, & idem est Ecclesia græcè, ac latinè Concio. Erat autem Concio apud Athenienses Conuentus seu Congregatio Ciuium Vniuersorum. Vnde apud nos idem est Ecclesia, ac Congregatio Fidelium. Sic in psalmis. *In medio Ecclesiæ laudabo te*. Et Diuus Paulus de se. *Quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei*. Et Saluator

tor dixit Petro. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Translatum est autem hoc nomen deinde ad significandu ipsa loca sacra, in quibus congregantur ipsi fideles, accipiendo continens pro contento. Sic apud Iudith. *Omnis populus per totam noctem intra Ecclesiam orauerunt petentes auxilium à Deo.* Et Diuus Paulus. *Conuenientibus vobis in Ecclesiam audio scissuras esse inter vos.* & alibi. *Mulieres in Ecclesijs taceant.* & alibi sæpius. Hoc uomine nunc vocantur communiter ædes sacræ.

Cæterum vt redeamus ad nomen *Templi* relictis varijs illius ethimologijs, quas videre est apud *Stephanum Durandum de Ritibus Ecclesiasticis*, variè hoc nomen accipitur, & multiplices habet significationes tùm litterales tùm mysticas iuxtà quadruplicẽ sacræ scripturæ sensum, videlicet Litteralem, Allegoricum, Anagogicum, Tropologicum.

Litteraliter Templum significat. 1. Tabernaculum, vbi ante constructionem templi Hierosolomitani Israelitæ adorabant Maiestatem veri Numinis, ibiq; Sacrificia offerebant. Iuxtà hunc sensum intelliguntur illa verba Dauidis: *Adorabo ad templum sanctum tuum &c.* & illa. 1. Regum *Ascenderunt ad templum &c. Samuel autem dormiebat in templo &c.* quæ loca intelligi non possunt nisi de Tabernaculo à Moise iussu Dei fabricato. 2. significat augustissimum illud & toto orbe celeberrimum ædificium à Salomone Rege Hierosolymis in Dei honorem extructum, quod antonomusticè vocabatur Templum, de quo sæpè fit mentio in sacris literis, præsertim in 3. Regum & 2. Paralipomenom.

Allegoricè significat Corpus Domini Nostri Iesu Christi tùm verum, tùm mysticum. De Vero dicitur Ioan. 2. *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Vbi Euangelista ait. *Ille autem dicebat de Templo Corporis sui.* De Mystico, quod est Ecclesia, loquitur Propheta Zaccharias cap. 6. vbi prophetat, & prædicit Messiam extructurum tẽplum Deo. Quod

pla-

planè est Ecclesia Sancta Diuinæ Maiestati dicata, totaq; diuino cultui mancipata. Sic explicant omnes Sancti Doctores, præsertim *Origenes, Sanctus Hieronymus, & Augustinus.*

Anagogicè significat Ecclesiam triumphantem, ipsumq; Cælum empireum, qui est locus Beatorum gloriæ deputatus. *Diuus Gregorius, & Angelicus Doctor.* Hinc in Apocalypsi de Sanctis illis, qui induti vestimētis albis, deseruiunt Deo die ac nocte in templo, dicitur. *Dominus in templo sancto suo, Dominus in Cælo sedes eius.* & in psalmis *Exaudiuit Dominus de templo Sancto suo vocem meam &c.*

Tropologicè, vel vt alij dicunt Moraliter, significat Animam rationalem fidelem Deo caram atq; dilectam, iuxtà illud Apostoli ad Corinthios. 1. *Templum Dei estis vos.* Quòd iterum repetit ad Corinthios. 2. Et quidem meritò Anima iusti vocatur templum Spiritus Sancti; quia inhabitat in illa non solùm per sua dona; sed personaliter vt idem Apostolus asserit ad Romanos illis verbis. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.* Et clarius ipsemet Dominus Noster in Euāgelio Ioannis. 24. *Apud vos manebit, & in vobis erit.* Et ne putemus hanc promissionem in solis Apostolis fuisse adimpletam die Pentecostes, expressius idem Dominus de omnibus sua mandata seruantibus ait. *Si quis diliget me sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus.* Quapropter meminit Palladius de quodam Sancto Anachoreta, qui vbicunq; alicui religioso, vel alteri probo viro occurrebat, humiliter illum reuerebatur tanquam viuum templum Domini.

§. 2. *De ratione Construendi Ecclesias.*

INstructio ædificandæ Ecclesiæ latè fuit tradita à S Carolo, & habetur in *Actis Ecclesiæ Mediolanensis.* Hic quadam

dam generalia tantummodo adnotabimus, quæ magis ad nostrum faciunt institutum.

Igitur quod spectat ad constructionem Templorum seu Ecclesiarum; quædã per sacros Canones expresse circa hoc decernuntur. Nempè.

Primò. Ne extruantur Ecclesiæ nisi cum licentia Episcoporum, in quorum diæcesibus sunt loca, in quibus construẽdæ sunt: Et hoc intelligitur tàm de numero Ecclesiarum, quàm de situ, vt scilicet sint commodæ populis; quàm etiam de amplitudine, vt sint capaces multitudinis incolarum habita ratione locorum.

Secundò. Ne Ecclesiæ nouiter extruendæ præiudicium inferant iam extructis.

Tertiò. Vt ipsa loca, vbi sunt Ecclesiæ construendæ, prius ab Episcopis, aut ab alijs de ipsorũ mandato visitentur, & benè inspiciantur.

Quartò. Vt in loco, in quo futura est Ecclesia, habitis prius ab Episcopo precibus Crux in terra plantetur. Quod seruatum semper fuit, vt scrbit Metaphrastes, ab Episcopis Sanctorum rituum Zelatoribus. Vnde *in cap. Nemo de consecr. dist.* 1. *dicitur*. Nemo Ecclesiam ædificet antequam Episcopus veniat, & ibidem Crucem figat.

Quantum ad formam seu figuram, quamuis nõ extet Idea seu exemplar aliquod determinatum, ad cuius normam debeant construi; tria tamen è sacris scriptoribus colligũtur fuisse omni tempore seruata.

Primum. Quòd priscis temporibus Ecclesiæ insigniores tribus partibus constabant. 1. vocabatur *Atrium* & erat veluti Porticus, quæ pluribus columnis fulciebatur. Hæc pars deseruiebat præcipuè Cathecumenis antequam introducerentur in Ecclesias ad fontem baptismatis. Item pauperibus ne per Ecclesias vagarentur; atq; interim à sole, pluuia, aerisque iniurijs se defenderent. Item publicis

pænitentibus, quibus ingressus in ecclesiam erat interdictus. 2. pars erat *Corpus Ecclesiæ*, intra quam conueniebant fideles ad orandum, & exercendum diuinum Cultum. Et hec pars vocabatur propriè *Templum*, vt scribit Sanctus Maximus; & à Romanis fuit dicta *Cella*, postea *Nauis*. 3. pars erat *Altare maius*, seu *Cappella maior*, vbi diuina vt plurimum agebantur præsertim ab Episcopis; ibiq; asseruabatur Sanctissimum Sacramentum; quam ob causam dicta fuit etiam *Sacrarium* seu *Sanctuarium*. Erat hæc pars eleuata aliquantulũ super alias per gradus aliquot, vbi Clerus psallebat, ad quam non patebat aditus laicis, nec infimis Ecclesiæ ministris. Ad quam Sanctus Ambrosius nec ipsum Imperatorem Theodosium ingredi passus est.

Secundum. Quòd illa pars interior dicta *Corpus Ecclesiæ*, & *Nauis*. Longior, latior, & amplior extruebatur ex ipsorum Apostolorum præscripto, vt scribit Clemens Romanus in Cõstitutionibus Apostolicis. Cur autẽ Ecclesię in figuram Nauis construantur triplex ratio cõmuniter affertur. 1. *Diui Gregorij*: Quia inquit sũt cęlestibus onustę thesauris, diuinisq; mercibus refertæ, qualia sunt sancta Sacramenta, Indulgentiæ, diuini verbi prædicatio, & similia, quibus fideles Dei gratiam, virtutes, & dona, ac postmodum Cælorum gloriam assequũtur. 2. *Diui Hieronymi*: Quia inquit Ecclesia figurã gerit Arcæ Noe; & sicut in illa saluæ factæ sunt ab Vniuersali diluuio illę paucæ Animæ nempe Noe & filiorum eius cum vxoribus ipsorũ: ita fideles saluantur ab inferis per auxilia, quæ in Ecclesijs recipiunt. 3. *Diui Ambrosij*: quia inquit mediãtibus Ecclesijs tãquã nauibus facilè transfretamus mare huius seculi, & vitæ huius tempestates superamus: nec non eleuamur super omnia creata tanquam super aquas, dum sumus in hoc fragili corpusculo: iuxtà illud Apostoli. *Nostra autem Conuersatio in Cælis est*.

Tertium. Quod ex quatuor Ecclesiæ lateribus, quæ qua-

tuor mundi plagis respondent, scilicet Orienti, Occidenti, Austro, & Septentrioni, latus illud in quod fideles orandi causa faciem vertunt, respicere debeat Oriens: (Hoc tamen dictum intelligitur, modò commodè fieri possit habita ratione situs ipsius Ecclesiæ) Rationem reddit *Tertullianus*, *inquiens* ab Oriēte venit suauissima illa aura, quæ Pentecostes die perflauit in Collegium Apostolicum] *Iustinus* ait; id fieri quia orientis pars est reliquarum orbis partium nobilissima: ideo ad illam debet esse adoratio, quæ inter actus Religionis est excellētior. *Gregorius Nissenus* sensit paradisum terrestrem fuisse in eadem orientali plaga; ideò conuertimur orando ad illam quasi suspirantes ad illam pristinam innocentiam, in qua noster protoparens conditus fuit. *Cassiodorus addit*, quia Christus Crucifixus est conuersus ad occidentem; ideo nos vertimur ad orientem orando, tāquam benignissimam illius faciem intuentes. Alias rationes huius praxis orandi publicè in Ecclesijs afferunt alij auctores, quas passim inuenire est apud eos, qui agunt de Ritibus Ecclesiasticis cæterum hæc pars esse eminentior, ibiq; adesse solet altare maius.

§. 3. De Fine construendi Ecclesias.

QVamuis Deus vbiq; coli possit & debeat, quia vbique est: nihilominus sine illius maiestatis imminutione; immo cum maxima sui nominis honorificatione in Ecclesijs præcipuo ac peculiari quodam cultu adoratur & colitur. Hoc ipse in lege veteri mandauit. Hoc Sanctissimi Dei viri verbo & exemplo docuerunt. Commendatur Centurio quod Iudæis synagogam extruxerit; quantò est commendatior, inquit D. Ambrosius, qui ædificauit Ecclesiam? Hic est itaq; finis construendi Ecclesias; Cultus scilicet Diuinus, qui varias sacras actiones complectitur; omnes tamen à Sacris Theologis ad quatuor præcipua capita reducuntur; Et sunt

sunt hæc Offerre sacrificium. Conferre & suscipere Sacramenta. Effundere preces. Et verbũ Dei prædicare, & audire.

Primum igitur, cuius gratia Ecclesiæ eriguntur, est, vt in illis Sacrificium Diuinæ Maiestati offeratur, quæ actio est præstantissima reliquarum omnium ad adorationẽ spectantium peculiariter Deo debita vt explicat *Sac. Conc. Trid.* & docent communiter Doctores. Et quamuis templa erigãtur aliquando in honorem & sub inuocatione Sanctorum: nihil hoc tamen obstat, quin præcipuè dicantur erigi in cultum diuinum; nam Sacrificium Missæ, quod in illis offertur (est autem corpus & sanguis pretiosus Domini Nostri Iesu Christi) soli Deo debetur, eiq; offertur: est enim oblatio Sacrificij actio protestatiua supremi dominij super omnia competentis illi personæ cui offertur; hoc autem supremum super omnia dominium, & suprema excellentia nulli alteri conuenit nisi Deo.

Secundũ est administratio & susceptio sacramẽtorũ, (excepta extrema vnctione) cuius nihilominus materia nempe oleũ sanctũ in Ecclesijs asseruatur, in eisq; benedicitur & cõsecratur ab Episcopis) Sacramenta igitur administrantur & suscipiuntur in Ecclesijs secundùm Ecclesiasticos ritus: Et si quando extrà Ecclesiam id præstatur, hoc fit ex magna & rationabili causa; & nihilominus semper cum dependentia & subordinatione ad Ecclesiam, siue propter materiam dictorum Sacramentorũ, vt accidit de aqua in Baptismate; Sacro Crismate in Confirmatione; & oleo sancto in Extrema Vnctione: Siue propter benedictionem vt accidit in Matrimonio iuxtà decretum *Sac. Conc. Trid.* Siue saltem propter licentiam Episcopi in vrgenti causa, vt est de Sacramento Eucharistiæ; quamuis hoc nunquam conficiatur absq; altari saltem portatili consecrato ad præscriptum Bonifacij Octaui. Hæ tamen necessitates aut causæ rationabiles à Sancta Ecclesia approbatæ non derogant huic fini quem dicimus.

Ter

Tertium est Publica oratio præsertim ea, quæ nonnisi in templis & Ecclesijs ordinariè haberi solet. Vnde Rex Salomon asserebat magnificentissimũ illud Templũ à se ad hunc finem fuisse extructum, vt scilicet orationes ibi effusæ exaudirẽtur à Deo. *Quicunq;* inquit, *orauerit in loco isto exaudi de excelso habitaculo tuo, & propitiare*. Quod Diuina Maiestas paulò deinde ei promisit dicens. *Audiui orationem tuam & elegi locum istum mihi in domum sacrificij. Si populus meus deprecatus me fuerit ego exaudiam de Cælo, & propitius ero peccatis eorũ; oculi quoq; mei erunt aperti & aures meæ erectæ ad orationem eius qui in loco isto orauerit.* Hinc Anna mater Samuelis accessit ad Tabernaculum vt exaudiretur. Et Daniel dum captiuus detineretur Babilone, cum non posset amplius ingredi Templum iam à Caldæis exustum, & dirutum, conuertebat saltem faciem versus illud, sicq; suas ad Deum preces humillimè effundebat. Et de pia illa fæmina Anna filia Fanuel scribit Sanctus Lucas quòd nõ discedebat à templo ieiunijs & obsecrationibus seruiens nocte ac die. Et de Sanctis Apostolis Petro & Ioanne legimus in Actis Apostolorum quòd ascenderunt in Templum ad horam orationis nonam. Quapropter ab Isaia; imò ab eodem Christo Domino Ecclesia seu Templum vocatur Domus orationis. *Domus mea*, inquit, *domus orationis est*. Et quamuis vbique orare possimus, vt initio diximus, nullibi tamen decentius, quàm in Ecclesijs quando commoditas sese offert; sunt enim loca ad hoc specialiter deputata.

Quartum est, Diuini verbi prædicatio: ad hanc enim pariter institutæ sunt ecclesiæ: quod suo exemplo docuit ipsemet Dominus Noster Iesus Christus, qui frequentius docebat & prædicabat in Templo Vnde apud Matthæum habetur. *Quotidie sedebam apud vos docens in templo*. Et apud Ioannem. *Ego semper docui in Synagoga & in Templo*. De Sanctis Apostolis Paulo & Barnaba idem legimus, quòd euntes ad euangelizandum in diuersas regiones ingrediebantur in Syna-

na-

nagogas, & Conuentus virorum ac mulierum ad instar oratoris disputabant de lege. Et de priscis illis fidelibus scribunt *Tertullianus, Iustinus Martir, Eusebius & alij*, quòd conuenientes ad Synaxim idest ad Missę celebrationem in ijsdē locis verbum Dei audiebant, & Sacramenta percipiebant. Valdè igitur rationi congruit, vt Diuini verbi prædicatio in Ecclesijs peragatur, cum hoc sit opus præstantissimum, immò necessarium pro fidei Catholicæ conseruatione, & pro legis Euangelicæ, Christianæq; obseruantia.

§. 4 *De Reuerentia & Deuotione Ecclesijs debita.*

CVm in Ecclesijs Dei Cultus singulariter exerceatur, ibiq; ipsemet Deus singulari modo resideat, quis non videat quanta reuerentia, deuotio, & Sanctitas dictis locis debeatur? Hinc Regius Propheta ait. *Domum tuam Domine decet sanctitudo*. Et ne quis putaret determinatis solùm temporibus hanc exquiri, putà diebus Quadragesimæ, Aduentus & similibus (si fortè tunc præsto est, quod vtinam ita se habeat) ideò subdit idem *In longitudinem dierum*. Hæc igitur sanctitudo quatuor præcipuè postulat, nempe. 1. Cordis munditiam à peccatis. 2. Suimet ipsius humilem cognitionem. 3. Rectam intentionem accedendi ad Ecclesiam. 4. deniq; Corporis, totiusq; exterioris hominis compositionem.

Et quidē Primò. Quod attinet ad Cordis munditiā Quisquis Ecclesiam ingreditur consciētiā habere debet ab omni peccatorum labe purgatam; tùm quia oculi Domini in isto loco specialiter sunt aperti iuxtà illud. 3. Reg. *Oculi mei erunt aperti ad orationem eius qui in loco isto orauerit*. Vnde ingredientes à se remouere debēt quicquid oculis Domini displicere posset: tum quia ad Ecclesiam fit accessus vt laudes & grates omnipotenti Deo reddantur; hoc autem munus solos decet iustos & sanctos iuxtà illud Prophetæ. *Rectos decet collandatio*.

Hinc idem Propheta inquirens quinā sint ij, qui dignè versentur in templis: & loquens ad Dominum illis verbis, *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiesces in monte sancto tuo?* Respondet dicens. *Innocens manibus & mundo Corde.* Hoc perpendens eximius ille Ecclesiæ Doctor, & sanctitatis speculum Hieronymus Sanctus scribens cōtrà Vigilantium ait se vix ausum fuisse Ecclesiam ingredi si forte aliqua iræ perturbatione, aut cogitatione illicita, aut illusione nocturna se reum esse cognouisset. *Quando iratus fuero*, inquit, *& aliquid mali in animo cogitauero, & me nocturnum phantasma deluserit, basilicas introire non audeo, ita totus corpore & animo contremisco.* Nec mirum id alicui videri debet: nam si terrenorum Principum cubicularij & aulici non audent coràm suis Dominis immundi & sordidi aut incomptis vestibus apparere, quis coràm Rege Regum, & Domino Dominantium immundus peccatorū sordibus audebit assistere? Heu quàm verum est illud. *Prudētiores sunt filij huius seculi filijs lucis.* Diuus Ioannes Chrysostomus optabat vt Christi fideles ea saltem sollicitudine munditiem cordis & animæ in templo curarent, qua mundani curant vestimentorum & Corporis compositionem. *Multi*, inquit, *student quomodo lotis manibus & vestibus candidis induti in Ecclesiam ingrediantur; quomodo autem animam aut mentem suam putam afferant nullam curam habent: hac dico non quia lauare manus aut os prohibeam sed quia non aqua solum lauare os velim, sed etiam, vt aquius est, omni virtute.* Vult itaq; iste sanctus vt mundities corporis sit iuncta cum Animę puritate; sin secus laudes & orationes iniquorū Deo placere nequaquam possunt *Peccatori autem dixit Deus*, inquit Regius Propheta, *quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?*

Ergo, dicet aliquis, teneor ergo confiteri quoties volo accedere ad Ecclesiam si sensero me conscientia alicuius peccati prægrauatum? Respondeo absolutè non teneri; si id feceris

ceris, optimè feceris. Nemo tamen audebit inficiari teneri nos ingredi Ecclesiā cum dolore delictorum præteritorum, cum proposito emendationis in futurum; & cum intentione postulandi à Deo veniam pro commissis, eliciendo, quoad fieri potest, actum contritionis. Sic Deus promisit Salomoni se exauditurum eos, qui in templo pro suis delictis fuissent deprecati. *Si peccauerint*, inquit, *& conuersi in toto corde suo egerint pœnitentiam, & deprecati te fuerint tu exaudies de Cælo*. Ratio nostri dicti est; quia solis iustis, & ijs qui toto corde esuriunt iustitiam ianuę Cælorum atq; Ecclesiarum patere debent; vt inquit Dauid. *Aperite mihi portas iustitiæ, & ingressus in eas confitebor Domino*. Adeò hæc Cordis munditia requiritur in templis, & in accedentibus ad Ecclesias etiā ad oblationes præstandas, vt Vualfridus dixerit. *Frustrà dona & pecunias comportant, qui interius Diuinæ Maiestatis oculum non placant*.

Secundò. Requiritur humilis suimet cognitio, ad quam nos hortatur Diuus Iacobus his verbis. *Humiliamini in conspectu Domini & exaltabit vos*. Subintellige suis donis & gratijs. Atq; hoc est gratius ac præstātius sacrificium quod nos Deo offerre possimus. *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus*, inquit Propheta, *cor contritum & humiliatum Deus non despicies*. Tali dolore, ac tali humilitatis veste indutus Publicanus ille ascendit in Templum oraturus, qui & ab ipso Domino meruit cōmendari illis verbis *Descendit hic iustificatus ab illo*. *idest à Pharisæo*. Dolor huiusmodi atq; humilitas hæc oritur à timore quodam reuerentiali erga supremam illam maiestatem, quem timorem ipse Deus suprà quodlibet materiale templum, & suprà omnem cultum exteriorem ęstimat, quemadmodum Isaias testatur his verbis. *Hæc dicit Dominus: Cælum mihi sedes est: Terra autem scabellum pedum meorum; quæ est ista domus; quam ædificabitis mihi, & quis est locus quietis meæ? omnia hæc manus mea fecit; hæc dicit Dominus, ad quem respiciam nisi ad pauperculum, & contritum Spiritu, & trementem sermones meos?*

Hoc timore filiali & reuerentiali aiebat Sanctissimus ille Rex & Propheta se adorare suum Deum ac Dominum. *Adorabo*, inquit, *ad templum Sanctum tuum in timore tuo.*

Tertiò. Necessaria est recta intentio, ita ut ingrediens Ecclesiam, & diuinis mysterijs, tremendoq; Missæ sacrificio assistens nullam aliam intentionem & finem habeat nisi adorandi & laudandi Deum, gratias illi agendi, eiq; cultum & gloriam exhibendi iuxtà illud Psalmi: *In templo eius omnes dicent gloriam.* Procul, procul igitur à viro quocunq; fideli, fines illi praui accedendi ad Ecclesias causa vel aspiciendi impudicè; vel concupiscendi formosas mulieres & adolescentes; vel sermones vanos cum familiaribus habendi; vel negotia pertractandi; vel proximis detrahendi; vel quid aliud simile contra legem Dei, bonosque mores peragendi. [Audiant, *inquit magnus ille Basilius*, & subpudescant ij, qui in templo prolixiora intexunt colloquia; qui enim in templo Dei sunt non maledicentiam, non vanitatem, ac de obscænis rebus disertos sermones pronuntient; sed in templo eius omnes dicent gloriam.] Benè conquerebatur Deus de huiusmodi hominum genere per Isaiam dicens: *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Quapropter necesse habemus ingredientes Ecclesiam dirigere Cor in Deum. Si non actualiter saltem virtualiter, idest intentione quadam implicita reddendi debitum cultum omnipotenti Deo: quod tunc sanè præstatur quando quis habet piam quamdam ac deuotam attentionem ad mysteria quæ ibi peraguntur, attendendo aut ad verba quæ proferuntur & audiuntur: aut ad sensum illorum; aut saltem ad finem ipsorum mysteriorum, qui est honor & gloria Dei, & nostræ animæ vtilitas. Hinc benè hortatur S. Chrysostomus inquiens *Ecclesias ingressuri, curas omnes deponite*. Alioquin proferre preces labijs tantummodo, erit fundere preces ad auram, atque vt Apostolus inquit ad Corintios. *In aere loquentes*: Vnde subdit. *Nam si orem*

lin-

lingua, mens mea sine fructu est. quarè concludit. *Quid ergo? orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente.* Intellige per spiritum flatum seu vocem, sicut etiam intelligitur ille psalmi locus. *Et in spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Et idem Apostolus alibi. *Interficiet impium spiritu oris sui.* Pro mente verò intelligitur Cor iuxtà illud. *Et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.*

Quartò. Requiritur externa Corporis compositio, quam summopere Deo placere nulli dubium esse potest. Hac enim de causa Deus præcepit Moysi vt solueret calceamenta de pedibus antequam accederet ad locũ, vbi sese illi in ardenti rubo ostendebat. *Solue*, inquit, *calceamenta de pedibus tuis: locus enim in quo stas terra sancta est.* Huiusmodi locus censetur Ecclesia. Hac etiam de causa idem Dominus mandauit Sacerdotibus antiquæ legis ne accederent ad suum sacrum Altare induti vestimentis domesticis & frequentioribus; sed ornati byssino mundo & albo. Hac quoque de Causa Sacri Canones multa fidelibus præscribunt ad id facientia.

Gregorius X. in Conc. Lugdunensi mandat vt modus ingrediẽdi Ecclesiam sit humilis deuotus, quietus, ac venerabundus itaut placeat Deo, & ædificet proximos. Præcipuè mandat vt deuotè inclinet se diuino ac dulcissimo nomini Iesus. *Hæc ferè sunt verba Canonis.* [Sit tanta hæc modestia corporis externa, quanta decet loci Sanctitatem, & Maiestatem eius, qui inhabitat; & finem intẽtum ab ingredientibus qui est venerari Deum, eiq; inseruire. Sit itaq; in Ecclesijs humilis & deuotus ingressus. Sit in ea deuota conuersatio, Deo grata, aspicientibus placita; quæ considerantes non solum instruat, sed & reficiat conuenientes ibidem. Nomen illud quod est super omne nomen, videlicet IESV, exhibitione reuerentiæ specialis attollant, flectant genua cordis sui, quod vel capitis inclinatione testantur: attendantur in locis eisdem intentis pręcordijs sacra solemnia: deuotis orationibus insistatur.]

Pius

Pius huius nominis Quintus Sanctissimus Pontifex post prædictorum confirmationem statuit insuper [Ne vllo pacto fideles terga vertant Sanctissimo Sacramento; aut indecenter in Ecclesijs conuersentur; sed ingredientes in templum ad terram prostrati & flexis genibus Diuinum Numen adorent agnoscentes suum Conditorem, Conseruatorem, Gubernatorem, Principium & finem omnium rerum, summum atque vltimum bonum.] Hac adoratione latriæ peracta, soli Deo debita, debent fideles venerari Sanctissimam Dei genitricem Mariam, ac Sanctos titulares, & tutelares Ecclesiæ rogando illos tãquam mediatores pro obtinendis gratijs quas à Deo exposcimus, præcipuè pro venia peccatorum; pro emendatione vitæ; pro obseruantia diuinæ legis; pro necessitatibus publicis Sanctæ Ecclesiæ; pro pace & vera concordia inter Principes Christianos; denique pro necessitatibus priuatis tùm proprijs, tùm consanguineorum & amicorum cuiuscunque generis, ad honorem tamen & gloriã omnipotentis Dei. Cæterum huiusmodi deprecatio fieri potest siue mente solum, siue voce etiam psallendo, aut recitando Orationem Dominicalem, & Salutationem Angelicam similesq; preces à Christo & à Sancta Ecclesia institutas protestantes pariter Sanctam & Catholicam fidem in Symbolo Apostolorum contentam, offerentes etiam suimet sanguinis effusionem pro illius confessione, si casus aliquando eueniret.

Neq; in calce huius .§. prætermittere volo laudabilem illam consuetudinem muniendi se ante omnia signo Crucis contrà diabolicos incursus testando etiam se coràm Deo apparere innixum meritis infiniti valoris Christi Domini, & Crucis eius. Et alterám consuetudinem sumendi aquam benedictam ad hosce fines nempe. Vt deleantur venialia delicta: Vt Corda mundentur antequam accedamus ad Deum; Vt tali actione testemur nos esse veros Christi fideles sacri baptismatis aqua mundatos, & renatos.

§. 5.

§. 5. De Pœnis violantium sacra Templa.

APostolus Paulus ad Corinthios scribens ait. *Si quis Templum violauerit disperdet illum Deus.* Hinc *Optatus Milleuitanus* asserit peccatum hoc prophanationis sacrorum locorum simile esse peccato eorum, qui Dominum Nostrum Crucifixerunt [quid est, *inquit*, tàm Sacrilegum quàm Altaria Dei frangere, radere, & remouere, in quibus vota populi, & membra Christi portata sunt? hoc modo Iudæos estis imitati: illi iniecerũt manus Christo in Crucem; à vobis percussus est in altari. Quapropter quemadmodum illi, sic isti seuerè ab omnipotentis Dei brachio punientur.] Ieremias Propheta ex parte Dei horrendas minas Caldæis & Babilonijs, eorumque Principi Nabucdonosor interminat eò quod diripuerint & incenderint Sacrosanctum Domini Templum Hierosolimitanum. *Hæc dicit Dominus*, inquit ille; *Ecce ego visitabo Regem Babylonis & terram eius. Omnis qui transibit per Babylonem stupebit, & sibilabit super plagas eius. Gladius ad Caldæos dicit Dominus, & ad habitatores Babylonis, ad Principes, & ad Sapientes eius: gladius ad fortes eius qui timebunt: gladius ad equos, & ad currus eius: gladius ad thesauros eius qui diripientur: siccitas super aquas eius, & arescent &c. Quoniam vltio Domini est, vltio templi sui.* Quæ omnia sicut Propheta prædixit adimpleta sunt, vt patet peruoluentibus sacras historias.

Horrendum est exemplum Antiochi Regis descriptum in libris Machabeorum. Hic enim post prophanationem eiusdem supradicti Templi, & post multas grauesq; iniurias ac cædes inflictas sanctioribus d. Templi ministris, dum post fugam turpiter arreptam à Perside reuerteretur, miserrimè obijt in via; nam contigit illum impetu euntem de curru cadere, & graui corporis collisione membra vexari itaut humiliatus ad terrã in gestatorio portaretur manifestam Dei vir-

tutem in seipso contestans; ac malis crescentibus etiam vermes de illius corpore scaturirent, & viuentis in doloribus carnes effluerent; illius etiam & fætore exercitus grauaretur: & qui paulò ante sydera Cæli contingere se posse arbitrabatur, cum nemo poterat propter intolerantiam fætoris portare. Tunc verò quasi expergefactus agnouit iustam Dei vltionem, & dixit *Reminiscor malorum, quæ feci in Hierusalem.* Et subdit sacer textus. *Orabat autem scelestus ille Dominum, & non est misericordiam consecutus.*

Sic etiam impius Alcimus, vt habetur etiam in libris Machabęorum, cum præcepisset dirui mænia interioris & sanctioris Templi illicò effectus est mutus ac paraliticus, & vitam finiuit grauibus doloribus diuexatus.

Nec dissimilem vitæ suæ exitum sortitus est, immanis ille Ecclesiæ persecutor Diocletianus, qui iusserat omnia Christianorum templa solo coæquari. Hic igitur amens effectus abdicauit se imperio, & vitam priuatam degit ad annum vsq; 316. Domini Nostri Iesu Christi, qui annus fuit vndecimus Imperij pijssimi Imperatoris Constantini Magni sic disponente omnia de vt impijssimus ille eousq; vitam protraheret ad hoc vt proprijs oculis cerneret nō depressam sed exaltatam Christianam Religionem; Christianorum templa non disiecta sed erecta, non desolata sed frequentata: & sic adimpleretur quod dictum est per Prophetam. *Peccator videbit & irasceretur dentibus suis fremet & tabescet desiderium peccatorum peribit.* Fertur etiam orbatum fuisse lumine oculorum, & continuis cruciatum doloribus per diffusionem intestinorum, & vermium ex ore emissionem, tandem infelicem vitam cum morte infeliciori commutasse.

Paria supplicia experti fuere illi duo impijssimi Iuliani Patruus & Nepos, ille Præses Orientis, hic scelestissimus Imperator sed Apostata: vterq; tamen Ecclesiarum prophanator, destructor, incentor. Patruus igitur, teste Theodoreto,

acerbissimo laterum dolore correptus, ex ore fætida turpiter euomens excrementa tamdiu sic afflictus donec effusa per omnes corporis meatus magna sanguinis copia miserrimæ tum temporalis tum æternæ mortis exemplum orbi reliquerit; impænitens enim decessit è vita, nam à religiosa vxore enixè rogatus vt pæniteret, noluit à Deo suorum petere veniam peccatorum. Nepos autem, qui & Apostata, cum esset in castris, & suo stipatus exercitu lancea diuinitus in latere confossus ab ignota manu, in furorem adactus, & doloribus excruciatus agnoscens tamen vltricem omnipotentis manum, miserrimā animam exhalauit. Ferunt proprium sanguinem suis manibus in Cælum proiecisse in impia illa verba erumpentem. *Vicisti tandem vicisti Galilee*. Sic appellabat per contemptum Dominum Nostrum Iesum Christum.

Iustinianus Imperator (non ille qui Pandecta Iuris orbi protulit sed iunior alter) qui erga Ecclesias tanto fuit scelestior, quanto alter senior fuerat religiosior. Is igitur cum ad nouum ampliandum palatium Ecclesiam quamdam inuito Patriarcha Gallinico diruisset, sequēti anno à Leontio consulari viro contra ipsum conspiratione facta non solum imperio orbatus, sed naso etiam mutilatus, infeliciter fuit relegatus in Chersonesum *vt scribit Nicephorus.*

Saraceni seu Mauri in Hispanias irrumpentes anno circiter 966. Duce Almansore cum parietes Ecclesiæ S. Iacobi magna ex parte deiecissent ferè omnes morbo dyssinteriç ceciderunt. Quapropter admonitus illorum Dux hoc esse diuinum supplicium celerrimè reliquias exercitus ab eo loco retraxit, quo non obstante ipse quoq; vitam miserrimè finiuit, *vt scribit Michael Riccius.*

Gainæ Duci strenuo sed barbaro, eò quod incendio absumpserit quamdam Sancto Alexandro dicatam Ecclesiam, vna ipsa die septem illius filij (totidem enim habebat & non plures) mortem celerrimam oppetiere, quod adnotarunt *Nicefórus & Eutripius.*

Narrat *Baronius* quòd irrumpentibus Hunnis in Saxoniã, & Ecclesias omnes barbarè deuastantibus, tàm validus ventus repentè coortus fuit ac tanto impetu perflauit, vt tegulas semiustas Ecclesiarum attolleret & in ora barbarorum immitteret. Quare fugam arripientes partim præcipites sese dederunt in flumen, partim in manus hostium illapsi miserrimè detruncati fuere.

Amaulphus Angliæ Princeps Ecclesiam quamdam incendens subitanea fuit morte correptus. Vnde pius ac religiosus Ademundus eius frater successit in Principatu, & totius Angliæ Rex fuit pronunciatus.

Gregorius Turonensis narrat de quodam Duce hæretico in Lusatia, qui Ecclesiam in stabulum equorum conuertit. Hic nocte insequenti exclamans vt equi remouerentur ab eo loco adeò furiosus euasit vt proprijs seipsum dentibus discerperet, propriasq; carnes deuoraret donec horribiliter vociferans infelicem animam in Diaboli manus efflaret.

Idem Auctor scribit de quibusdam Regis Francorum Chilperici militibus; quòd illorum nonnulli per vim effringentes & incendentes fores Ecclesiæ Sancti Vincentij Martyris ad diripiendum bona Ciuium ibi asseruata, arrepti fuere & oppressi à Dæmonibus. Quapropter alij crudeliter ab hostibus cæsi: alij frigore, fameq; consumpti, omnes postremò miserabiliter periere: immo Rex ipse in proprio palatio fuit conspiratione facta crudeliter iugulatus.

Plurima alia non minus terrifica exempla extant apud Auctores; & refert *Tobias Corona ex nostris in suo opere de Templis sacris par. 1. cap. 41.*

Discant igitur omnes, & præcipuè Ecclesiastici timere Deum, & illius Ecclesias debito prosequi honore & reuerentia. Sciant supremum illud Numen, cuius cultus in Ecclesijs exercetur, dominum esse vitæ, bonorum, honoris, & principatuum. Audiant Christum Dei filium & Regem Re-

gum

gum dicentem. *Quicunq; honorificauerit me glorificabo eum: qui autem contempserint me erunt ignobiles*. Gens enim & Regnum, quod non seruiuerit tibi, peribit. Audiant Paulum clamantem. *Deus non irridetur*. Item *si quis violauerit templum Dei disperdet illum Deus.* Item. *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis*. Et quamuis videatur Deus aliquando dissimulare, non vlcisci, nec statim punitionem habere; id tamen ex summa benignitate facit, vt tandem ad pænitentiam nos adducat. Cæterum in ipsum non cadit obliuio delictorum. Et verissimum est illud commune proloquium. *Tarditatem supplicij, pæna grauitate compensat*. Ad instar planè illius, qui percussurus eleuaudo toto conatu brachium quamuis ictum retardare videatur, grauius tamen per hoc percutit & vulnerat. Hinc Poeta cecinit.

Discite iustitiam moniti, & non temnere Diuos.

CAPVT II.

De Disciplina circa Sacra Altaria.

QVia Templa instituta sunt ad cultum diuinum habendum, qui maximè perficitur per Sanctissimum Missæ Sacrificium; hoc autem non perficitur absq; Altari: ideò post considerationem Templorum seu Ecclesiarum consequens est vt agamus de Altaribus tanquam de præcipuo Ecclesiarum fine. Videndum igitur. Primò. Quid sit Altare, vnde dicatur & de varijs significationibus. 2. Quot genera altarium reperiantur. 3. Qui ritus seruandi circa altaria, & quæ disciplina.

§. 1. *Quid sit Altare, vnde dicatur, & de varijs significationibus.*

ALtare est locus, super quod offertur sacrificium omnipotenti Deo, dictum ab altitudine eò quod antiqui

Dijs superis sacra faciebāt in ædificijs à terra eleuatis. Vsus altaris est antiquissimus; quia non solum fuit præscriptus à Deo Moysi vna cum ritu illius consecrationis vt apparet legentibus sacram scripturam *in libris Exodi, Leuitici, & Numerorum*: Sed etiam extitit in lege Naturæ. Vnde legimus de Noe quod ædificauerit altare Domino. Idem habetur de Sanctis Patriarchis Abrahamo, Isaac, Iacobo, qui iussu Dei pariter ædificauerunt altaria; ex quo colligimus vsum altarium antiquiorem esse vsu tabernaculi & templi. Nec mirum alicui hoc videri debet; etenim ipsa religio innata hominum mentibus, diuiniq; cultus magistra hunc vsum ab initio docuit: Quapropter ipsi quoq; Ethnici quamuis lumine supernaturali destituti altaria erigebant, in quibus eorum falsis Dijs sacrificia offerebant, vt ipsa sacra pagina testatur præsertim in *libris Iosue, & Regum*, in quibus legitur de sacrificijs & altaribus erectis Dijs Moloch & Astaroth. Et prisci illi Romani (qui sicut principatu omnibus gentibus imperabant; ita omnium gentium deseruiebant erroribus, & in sola Romana Vrbe diligentissima superstitione habebant collectum quidquid vsquam fuerat vanis erroribus institutum) cum haberent & Deos cælestes seu superos, Deos terrestres seu lares, & Deos inferos seu manes; superis erigebant *Altaria* ab altitudine dicta quia supra terram erant eleuata: alijs verò Dijs extruebant *Aras* sic dictæ Vel ab ara, quia erant in plana terra: Vel ab ariditate, quia in illis adolebatur ignis, quo victimæ mactatæ cremabantur: Vel à precationibus, quas Græci ἀρὰς vocant.

Hinc Ecclesia Catholica à Spiritu Sancto edocta iam inde à sui exordio Altaria instituit ad offerendum Omnipotenti Deo Sacrosanctum Missæ sacrificium. Vnde Diuus Paulus ad Corinthios scribēs sub appellatione mensę (*vt notat S. Ambrosius & Sac. Trid. Conc.*) distinguit Altare Domini Nostri Christi ab Altari Dæmonum dicens. *Non potestis mensa*

se Domini, & mensæ Dæmoniorum participes esse. Et clarius ad Hebræos. *Habemus altare, de quo edere non habent qui tabernaculo deseruiunt*. Et legimus in sanctionibus Apostolicis: & manifestè de hac re scribunt Sancti Patres & Doctores signanter Sancti Dionysius Areopagita, Iræneus, Athanasius, Hieronymus & alij vt adnotauit *Tobias Corona de sacris Templis par. 1. cap. 7.* Hoc laudabile institutum semper retinuit, ac retinet sancta Mater Ecclesia Catholica Romana.

Cæterum variæ sunt Altaris significationes, vt videre est apud *Guglielmũ Durandi in Rationale officiorũ diuinorũ*. Primò enim *litteraliter* significat locum, vbi offertur sacrificium, vt dictum est, qualecunq; sit sacrificium, vt diximus *in 1. parte nostri Speculi Ecclesiastici de Sacrificio Missæ.*

Secundò. *Allegoricè* significat Tum aram Crucis, in qua Christus Dominus seipsum obtulit sacrificium immaculatũ Patri Omnipotenti pro peccatis totius mundi: Tum sepulchrum in quo Corpus Christi depositum fuit post mortem suam: Tum mensam, in qua conuiuatus est Christus cum discipulis suis.

Tertiò. *Anagogicè* datur Altare superius, & inferius. Altare superius significat Tum Sanctissimam Trinitatem: sic intelliguntur illa Verba Canonis Missæ *Iube hæc perferri in sublime altare tuum &c.* Item illa Apocalypsis. *Vidi sub altare Dei animas interfectorum &c.* Tum Ecclesiam triumphantem iuxtà illud psalmi. *Tunc imponent super altare tuum vitulos*. Altare autem inferius significat Tum Ecclesiam militantem, sic aliqui exponunt illud. *Si altare lapideum feceris mihi non ædificabis illud de sectis lapidibus*. Tum mensam Templi, de qua dicitur. *Constituite diem solemnẽ in condensis usq; ad cornu altaris.*

Quartò. *Tropologicè* seu *Moraliter* significat Tum Cor mundum iuxtà illud. *Ignis in altare meo semper ardebit*. Tum mortificationem nostri Corporis, per quam carnales motus feruore Spiritus Sancti consumuntur.

§. 2.

§. 2. *Quot genera Altarium reperiantur.*

ALtaria sunt duplicis generis. Quædam sunt stabilia, firma, sublimia, maiora, quæ communiter & vulgariter dicuntur *(gl' Altari)* Hæc ædificantur & eriguntur in Ecclesijs: de quibus loquitur Alexander Tertius & Hormisda summi Pontifices. Quædam sunt portatilia, mobilia, & gestatoria, quæ vulgariter vocantur *(Pietre Sacrate)* Hæc feruntur de vno loco ad alium. A Bonifacio Octauo vocantur *Viatica*, & à Concilio Tiburense *Tabula Sacra*. Horum altarium magnitudinem dicunt Doctores debere esse tantam, vt cōmodè capere possit Hostiam consecratam, & Calicis pedem: Et *in Actis Ecclesiæ Mediolanensis* habetur debere illorum longitudinem esse vnciarum. 20. & latitudinem vnciarum. 16. quæ debeat claudi intra Coronices ligneas. Sic enim ibi dicitur. Lapis longè vncias. 20. latè. 16. pateat præter capsæ dimensionem, cui insertus est. Capsa eius è nucea omnino tabula sit, crassitudine vnciarum circiter duarum aut plurium pro lapidis crassitudine. Tabulæ verò illi in omni latere intus à summa parte pro lapidis longitudine & crassitudine concauatæ ipse lapis inseratur: itaut illa concauatæ tabulæ linea prominente eiusdem lapidis sectura operiatur. In qua capsa sacrarum reliquiarum reconditarum, quarum nomen constat, inscriptio planè fiat. *Itaibi dictis Actis.*

Hæc altaria portatilia postquam fuerint consecrata solent cooperiri tela cera illita propter reuerentiam; & vocātur portatilia, quia possunt de vno in alium locum deferri absq; eo quod amittāt consecrationem: & possunt adhiberi à quolibet Sacerdote super alia altaria firma alta & maiora quæ extant in Ecclesijs, si illa non fuerint consecrata, secus si consecrata. Extrà Ecclesias non possunt ad Missam celebran-

brandam adhiberi absq; speciali priuilegio summi Pontificis concesso Vel Personis priuatis propter aliquam necessitatem, vt in exercitu militari: aut propter infirmitatem: Vel generaliter alicui statui & conditioni Personarum, vt Episcopis præsertim in itinere; quibus id concessit *Honorius*. 3. *& Bonifacius*. 8. Et consequenter omnibus illis, qui communicant in priuilegijs Episcoporum. Idem concedit *Concilium Tiburense*, *& Maguntinum* in locis, vbi non extant Ecclesiæ, in quibus celebrari possit.

Si quis desideret habere & tenere formam expressam & distinctam Altarium stabilium & maiorum, quæ extruuntur in Ecclesijs: Item illorum mensuras, loca, situs, ornatum, modum, & decentiam, quibus extrui debent, perlegat Concilia Prouincialia *in Actis Ecclesiæ Mediolanensis* præsertim quartum: & Synodus diocæsanas ibidem cum instructionibus, quæ ad hanc rem digestæ fuere à Sanctissimo Præsule Carolo Borromæo.

§. 3. *Qui ritus seruandi circa Altaria, & quæ disciplina.*

CIrca Sacra Altaria fuere per Sacros Canones infrascripta sancita.

Primò Hormisda Papa decreuit nequis Sacerdos, nedum laicus, extruere possit noua Altaria in Ecclesijs iam consecratis nisi cum licentia proprij Episcopi. Itaq; ante Consecrationem Ecclesiæ potest quicunq; erigere quotquot altaria voluerit modò vtilia & decentia absq; alia facultate *iuxtà Conc. Aphricanum, & notat Glos. in cap. placuit de consecr. dist.* 1. Idem præscribitur quoad demolitionem eorundem in Ecclesijs iam consecratis, scilicet ne fiat absque Episcopi licentia *iuxtà idem Conc. Aphr. relatum à Gratiano*. Hoc tamen intelligitur de altaribus firmis & stabilibus; non autem de gestatorijs.

Se-

Secundò. In Altari stabili, suprà quod Episcopus celebrauit, non potest alter quicunq; Sacerdos inferior eadem die absq; eiusdem Episcopi licentia, aut absq; graui necessitate celebrare. Ita præcipit Concilium Orbicense, & Antisiodorense; & docent Doctores præsertim Angelus & Syluester cum alijs. Quod tamen vsus declarauit habere locum quando Episcopus, qui celebrauit, est proprius Pastor, in cuius Diæcesi est altare, in quo celebrauit vt notant *Azorius, & alij*: & hoc in reuerentiam superioris. Multò magis hoc habet locum in altari, in quo Summus Pontifex celebrauit, vbicunq; existat, quia ipse est caput omnium Ecclesiarum. Idem dicendum de Cardinalibus qui sunt Legati à latere in confinibus tamen suæ legationis; sustinent enim & repræsentant Personam Summi Pontificis; atq; ideò debent vbique in summo honore haberi. Notandum tamen quod non tenetur Sacerdos celebraturus hoc inuestigare nisi quando adesset aliqua probabilis ratio id opinandi & dubitandi. *Ita Doctores.*

Tertiò. Altaria fieri debent è lapide solido, & vt dicunt, viuo: non autem è lateribus aut è terra: quod intelligitur præcipuè de Altaribus mobilibus, & gestatorijs, quæ debent esse lapidea, vt supradictum est. Cæterum Altaria stabilia satis est quòd habeant mensam seu superficiem lapideam, suprà quam habetur sacrum; sin secus non possunt consecrari. Ita statuit Concilium Hipponense, cui interfuit S. Augustinus: & asserunt Sancti Patres Cyprianus, Nyssenus, Chrysostomus & alij. Huius rei Alexander de Alés, & Diuus Thomas tres præcipuas afferunt rationes. Prima quia Altare in Ecclesia est figura Christi, qui est caput ipsius Ecclesiæ iuxta illud Apostoli. *Ipse est caput Ecclesiæ*. Et Sancti Ambrosius & Augustinus, inquiunt. *Christus altare est*. hac de causa Altare saltem maius extruitur in loco Ecclesiæ eminentiori, magisq; conspicuo. Secunda quia Altare, suprà quod ce-

lebra-

lebratur, repræsentat sepulchrum, in quo Christus conditus fuit (vt supra diximus) quod erat pariter lapideum, seu, vt verbis Euangelistæ vtar, excisum in petra. Tertia propter commoditatem & securitatem sacrificij: Verum quidem est quod in primitiua Ecclesia Altaria erant lignea. Quod mirum non est (inquit Breuiarium Romanum) nam cum à Sancto Petro vsq; ad Sylucstrum propter persecutiones, Pontifices certo loco consistere non possent, quocunq; eos necessitas compulisset siue in cryptis, siue in Cœmiterijs, siue in ędibus piorum super illo altari ligneo ad arcę similitudinem concauo sacra faciebant. Quo altare Sanctus Syluester reddita Ecclesię pace honoris causa Principis Apostolorum qui in illo sacrificasse dicitur, & reliquorum Pontificum, qui vsq; ad id tempus ad mysteria conficienda eo vsi fuerant, in Lateranensi prima Ecclesia collocato, sanciuit ne quisquam in eo prter Romanum Pontificem Missam deinceps celebraret. Nota quod ille lapis Altaris præsertim portatilis debet esse integer: & lapis mensæ seu superficiei Altaris stabilis si non potest esse integer, debet saltem esse ita vnitus & conglutinatus vt videatur vnus & non plures propter mysterium vnitatis Personæ diuinæ in Christo.

Quartò necesse est vt Altare sit consecratum ad hoc vt supra illud possit confici sacrum; alioquin celebrare scienter super altare non consecratum (intellige saltem portatile) esset graue peccatum sacrilegij. In hac consecratione effunditur super altare consecrandum Chrisma copiosè ad significandam plenitudinem gratiæ humanitatis Christi. Hinc Dauid ait: *Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Et Diuus Ioannes. *Vidimus gloriam eius gloriam quasi Vnigeniti à Patre plenum gratia & veritatis.* Quod autem Altaria debeant consecrari statuit Conc. Agathense, Aquisgranense, Meldense, & Papa Euaristus. Et scripserunt Sancti Dionysius Areopagita, Hieronymus, Augustinus. Ritus, quibus consecran-

crantur Altaria, aliquatenus differunt ab ijs, quibus dedicantur Ecclesiæ; nô est tamen differentia essentialis. Qui pleniorem de hac re notitiam habere desiderat, videat Pontificale Romanum, Turrecrematam, & Durandum. Solum hic repeto altaria portatilia debere esse omnia consecrata; quia super illa offertur immediatè sacrificium: altaria verò stabilia non est necesse vt omnia consecrentur. Vnde aduertendum quod si quis Sacerdos velit celebrare super aliquod altare non à consecratum, debet necessariò curare vt super illud ponatur altare portatile consecratum.

Quintò. In Altaribus consecratis cuiuscunque generis debent recondi Reliquiæ, collocando eas in foramine seu sepulchro in media superficie effosso ponêdo nomen reliquiarum & ipsius consecrantis; deinde superimponendo sigillum etiam lapideum. Sic statuit Conc. Aphricanum & Carthaginense; & scribunt Sancti Doctores Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus & alij relati à *Patre Corona de Templis sacris par. 1. cap. 7. versus finem.* Verum quidem est quod si Altare deseruiret pro deposito seu sepulchro corporis siue ossium siue cinerum alicuius Sancti; tunc non esset necesse apponere alias reliquias nisi fortè illa ossa essent ab altari separata.

Nec mysterio vacat hæc positio Reliquiarum; quia cum petra sit figura ipsius Christi Domini iuxtà illud Apostoli, *Petra autem erat Christus*, recondere intrà illam reliquias est planè ostendere quod Apostolus Paulus ad Colossenses scribit. *In ipso abscondita est vita & gloria Sanctorum.* Vel ipso opere demonstrare quod Euangelista Ioannes in Apocalypsi dicit. Vidi sub altare Dei animas interfectorum propter verbum Dei, & clamabant voce magna dicentes. Vsquequò Domine non vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra. *Hinc Diuus Augustinus.* Videte, *inquit*, quem locum Martyres apud Homines mereantur, qui apud Deum sub altari meruerunt. Et *paulò infrà.* Rectè sub Altari iusto-

rum animæ requiescunt quia super altare Corpus Domini offertur; nec immeritò illic iusti vindictam Sanguinis postulant, vbi etiam pro peccatoribus Sanguis effunditur quibus verbis Sanctissimus hic Doctor duas causas huius sacri ritus videtur afferre: Alteram, quòd Sancti quiescentes sub altari testantur ab altare Crucis omne meritum, gratiam & gloriam se traxisse: Alteram quòd postulant à Deo conuersionem eorum, à quibus læsi & afflicti fuerunt. Adde etiã quòd intercessores existunt apud Deum pro nobis, vt consequamur fructum illius viuifici sacrificij, quod ibi offertur veri scilicet Corporis & Sanguinis Domini Nostri Iesu Christi.

Sextò. Denique Nullus laicorum, & præsertim mulierum accedere debet ad Altare. Sic Concilium Agathẽse & Thuronense, cuius hæc sunt verba *Laici secus Altare stare non præsumant.* Et Conc. Maguntinum. *Nulla fæmina ad Altare præsumant accedere.* Idem præcipit Conc. Laodicenum & Gelasius Papa. Quamobrem quidam Auctor grauiter inuehitur in eos qui hoc non seruant: Et Ecclesiastici, ad quos dirigitur nostrum hoc opus, deberent ipsos Laicos admonere, quia hoc mandat Conc. Laodicenum.

CAPVT III.

De Disciplina seruanda circa Cappellas, Chorum, Sacristiam, Sacrarium.

QVia Altaria sita sunt in Cappellis: & quia Ecclesijs adnexæ sunt aliæ tres partes nempe Chorus ad recitandum diuinum officium: Sacristiæ ad asseruandas res sacras & Ecclesiasticam supellectilem: & Sacrarium ad recondendum in illo quicquid aliquo modo participat de consecratione, & benedictione, & amplius non deseruit Ecclesiasticis functionibus; Ideo de prædictis omnibus in hoc capite agẽdum est per paragraphos distinctos.

§. 1. De Cappellis seu Sacellis.

DVo genera Cappellarum apud Doctores inueniuntur. Quædam sunt veluti Ecclesiæ Minores habentes structuram omnino seiunctam ab alijs Ecclesijs; vnde à quibusdam Doctoribus quædã Ecclesiæ parochiales minores, quæ non sunt Collegiatæ, vocantur Cappellæ. Quædam verò sunt intra ipsas Ecclesias maiores à latere, in quibus sita sunt altaria: Sacerdotes autem ibi ex obligatione celebrantes vocantur Cappellani. Et illa obligatio celebrandi, siue sit ex beneficio, siue ex dote, siue ex quocunq; alio titulo, dicitur communiter Cappellania. Et de his præcipuè hic agimus; nam aliæ dicuntur simpliciter Ecclesiæ.

Cappella igitur venit à nomine Italico Cappa: Quia sicut hæc operit hominem (est enim latinè pallium) ita illa operit altaria ad instar tentorij, seu tabernaculi. Ad celebrandum in dictis Cappellis sufficit altare portatile cõsecratum, præsertim in campis & sub tentorijs quemadmodum habebant in more prisci illi Francorum Reges Christianissimi; quando in castra proficiscebantur. Mos etiam erat apud eosdem deferre secum reliquias sanctorum vt scribit Gregorius Turonensis, quas in castris decenter asseruabant sub eodem tentorio, sub quo habebatur sacrum; inter quas præcipuo honore colebatur pallium Sancti Martini Episcopi Turonensis.

Prædictæ Cappellæ antiquitus dictæ sunt etiã Oratoria, vt notauit Baronius, nimirum ab effectu, quoniam in illis religiosiores fideles ad vacandum orationi se recipiebant. Et in vitis Pontificum manuscriptis, quæ habentur in Bibliotheca Vaticana, Cappellæ binæ ab Hilario Papa prope Basilicam Lateranensem extructæ in honorem S. Ioannis Baptistæ, e S. Ioannis Euangelistæ appellantur Cubicula, & Orato-

toria: Cubicula quidem; quia sunt extructæ ad instar Cubiculorum; Oratoria verò à fine; quia in illis solet orari. Quæ duo significare voluit Christus Dominus apud S. Matthęum illis verbis. *Tu autem cum oraueris intrà in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum.*

Et quia hoc nomen Cappellæ commune est minoribus, & ipsi Cappellę maiori, in qua est Altare maius; ideò ad distinctionem illarum, aliquando Cappella maior reperitur insignita nomine Sacrarij, in qua exceptis Presbyteris & Diaconis nemini licebat ingredi. Sic in *Concilio Agathense* legitur. [Non oportet insacratos ministros licentiam haberę in Sacrarium, quod Græci Diaconium appellant, ingredi & cõtingere vasa Dominica] Et meritò quidem Cappella cum Altare maiori dicta est Sacrarium (quamuis hoc nomen, vt infrà videbimus, nunc aliter vsurpetur) quia semper obtinuit peculiarem quamdam excellentiam super alias: Tum quia respondet illi parti Templi Hierosolomitani quæ dicebatur Sancta Sanctorum, ad quam nemini patebat accessus nisi summo Sacerdoti: Tum quia ibi asseruari solet Sanctissima Eucharistia; & consequenter adstant innumerabiles Angeli, vt testatur S. Ioannes Chrysostomus his verbis. *Et in illius honorem*, inquit, *qui ibi iacet, locus ille Angelorum vbique plenus est.*

Ab hac reuerentia (quæ omnibus Altaribus sed præsertim Maiori propter rationes iam dictas debetur) originem traxit laudabilis illa cõsuetudo sepiẽdi Cappellas cãcellis vel ferreis, vel ligneis, vel lapideis separando eas à loco, vbi cõmorantur laici. Hic vsus cancellorum extitit etiam in magnifico illo Salomonis Templo; nam vt refert Ioseph historicus, Titus Imperator exprobauit Iudæis eò quòd ausi fuissent transgredi Cancellos, quos transgredi nefas erat, sic inquiens. [Nonne vos scelestissimi Cancellos sanctum locum protulistis? Nonne litteris Græcis ac nostris (idest Latinis)

in-

incisas tabulas constituistis, quibus ne septa cuiquam transgredi liceat, edicitur? Nonne eos qui transierunt, quamuis Romanus quis esset, vobis necari permisimus? &c.] Ex quo constat vsum hunc esse antiquissimum, & optima ratione institutum, nempe ad separandum populum & laicos à Clero. Hinc Concilium Calcedonense testatur Magnates Imperij, imo & ipsum Senatũ fuisse solitos in Ecclesia tenere suũ locum extra Cancellos. Sic enim inquit. [Post hæc residentibus magnificentissimis Iudicibus, & amplissimo Senatu in medio ante cancellos Sanctissimi Altaris, & ex læua quidem parte sedentibus &c.] Quod egregiè seruauit clarissimus ille Ecclesiæ Mediolanensis Antistes Præsulum omnium exemplar Ambrosius erga Magnum illum Imperatorem Theodosium, quem intrà Cancellos seu sepimenta Cappellę maioris permanere non est passus, & correptus de hac re intrepidè respondit dignam Ambrosio sententiam *Purpura Imperatores non Sacerdotes facit*. Quem actum deuotissimus Imperator non ægrè tulit; immo summopere cõmendauit, & quod ab Ambrosio didicit semper seruauit, vt testatur Nicephorus; nam Constantinopolim Mediolano reuersus & inuitatus à Patriarca ad ingrediendum in Chorum intrà Cancellos, & sistendum ibi vnà cum Clero, modestè renuit dicens se in Italia ab Ambrosio didicisse quem sibi locum in Ecclesia deberet eligere; & conuersus ad Proceres inquit Inter Episcopos vix alterum se Ambrosium inuenisse. Sic scribunt Nicephorus, Theodoretus, & alij à *Patre Domno Tobia Corona relati de Sacris Templis par. 1. cap. 8.*

Præfatum tanti Principis & Imperatoris exemplum sequi deberent cæteri Catholici Principes, ij præsertim qui nec auctoritate, nec dignitate, nec opibus, nec potentia cum Theodosio conferri vllo modo queunt. Sed heu miseranda temporum conditio. Hac tempestate nõ modò Principes viri, quibus tamen per quandam consuetudinem hoc ab Ec-

cle-

clesia permittitur: sed domicellus quisq; arrogat sibi locum in Ecclesijs non solum intrà Cancellos, sed ipsissimet Episcopis coæqualem. Nunquid volunt sibi locũ penes Dei solium arrogare? Nunquid imitatores Luciferi effecti dicent cum illo. In cælum ascendam, super astra exaltabo soliũ meum, sedebo in lateribus Aquilonis? Sed quid? Veruntamen in infernum detraheris. Videant, videant igitur Principes, attentè considerent, & opere impleant quicquid circa hanc rem eos monefacit Sacrum Conc. Tridentinum. Suo sint gradu & loco conteti; immo ad honorem & gloriam adscribãt sibi quòd laicalis dignitas Episcopali infulæ primas deferat. Quod hic dicimus de Principibus; multò magis locum habere debet in illorum Vicarijs & locum tenẽtibus, qui licet personam suorum Dominorum repræsentent, tamen illorum auctoritas, dignitas, & iurisdictio non est simpliciter eadem cum illa Dominorum: est enim intrà quosdam veluti limites comprænhensa; non autem absoluta. Vnde nonnulla spectantia & ad reuerentiam, & ad gradum, & ad auctoritatem conceduntur Personis Dominorum, quæ à suorum locumtenentibus & ministris non sine magna præsumptionis nota vsurpari contingeret.

§. 2. *De Choro & Subsellijs.*

ECclesijs adiungi solet Chorus ad psallendum pro Clero. Dupliciter autem accipitur hæc vox, Chorus (vt etiam dictum est de voce, Ecclesia) nempe Vel pro re contenta; Vel pro continente: seu loquendo Philosophicè Vel Formaliter, Vel Materialiter.

Si accipiatur primo modo, scilicet pro re contenta & formaliter. *Chorus* iuxtà Augustinum *est consensio cantantium*. Vel iuxtà Isidorum *Chorus est multitudo cantantium*. in qua significatione sæpè accipitur in sacris litteris; nam quando

do mulieres Israelitæ iuerunt in occursum Dauid è cæde gigantis Goliat reuertenti; dicitur in libris Regum quòd egressæ sunt mulieres in occursum cantantes, chorosq; ducentes. Et in Esdra habetur. Statuerunt duo Chori laudantium in domo Domini. Atq; ad hunc Dei laudandi modum inuitat Regius Propheta dicens. *Laudate nomen eius in Choro*. Dicitur autem Chorus, teste eodem Isidoro, à forma Coronæ, quod planius & apertius explicant *Rabanus, Maurus, & Fortunatus his verbis* [Dictus est Chorus, quòd initio in modum Coronæ circum aras starent, & ita psallerent.]

Si autem accipiatur (vt nos hic accipimus) pro continente & materialiter. Chorus est locus in quo Clerici psalmos, hymnos, & laudes diuinas concinere & psallere consuescunt: & ab altari; nec non à parte Templi, in quo populus adstat, secerni solet; vt in Concilio Toletano quarto præscribitur.

Hic locus Cleri, qui Chorus dicitur, appellatur Presbyterium in *Cap. Sacerdotium Dist.* 2. Nam hæc vox Presbyterium ibi referri non potest ad Altare: & ratio est, quia ibi expressè agitur de loco, in quo Sacerdotes & reliqui Clerici consistunt. Reliqui autem Clerici non ingrediantur ad Altare seu Diaconium; solis enim Presbyteris & Diaconis id concessum fuerat *cap. non oportet dist.* 23.

In Choro constitui solent sedilia, seu subsellia pro Clero; quod etiam Sanctus Clemens indicat dum Presbyteros ex vtroq; latere Episcopi sedere scripsit. Et Sanctus Athanasius *Epist. ad solitariam vitam agentes* dolens commemorat Arianos thronum, & subsellia, mensam ligneam, tabulas Ecclesiæ Alexandrinæ &c. quæ foras delata ab Ecclesia combusserant ante vestibulum in magna platea. Et Postea. *O quis hæc audiens non fleuerit?*

Subsellia fieri consueuisse in Ecclesijs testis est Iulianus Apostata, qui vt referunt Sozomenus & Nicephorus, instituerat delubra gentilium tum ordine tum apparatu Chri-

stia-

stianæ Religionis. Itaq; in Idolorum templis tum subsellia, tum primarios suggestus fieri mandauit.

§. 3. de Sacristia.

SAcristia est locus, vbi suppellex sacra reconditur. Vocatur aliquando Secretarium sic *cap. non licet de Consec. dist. 23.* [Non liceat cuilibet ministeria tangere nisi subdiacono in secretario, & sacrario.] Aliquãdo etiam vocatur Camera salutatoria, seu salutatorium; quia Clerici inuicem in eo loco se salutant; ibiq; Episcopi olim à populo honore excipiebantur; indeq; pontificalibus induti egrediebantur vt diuina peragerent.

De Sacristia Concilium Prouinciale Mediolanense primum sub Sanctissimo Præsule Carolo Bortomæo habitũ hæc statuit in Instructione Fabricæ Ecclesiæ, vt in Actis Ecclesiæ Mediolanensis.

In omni cuiusuis generis Ecclesia extruatur Sacristia, quæ pro Cathedralis, Collegiatæ, & Parothialis Ecclesiæ magnitudine & pro numero ministrorum, proque copia Sacræ suppellectilis ampla sit atque eiusmodi vt paulò longius pateat.

Ab Cappella, Altariue maiori tantum intersit vt Sacerdos Missæ sacrum solemniter facturus cum illis, qui ei ministraturi sunt, inde processionaliter ad altare ordine progredi possit, vt antiqui moris est cum mysterij significatione. In cæteris parochialibus, & alijs inferioribus Ecclesijs commodi causa permitti poterit Episcopi iudicio, vt Sacristia à Cappella, Altariue maiori minus absit; tùm verò curandum vt à Domicilio Parochi non valdè distet.

De Situ Sacristiæ & Fenestris.

Omnis autem Sacristia ad Orientem, & Meridiem versus quo ad eius fieri potest omnino spectet. Ita verò construatur

vt illius substructione luminibus eiusdem Cappellæ maioris non obstruatur. Fenestras duas, pluresuè habeat, easq; vbi potest è regione sibi respondentes, ac præsertim à dextro & à sinistro latere, vt cum habeat, vnde aer exeat, eius locus non humidus sit, neq; vliginosus. Quæ fenestræ duplicibus clathris ferreis vel simplicibus saltem densioribus, & firmioribus sepiatur, & muniatur; tum etiam opere vitreo, & reti.

Contecta verò sit opere fornicato, aut saltem laqueato.

De Pauimento Sacristiæ.

Pauimētum habeat non tabulis constructum, sed eiusmodi quod subtus paruulis fornicibus constans totum amplè fornicatum ab humo altius aliquanto, vbi potest, præ humiditate extruatur, ne indumenta sacra ob loci situsq; vliginem putrescant aut corrumpantur. Cuius rei, quò cautius prouideatur, extrinsecus etiam terra congesta parieti adhærens ac stillicidia item quæ humiditatem gignunt inde procul amoueantur; tum solum præterea exterius statu minetur, ruderibusq; & calce solidetur.

De Ostio Sacristiæ.

Ostium Sacristiæ huiusmodi sit, cuius aditus non in Cappellam maiorem, nisi in Ecclesijs minus insignibus secus permittendum Episcopus duxerit, sed in locum publicum nempe in gremium Ecclesiæ rectà pateat. Benè autem septum sit firmissimis valuis sera, & claue itidem firma.

Alia quædam minutiora præscribuntur quoad valuas; quę tamen non sunt necessaria simpliciter, sed ad benè esse.

De loco Sacræ Imaginis & Altari in Sacristia.

In omni Sacristia loco magis conspicuo sit sacra Icona, tum etiam, si amplitudo Sacristiæ patiatur, Altare vel Mensa, Amariumq; quod formam altaris præbeat, instructum Cruce, Candelabris, Mappaq; constratum, apud quod Sacerdotes celebraturi sacris vestibus induantur.

De Oratorio & Altari in Sacristia; & Tabella Orationum.

Sit

Sit præterea oratorium ab aliqua Sacristiæ parte siue foris prominens siue intus decenti loco; idque instar paruuli cubiculi, quò Sacerdos Missæ sacrum facturus se recipiat, ibiq; sese colligens paulisper meditetur & oret. Proinde tum altare paruum sit, in quo proposita Crucifixi imagine, aut pia alia, sanctè precetur; tum scabellum, vbi orando genua flectat.

Si verò Sacristia ita exigua & angusta sit, vt eiusmodi Oratorium habere nullo modo possit, ab aliquo eius latere, quod orationi commodius sit, scabellum saltem vel panno obducto collocetur, vbi Sacerdos genua flectens oret, affixa in pariete aliqua, vt suprà, sacra imagine.

In Oratorio quocũq; sit tabella, in qua orationes ad Missæ sacrum præparatoriæ descriptæ sint.

De Vase Aquario.

Vas præterea aquarium, quod manibus abluendis vsui sit, è solido lapide fiat, cui papilla vna, aut, prout opus est, plures infigantur. Ab inferiori parte sinus aquarius concauus ad excipiendam aquam, quæ inde effluit, è lapide item marmoreo solido sit, foramenq; habeat, vnde per fistulam aqua in paruulam cisternam subterraneam, vel aliò defluat.

Vbi verò redditus exiguus est, pro eo vase aquario situla adhiberi poterit appensa, cui papilla affixa instar gallinacei hæreat; Vnde aqua ad ablutionis vsum sensim effluat, subiecto vt suprà sinu aquario. Sinus autem & vas aquarium omnino, aut aliqua ex parte, in parietis concauitate, quæ semicycli exigui formam præbeat, ornatè extructum intus inhæreat; ne si foris extet, Sacristiæ situm impediat.

Ad abstergendas manus linteum vasi aquario proximum ab opere, instromentoq; tornatili pendeat, idq; candidũ sit.

De Armario Sanctorum Indumentorum.

Armariũ præterea amplum, in quo sacra indumenta asser-

uentur de tabulis nuceis conficiatur.

A pauimento Sacristiæ altè extructum sit cubitis duobus & vncijs quinq. Capsulas ductiles habeat easq; distinctas ac longè patentes, in quibus & pro colorum varietate indumenta sacra expansa, dispartitaq; & ordine asseruentur.

Super eo prætereà armariola item, aut sub eo loculi ab illarum capsularũ latere sint separatam etiam extructi, vbi sacri Calices, Patenæ, Corporalia, Purificatoria, Vela, & alia id generis munda, rectè atq; accommodatè recondantur.

Ab altero latere loculi item, in quibus illa, quæ abluenda sunt, reponantur. Claudatur hoc tùm armarium tum armariola valuulis politè, ac distinctè confectis, seris, & clauibus item distinctis. Atque eiusmodi armaria totidem sint quot multitudo Sacræ suppelectilis poscit.

De Armario Librario.

Alia prætereà armaria structura, quæ cæteris suprà præscriptis respondeat; fiant: Vnum scilicet, in quo libri Ecclesiastici ad psalmodiam; & alium Chori & Ecclesiæ vsum pertinentes aptè conseruentur. Alterum, in quo iura, instrumenta, & scripturæ omnes sint ad ipsam Ecclesiam spectantes; idq; vbi aptius, tutiusq; Archiuium Ecclesia non habeat. Tertium item, si Ecclesia parrochialis sit, in quo certi libri parochiales scilicet Matrimoniorum, & Baptizatorum, Confirmatorum, & alia eiusmodi seruentur; tum etiam separato loco literæ Pontificiæ, Edicta Episcopalia, literæ Episcopi pastorales, quæ in dies promulgantur; tum etiam alia scripta ad Ecclesiæ vel Animarum parochiali curæ commissarum regimen spirituale spectantia.

Hæc tria armaria singula singulis clauibus tutò claudantur: eorum autem loco vnum solum armarium, loculis tamen pro librorum scripturarumue ratione, intrinsecus aptè distinctum extrui possit: vbi vel codicum, scripturarumue paucitas, vel Ecclesiæ exiguitas, non duo aut tria vt suprà requirit.

§. 4

§. 4. De Sacrario.

NOmine Sacrarij apud antiquos scriptores intelligebatur non solùm locus ille, qui modo communiter Sacrarium dicitur; sed etiam Sacristia, & Cappella major cum Altare maiori, vt supra diximus. Verùm propriè loquendo distinguuntur, & Sacrarium propriè est ille locus, in quo res Ecclesiæ vsu attritæ, vel laceræ, & ea quæ Ecclesiasticis vsibus amplius deseruire vel non possunt vel nõ debent, reconduntur ne pedibus incedentium proterantur, aut ne prophanis vsibus applicentur. Huiusmodi res sunt v. g. Aqua baptismalis vetus quando noua benedicitur. Ablutio Calicum, Corporalium, Purificatoriorum. & similium, quæ immediatè deseruiunt diuino Missæ sacrificio. Item Cineres prædictarum rerum, & Vestium Ecclesiasticarum; & multò magis bombix, qua abstergitur Sacrum Chrisma à frõtibus eorum, qui Sacramentum Confirmationis susceperunt. Ita præcipit *S. Clemens Romanus epist. 2. ad Iacobum fratrem Domini.*

Forma Sacrarij.

Duplex Sacrarij forma à S. Carolo præscribitur. Sacrarij prima forma hæc est. Vas scilicet è marmore, lapideue solido fiat, instarq; fontis baptismali concauetur. Longè patens sit cubitum vnum, latè vncias sexdecim; forma rotunda vel ouata, vel quadrata, aliauè, quæ minus situm impediat. In medio fundo concaui foramina habeat forma, quadrata, quod largè ab omni parte pateat vncias circiter quinque. Suffulciatur columella quadrata, aliaue pro ratione Vasis supposita paruula basi sitaut ab Ecclesiæ pauimento vsq; ad summum eius labrum altè extructum sit cubitis duobus. Habeat sub foramine paruulum tubulum aquæductumue in media Columella effossũ sculptumue, qui quadrata etiam forma amplè itidem pateat vncias quinq; vt per eum aquæ, cine-

neres, aliaq; id generi quæ effunduntur, aut proijciuntur, deorsum deffluant. Infrà hunc tubulum, aquæductumue cisterna suffodiatur, in quam quæcunq; effusa, proiectaue erunt, recipiantur. Id sacrarium integumentum operiat, quod ex tabulis nuceis sit atq; eiusmodi vt à parte superiori sensim leni accliuitate quasi pyramidis instar, emineat. Claudatur autem firmissimè pessulo, sera, & claue.

Altera Sacrarij forma hæc est. Fenestella in pariete vncijs viginti, vel cubito, prout illius crassitudo est, concaua extruatur; quæ cubito etiam vno ac paulò amplius latè pateat: alta verò sit cubito item vno, & dimidio. Ab Ecclesiæ pauimento in altitudinem extruatur cubitis circiter duobus. Cuius Fenestellæ solum è solido lapide, eoq; concauo sit, in quo foramen insit vt suprà. Forma amplè quadrata; tum aquæductus, & subtus item suffossa cisterniola. Valuulis suis sera & claue occludatur.

CAPVT IV.

De Baptisterio, Cæmeterio, & Sepulturis.

BAptisteria, & Cæmeteria vel sunt partes Templorum, vel contigua illis vtpotè loca, per quę aut ingredimur in societatem fidelium & renascimur Christo, efficimurq; ipsius membra, & huiusmodi est Baptisterium: aut egredimur per mortem ab hoc cœtu seu Ecclesia fidelium, & reuertimur ad Christum, & tale est Cæmeterium seu sepultura. Ideo postquam vidimus de Templis seu Ecclesijs; item de illarum partibus nempe de Altaribus, Cappellis, Choro, Sacristia, & Sacrario; consequens est vt agamus de præmissis, quæ ad Ecclesias aliquo modo reducuntur.

§. 1.

§. 1. De Baptisterio, & Sacro fonte Baptismatis.

Baptisterium dupliciter accipitur vno modo pro re con- tenta, Alio modo pro continente vt in similibus dictam est aliàs. Baptisterium acceptum pro contento est Vas, in quo est fons seu aqua baptismalis, qua baptizantur fideles. Baptisterium acceptum pro continente est ipse locus, in quo asseruatur Vas prædictum.

Antiquitus credētes fideles babtizabātur in fluuijs & fontibus. Vnde ipsemet Christus in flumine Iordano baptizatus est à Ioanne Baptista; non quidem quia indigeret baptismo; sed vt sanctificaret & consecraret baptismum, quo fideles lauandi erant. Lydiam in flumine baptizatam legimus in Actis Apostolorum. Eunuchus Reginæ Candacis in via cum venisset ad aquam baptizatur. Custos carceris cum familia sua in ipso carcere baptizatur. Itaq; in fluminibus, in fōtibus, in domibus, in carceribus, in vijs, & vbiq; baptisma administrabatur prout se dabat occasio, & necessitas postulabat.

Crescente verò, temporum successu, Christianæ Religionis honore, creuit etiā institutionum Ecclesiasticarum decus, in simul & creuit huius mystici lauacri solemnior administratio. Quamobrem amplissima instituta & erecta fuere baptisteria, in quibus Presbyteri præscriptis sibi quibusdam ritibus & cæremonijs hoc Sacramentum fidei, & Christianæ professionis initium credentibus exhiberent.

Priscis tēporibus vno tantùm baptisterio per singulas Vrbes nostri maiores vtebantur, quod ad nostra vsq; tempora in quibusdam locis adhuc seruari videmus, vt Florentiæ, Senis, Pisis, Bononiæ, Parmæ, & fortè aliquibus alijs Italiæ Vrbibus. In quo vno loco baptizabantur simul iuuenes, & senes; diuites & pauperes &c. Erat tamen separatio fœminarum à masculis, quia diuerso tempore, & nō vnà cum masculis bapti-

tizabantur. Vt ex Diuo Augustino refert *Stephanus Duranti de Ritibus Ecclesiasticis*. Ea tamen baptisteria vt plurimùm extra Basilicas extruebant, vt apparet tum ex illo Lateranensi, in quo Constantinus Magnus à S. Syluestro baptizatus fuit; tum ex S. Cyrillo Cathechesi mystagogica prima illis verbis. *Primùm ingressi estis in porticum baptisterij*: tum ex Greg. Turon. & S. Paulino, quos refert & citat idē Stephanus Duranti. Hinc Anastasius bibliothecarius in Vita Adriani Papæ scribit Carolum Magnum Francorum Regem cum Clero & Populo Romano stetisse Sabbatò Sancto in Ecclesia Lateranesi quousq; Pōtifex in baptisterio Sacramentum conferret baptismatis. Excrescente autem numero credentium cum baptisma rationabilibus de causis non vsq; ad ætatem adultam vt antea, sed in ipsa quoq; infantia conferri cæpisset, cęperunt etiam baptisteria fieri in Ecclesijs propè illarùm vestibulum vt consuleretur tenerrimæ infantum ætati. Qui vsus iam à Clodouei Regis Francorum temporibus inolere cæpit; nam Regem istum à Sancto Remigio consimili in loco baptizatum fuisse textatur Greg. Turonensis.

Vas baptismale confici debet è lapide solido marmoreo non autem fragili & spungioso, vt statuit Conc. Ilerdense, idq; ne aqua per poros paulatim effluat, aut ne per lapidem fractum tota dispergatur & dissipetur. Et quādo id fieri non possit iubet Conc. vt tale Vas conficiatur ex alia materia solida, puta metallo, aut simili, prohibetq; ne alijs vsibus inseruiat, & ne ab Ecclesia dimoueatur. In instructionibus Fabricæ Ecclæsiasticæ, de quibus in Actis Eccles. Mediol. præscribitur vt vbi commoditas fuerit in Ecclesijs insignioribus cōstruatur Cappella cum Altari S. Io: Baptistæ dicata cum ipsius Sancti Christum Dominum baptizantis effigie, quæ Capella extet propè ianuam Ecclesiæ conuersa ad Altare maius; in cuius medio erectum sit baptisterium suprà Columellam, cuius pauimentum sit aliquantò altius basi Colu-

mel-

melle itaut ingressus sit quasi descensus, dictaq; Cappella speciem exhibeat sepulturæ magis minusq; amplæ iuxtà opportunitatem situs. Intrà quem situm demissiorem iubet confici cisternam ad instar sacrarij, in quam per tubulum recipiatur aqua effusa super caput baptizati, vbi baptisma confertur per infusionem. Mandat insuper vt illa Cappella, seu locus quilibet alter, in quo est baptisterium, cancellis sepiatur ita, vt nemo possit ad illam accedere, nec minus illi indecenter incumbere, aut impellendo dictum vas ad terram deijcere.

Præter supradictum Vas requiruntur quædam alia, nempe panniculi linei mundi ad abstergendum Caput baptizati; item vascula pro Chrismate, & pro oleo Cathecumenorum, quibus inunguntur ij qui baptizantur; & hæc custodiri debent in loco semoto in aliqua fenestella intrà Cappellam, sed propè baptisterium, vel saltem intrà ipsummet baptisterium.

In instructionibus. S. Caroli de suppellectili Ecclesiastica præscribitur etiam Vasculum vel argenteum, vel saltem stanneum cum suo operculo, quod deseruire debeat Parochis ad accipiendam ab Ecclesia Cathedrali vel à Matrice aquam baptismalem die sacro Sabbati sancti, vel in Vigilia Pentecostes. Et expressè prohibetur ne hoc vas alijs vsibus deputetur.

Et vbi hoc Sacramentum administratur per aspersionem seu infusionem mandat adhiberi cochleare argenteum ad aquam capiti baptizandi infundendã; quod manubrio paululam adunco appendi possit; & à parte sinistra labrum habeat paulò contractius instar paruuli canalis; vnde in infantis caput aqua tenuiter effundatur.

Cæterum quod attinet ad cultum & honorem baptisterijs debitum semper apud antiquos etiam Principes mos fuit illa magnificè exornare & insignire, vt de baptisterio Lateranensi latè refert *S. Damasus de Vitis Pontificum in vita S. Silvestri.*

uestri. & Honuphrius cap. de baptisterio. Mos etiam fuit columbas aureas, atq; argenteas in figura Sancti Spiritus suprà sacratum fontem suspensas collocare, vt apparet ex. 2. Synodo Nicena art. 5. & Honufrio de præcipuis Vrbis Romæ Basilicis cap. d. de Baptisterijs. Qui auctor ornamenta Lateranensis baptisterij, & quæ in eo à Summis Pontificibus instaurata deinde fuerunt, & quam in formam redactum fuerit pluribus enarrat.

Tanta reuerentia huic sacro lauacro à priscis adhibebatur, vt olim baptisteria consecrari solerent, cuius consecrationis ritus distinctos ab ipsa consecratione aquæ Rituale vetus Romanum seu ordo Romanus habet. Quapropter tum ob id, tum præcipuè propter veniam peccatorum, & diuina Charismata, quæ fideles per baptismum consequuntur, hic locus à Christi fidelibus in honore semper est habitus. Vnde Sanctus Athanasius magnoperè conquerebatur de impijs Arianis in Epistola ad orthodoxos, quod illi baptisteria succenderint illis verbis. [Vbi enim, inquit, apud priscos talis tragædia, aut quid simile in bello & persecutione factum est vnquam? siquidem & Ecclesijs, & Baptisterijs flammæ iniecere. Magnus igitur luctus &c.] Non mirum si propter irreuerentiam erga hunc sacrum fontem adhibitam nonnulli etiam in hac vita pænas luere; quamuis etiam sine voluntate, dolo, ac malitia huiusmodi irreuerentiam exercuerint. Vnde obseruatum est de Constantino Copronimo Imperatore Constantinopolitano, de Vuenceslao Rege Boemiæ, & Imperatore filio Caroli quarti Imperatoris, de Sebredo Rege Angliæ, quòd dum baptizarentur fædauerint excrementis hunc sacrum fontem, & ij omnes pariter scelestissimam vitam duxere, finemq; vitæ miserrimum sunt sortiti; quamuis propter infantilem ætatem illa irreuerentia non esset culpabilis; & potius dici poterat illam fæditatem nō obscurum fore præsagium illorum fedissimæ vitæ. De quodam milite im-

impudentissimo fertur quòd in quodam castro propè Coloniam ausus esset impudenter fœdare baptisterium illius Ecclesiæ. Vnde repentè cæcus effectus, & ab hostibus captus fuit suspensus ante fores eiusdem templi, cui tantam irreuerentiam irrogauit, sic puniente Deo morte temporali illum qui vilifecerat locum, vnde ipse Vitam & spiritualem generationem fuerat consequutus.

§. 2. *De Sacris Cœmeterijs.*

Cœmeterium, nomen est Græcum, & iuxtà variam deriuationem à varijs vocibus Græcis (vt notat Stephanus Duranti) significat vel locum, vbi cineres mortuorum conseruantur: vel locum ante Ecclesiam (vel; quod probabilius est) dormitorium, quasi locus, vbi dormiunt, & quiescunt mortui; nam persæpe in sacris litteris, & præsertim in nouo testamento fideles, qui moriuntur in Domino, dicuntur dormire. Sic apud Ioannem Christus Dominus de Lazaro dicebat. *Lazarus amicus noster dormit.* Et Apostolus ad Thessalonicenses. *Nolumus vos ignorare me dormientibus vt non contristemini sicut & cæteri qui spem non habent.* Et multi Sancti Patres vocant somnum, mortem iustorum. Sic Diuus Hieronymus de Christi fidelibus pronuntiat. In Christianis, inquit, non est mors; sed dormitio & somnus appellatur. Et Diuus Chrysostomus. Mors non est mors; sed somnus & dormitio. Et meritò sane, quia qui moriuntur in Domino ad instar morientium se habent; iacent quidem exanimes in terris, sed vitam beatam viuunt in Cælis. Vnde Paulus. *Quasi morimur, & ecce viuimus.* Præterea qui dormitat non est in obliuione apud domesticos, neq; est derelictus; & ideò in psalmis dicitur. *In memoria æterna erit iustus.* Contrà verò de impijs dicitur. *Perijt memoria eorum cum sonitu.* Rursus qui domit, iterum euigilat & è somno vegetior & robustior euadit: Sic de iustis

à mortuis resurgentibus dicitur. *Et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ.* Vnde quemadmodum dulcis ac suauis est somnus & requies post laborem; ita suauis est somnus mortis ijs, qui pro Christo in hac vita laborauerunt. Iustus, inquit sapiens, si morte præoccupatus fuerit in refrigerio erit.

Hæc igitur Cæmeteria seu dormitoria apud Priscos fideles extabant ferè omnia extrà Vrbes, & præsertim Romæ. Quia vt refert Tullius prohibitum erat apud Romanos sepelire mortuos intra mœnia Ciuitatis exceptis ijs qui ob aliquam insignem victoriam triumphum agere meruissent. Quapropter idem etiam seruabatur à pijs illis fidelibus; ni fortè aliquando deuotionis, aut maioris commoditatis gratia occultè in proprijs domicilijs alicuius Sancti Martyris corpus sepelissent, vt legimus fecisse Sanctas illas Sorores Pudentianam & Praxedem filias Sancti Pudentis Senatoris, & discipulas Sancti Petri Apostoli. Hæ namq; Martyrum corpora eorumq; sanguinem recondebant in ipsarum domibus, quæ postea in Ecclesiam dedicatę adhuc his temporibus visuntur & coluntur Romæ, altera in Colle exquilino sub titulo Sanctæ Praxedis, altera ad radices collis Viminalis sub titulo Sanctæ Pudentianæ.

Hæc mortuos extrà mænia Ciuitatum sepeliendi lex fuit à Leone Imperatore abrogata, sed iterum à Teodorico Gotho Rege Italiæ fuit confirmata. Et hæc legis variatio fortè fuit in causa Cur extent modò Cæmeteria tàm intrà, quàm extrà Vrbem. Vsus tamen frequentior & communior erat, vt Cæmeteria extarent extrà Ciuitates; *vt innuit S. Chrysostomus his verbis.* [Omnem Ciuitatem, & omne Castellum ante ingressum habere sepulchra.]

Et quamuis Ethnici olim haberēt in more suorū cadauera defunctorum igne absumere, & in cineres redigere: attamen fideles vtriusq; testamenti hoc nunquam egerunt; immo

mo antiquitus corpora defunctorum condire solebant pretiosis balsami, mirrhæ, aloes, similiumq; aromatũ vnguentis, quæ à putredine præseruandi vim habent; hoc pacto quodammodo contestantes eos defunctos interim suauiter in amplexibus Domini requiescere (iuxtà illud. *Iustorũ animæ in manu Dei sunt*) quousq; à somno mortis euigilent ad sonitũ illius tubæ, de qua Apostolus ad Corintios. *Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti.* Et hanc rationẽ obseruauit Tertullianus. Quapropter illud etiam in more fuit receptum sepeliendi mortuos intrà criptas & in cauernis seu speluncis, vt legimus de Abrahamo, qui emit speluncam Ephren Hettei ad sepeliendam Saram suam dilectam coniugem, in qua etiam spelunca fuerunt tractu temporis recondita corpora & ipsius Abrahami, & Isaac, & Iacob, coniugumq; ipsorum. Immo ipsemet Christus Dominus elegit sibi sepulchrum excisum in lapide.

Non dissimilia à prædictis speluncis sunt sacra illa Martyrũ conditoria, quæ extant Romæ vulgariter dicta, *Catacombe*, in quibus prisci illi Christi fideles suorum corpora defũctorum & præsertim Martyrum sepeliebant. Fuerunt etiam dicta Areæ eo quod extarent sub campis, vel quia erant loca spatiosa tanquam plateæ; quo nomine appellat ea Tertullianus. Ab Historicis latinis vocantur Criptę arenariæ eò quod formarentur tales ex fossione arenæ pro construendis ædificijs: & quia Romæ olim plurima, eaq; magnifica extruebantur ædificia; hinc est quòd multæ tales Criptæ arenariæ subterraneę in districtu Sanctæ illius Vrbis comperiuntur: immo nonnullæ sic per varios, longosque anfractus protenduntur sub terra, vt post ingressum ad illas, difficillimum deinde sit exitum inuenire. Tales criptas & Catacumbas describit Sanctus Hieronymus in Ezechielem cap.40.

In istis locis toto tempore, quo durauit Ecclesiæ persecutio à varijs tyrannis excitata (quæ sanè durauit per annos cir-

à mortuis resurgentibus dicitur. *Et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ.* Vnde quemadmodum dulcis ac suauis est somnus & requies post laborem; ita suauis est somnus mortis ijs, qui pro Christo in hac vita laborauerunt. Iustus, inquit sapiens, si morte præoccupatus fuerit in refrigerio erit.

Hæc igitur Cæmeteria seu dormitoria apud Priscos fideles extabant ferè omnia extrà Vrbes, & præsertim Romæ. Quia vt refert Tullius prohibitum erat apud Romanos sepelire mortuos intra mœnia Ciuitatis exceptis ijs qui ob aliquam insignem victoriam triumphum agere meruissent. Quapropter idem etiam seruabatur à pijs illis fidelibus; ni fortè aliquando deuotionis, aut maioris commoditatis gratia occultè in proprijs domicilijs alicuius Sancti Martyris corpus sepelissent, vt legimus fecisse Sanctas illas Sorores Pudentianam & Praxedem filias Sancti Pudentis Senatoris, & discipulas Sancti Petri Apostoli. Hæ namq; Martyrum corpora eorumq; sanguinem recondebant in ipsarum domibus, quæ postea in Ecclesiam dedicatę adhuc his temporibus visuntur & coluntur Romæ, altera in Colle exquilino sub titulo Sanctæ Praxedis, altera ad radices collis Viminalis sub titulo Sanctæ Pudentianæ.

Hæc mortuos extrà mænia Ciuitatum sepeliendi lex fuit à Leone Imperatore abrogata, sed iterum à Teodorico Gotho Rege Italiæ fuit confirmata. Et hæc legis variatio fortè fuit in causa Cur extent modò Cæmeteria tàm intrà, quàm extrà Vrbem. Vsus tamen frequentior & communior erat, vt Cæmeteria extarent extrà Ciuitates; *vt innuit S. Chrysostomus his verbis.* [Omnem Ciuitatem] & omne Castellum ante ingressum habere sepulchra.]

Et quamuis Ethnici olim haberẽt in more suorũ cadauera defunctorum igne absumere, & in cineres redigere: attamen fideles vtriusq; testamenti hoc nunquam egerunt; immo

mo

mo antiquitus corpora defunctorum condire solebant pretiosis balsami, mirrhæ, aloes, similiumq; aromatũ vnguentis, quæ à putredine præseruandi vim habent; hoc pacto quodammodo contestantes eos defunctos interim suauiter in amplexibus Domini requiescere (iuxtà illud. *Iustorũ animæ in manu Dei sunt*) quousq; à somno mortis euigilent ad sonitũ illius tubæ, de qua Apostolus ad Corintios. *Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti.* Et hanc rationẽ obseruauit Tertullianus. Quapropter illud etiam in more fuit receptum sepeliendi mortuos intrà criptas & in cauernis seu speluncis, vt legimus de Abrahamo, qui emit speluncam Ephren Hettei ad sepeliendam Saram suam dilectam coniugem, in qua etiam spelunca fuerunt tractu temporis recondita corpora & ipsius Abrahami, & Isaac, & Iacob, coniugumq; ipsorum. Immo ipsemet Christus Dominus elegit sibi sepulchrum excisum in lapide.

Non dissimilia à prædictis speluncis sunt sacra illa Martyrũ conditoria, quæ extant Romæ vulgariter dicta, *Catacombe*, in quibus prisci illi Christi fideles suorum corpora defũctorum & præsertim Martyrum sepeliebant. Fuerunt etiam dicta Areæ eo quod extarent sub campis, vel quia erant loca spatiosa tanquam plateæ; quo nomine appellat ea Tertullianus. Ab Historicis latinis vocantur Criptę arenariæ eò quod formarentur tales ex fossione arenæ pro construendis ædificijs: & quia Romæ olim plurima, eaq; magnifica extruebantur ædificia; hinc est quòd multæ tales Criptæ arenariæ subterraneę in districtu Sanctæ illius Vrbis comperiuntur: immo nonnullæ sic per varios, longosque anfractus protenduntur sub terra, vt post ingressum ad illas, difficillimum deinde sit exitum inuenire. Tales criptas & Catacumbas describit Sanctus Hieronymus in Ezechielem cap. 40.

In istis locis toto tempore, quo durauit Ecclesiæ persecutio à varijs tyrannis excitata (quæ sanè durauit per annos

cir-

circiter trecentos) Christi fideles exercebant diuina; ibi Cõcilia agebantur; quia publicè ista agere non audebant: qua in re haud dissimiles sanctis testamenti veteris videbantur, de quibus Apostolus ad Hebræos scribens sic ait *Egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & cauernis terræ.* In Istis pariter locis suorum corpora defunctorum ac Martyrum deponebant itaut in Cæmeterio & Catacumbis Ecclesiæ Sancti Sebastiani Romæ adnotentur sepulta 77740. corpora fidelium: necnon 46. Sanctorum Pontificum; sic descriptum & adnotatum inspicitur vsque in hanc diem suprà portam dictæ Catacumbæ intrà Ecclesiam à dextris. Vt autem illi pij fideles corpora Sanctorum Martyrum ab alijs distinguerent, solebant super loculos ipsorum nomen & annum passionis & mortis insculpere; & insuper etiam nomen Imperatoris vel Iudicis sub quo passi erant; super loculos autem aliorum fidelium simplicem Crucẽ efformabant. Et quia non rarò tantus erat Martyrum numerus vt singulorum nomina sciri non possent; ideò suprà Criptas, vbi eorum corpora deponebant, soliti erant inscribere has voculas, *Pro Christo*, vel etiam efformare in lapide gladium, aut caput præcisum, aut palmam, quam tamen Sanctis Pontificibus martyrio coronatis duplicabant. Igitur ex his locis, quæ Cæmeteria vocantur, extabant olim Romæ ad quadraginta tria vt adnotauit Baronius.

Cæterum de Cæmeterijs, quibus hac nostra tempestate fideles vtuntur, quid statuẽdum, qualia debeant esse, & qualiter custodiri, videri possunt *Instructiones descripta in Actis Ecclesiæ Mediolanensis part.* 4. desumptæ à Sacris Canonibus, Concilijs, & Ritibus antiquis. Specialiter ibi præscribitur d. Cæmeteria circumcingi muro itaut nullius generis belluæ possint in illa penetrare. Intus in medio erigi Crucem in signum loci sacri & religiosi. Adesse aquam benedictam in ali-

quo

quo vasculo. Ædificari ibi ædiculam ad instar Cappellulæ desuper contectam, in qua reponantur ossa defunctorũ quæ exhumata iacent in terra. Eradicari omnes arbores ibi existentes. Nulla ibi pertractari commercia nundinarum, emptionum, & venditionum, nec alia prophana. Non sepeliri ibi eos, quibus hoc à Sacris Canonibus est interdictum. Plurima alia sanctissima monita ac decreta ad hanc rem facientia loco citato præscribuntur notatu digna.

§. 3. *De Sepulturis.*

LIcet in re idem sint Cæmeteria & Sepulturę quantum ad finem & præcipuum illorum effectum, qui est sepeliendi mortuos: aliquod tamen inter hæc duo intercedit discrimen tum quoad situm, quia Cæmeteria fiunt extrà Ecclesias; sepulturę autem & intrà & extrà; tum quoad magnitudinem, quia Cæmeteria continent in se multas sepulturas, nõ autem è conuerso. Hac igitur de causa instituimus hic distinctum paragraphum de sepulturis, præsertim cum Sacri Canones multa specialiter præscribant sub titulo de Sepulturis; quæ non præscribunt sub titulo de Cæmeterijs.

Quod igitur attinet ad Sepulturas ante omnia obseruandum est olim fuisse vetitum tumulare mortuorum corpora intrà Ecclesias, vt expressè testantur Concilia Triburense, Nannetense, & alia quæ refert Gratianus. Quapropter nullæ in templis extabant Sepulturæ, & ad sepeliendum inseruiebant Cameteria. Erat tamen prærogatiua specialis summorum Principum, siue Ecclesiasticorum, siue laicorum vt ipsorum cadauera deponerentur in atrijs Templorum: sic de duobus Theodosijs, & de Arcadio Imperatoribus testatur Nicephorus: & Sanctus Chrysostomus narrat peculiare fuisse priuilegium Constantini Magni, vt Corpus eius in atrio Ecclesiæ Sancti Petri Constantinopo-

li

li collocaretur, ac si post mortem effectus esset quodammodo Ianitor Piscatoris. Consuetudo hæc adhuc seruatur in Gallijs per leges Caroli Magni vt refert Stephanus Duranti. Temporum autem successu cæpit inualescere mos deportandi ad Ecclesias ibiq; condendi etiam corpora Sacerdotum, aliorumq; Ecclesiæ ministrantium, item magnatum, & virorum illustrium; ac tandem omnium etiam promiscuè fidelium, vt habetur in Concilijs Moguntino, Meldense, & Triburense. Et sic ab Ecclesia Dei semper inde fuit approbatum & seruatum simul cum vsu illo habendi Cæmeteria extrà Ecclesiam: mansit tamen illa prohibitio & manet vsq; adhuc ne cadauera tumulentur propè altaria, in quibus Sacrificium offerri solet: sic Concilium Meldense præcipit vt exhumentur cadauera & ossa fidelium propè altaria tumulata; & vbi propter magnam copiam & quantitatem id exequi commodè non potest, mandat vt ipsum Altare demoliatur. Sic Iuo.

Porrò loca ordinaria sepeliendi fideles sunt Ecclesiæ parochiales, in quibus fideles suscipiunt Sacramenta, & soluũt decimas. Sic statuit Dionisius Papa, Innocentius. 3. Leo. 3. & Concilium Triburiense. Excipiuntur tamen aliqui casus.

Primus quando defunctus adhuc viuens elegit sibi sepulturam, quæ tamen sit in loco sacro & publico: Datur consilium vt talis electio sit de loco, quoad fieri potest, religiosiore; vbi freqnentius & deuotius diuina peragantur, quales sunt Ecclesiæ Cathedrales & huiusmodi.

Secundus quando defunctus habet propriam sepulturam pro familia sua. Id afferunt Sancti Hieronymus & Augustinus relati in Decreto; idq; intelligitur etiã de vxoribus, quæ ex hac vita migrantes absq; alia sepulturæ electione debent cum viris in eodem tumulo humari: & si quando contingat aliquam plures habuisse viros, in tali casu communiter Doctores volunt esse sepeliendam in sepulchuo postremi & vltimi

timi viri, si illa secus non disposuerit.

Tertius, quando defunctus est filius familias, & moritur ante vsum rationis: tales enim non possunt eligere sibi sepulturam, sed sepeliri debent iuxtà voluntatem parentum si contraria non obstet consuetudo vt explicat Lucius 3. Papa. Hæc exceptio locum non habet quādo filij iam habent vsum rationis, vel sunt emancipati; quamuis absq; rationabili causa nec isti parentum sepulturam relinquere debeant iuxtà decretum Melchiadis Papæ, & Leonis Tertij.

Si quis igitur, exceptis prædictis casibus, & similibus, sepeliret defunctum aliquem fidelem; ij, ad quos de iure spectat, repetere possunt & sibi vindicare cadauer cū omnibus emolumentis inde consequentibus, vt communiter asserunt Doctores. Aduertendum tamen laicos nullum habere ius in sepulturam sed tantummodo vsum; & ratio est quia sunt loca sacra. Illa verò Canonica portio, seu quarta à pluribus summis Pontificibus instituta non est pretium sed signum subiectionis. Quapropter Cathedrali aut Parochiali Ecclesiæ tribuitur Eleemosina determinata Vel à Iure Canonico, vel à legitima consuetudine, eaque prominiſtrorum Ecclesiæ subuentione; quemadmodum cætera alia emolumenta, quæ sepulturæ causa persolui consueuerunt; nam vt ait Apostolus. *Qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt edunt.* Quo pariter modo præscripta est Eleemosina debita pro celebratione Missarum. Prædicta omnia docent Sacri Doctores.

Ex omnibus prædictis, quæ de Cæmeterijs & sepulturis diximus, duo colliguntur. Primum. Quod tribuere sepulturam mortuis est opus pium, sanctum, Deoque summè acceptabile, vti clarè per Angelum Rafaelem testatum fuit Tobiæ illis verbis. *Quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam Domino.* Et Dauid Rex ijs, qui sepelierunt Saul dixit. [Benedicti vos à Domino,

quia fecistis misericordiam hanc cum Domino vestro Saul, & sepelistis eum, & nũc retribuit vobis Dominus.] Atq; idem Christus Dominus cõmendat pium illud officium vnctionis, quo feruẽs illa Magdalena præuenit suam sepulturã. [Opus, inquit, bonum operata est in me; mittens enim vnguentum hoc ad sepeliendum me fecit.] *Hinc Diuus Augustinus.* [Non contemnenda, *inquit*, non abijcienda sunt Corpora defunctorum, maximèq; iustorum & fidelium; vnde & antiquorum funera officiosa pietate curata sunt, exequiæ celebratæ, & sepultura prouisa.] Sicut autem pijssimum & laudabile est dare sepulturam corporibus defunctorum; ita detestabile in sacris litteris habetur defunctorum Corpora inhumata relinquere. *Posuerunt mortalia seruorum tuorum escas volatilibus Cœli, & carnes sanctorum tuorum bestijs terræ.* Non quòd ex hoc Animæ defunctorum patiantur aliquid, aut illarum fælicitas minuatur: sed quia non modica illis irrogatur iniuria sic eorum corpora despecta & insepulta deserere; est enim hoc contrà innatum hominis desideriũ, cum vnusquisq; communiter apperat post suum obitum honorificè sepeliri. Hinc est quod Sancti illi testamenti veteris Patriarchæ tanti fecerunt ipsorum Sepulturas vt Iacob expressè mandaret filijs suis, vt se in Ebron sepelirent cum suis patribus *seplite me*, inquit, *cum Patribus meis*. Et Ioseph eius filius etiam mandauit vt, quando de Egipto exirent, secum ossa sua deferrent. Tobias quoq; senior præcepit filio suo, vt suum corpus deponeret iuxtà matrem suã; multaq; alia consimilia exempla habentur in veteri testamẽto. In lege autem gratiæ legimus quamplurimos beatos apparuisse suis deuotis, eisq; mandasse vt honorificè tumularent sua corpora. Sic in vitis Sanctorum multa talia leguntur. Et meritò; quia vt inquit Apostolus *Nemo est, qui carnem suam odio habeat.* Quod explicat *Diuus Augustinus his verbis* [Ex illo humano cordis affectu, quo nemo vnquam carnem suam

odio

odio habet, si cognoscant homines aliquid post mortem suam suorumq; defunctorum deesse quod in sua cuiusq; gente vel patria possit solemnitas sepulturæ, contristantur vt homines, & quod ad eos post mortem non pertinet, ante mortem his corporibus timent.]

Alterum quod ex supradictis colligitur est hoc, nimirum quòd Corpora fidelium humari debent in loco sacro siue Cæmeterio, siue Ecclesia. Talem extitisse in Ecclesia Dei ab antiquo tempore consuetudinem testantur multi Sancti Patres Gregorius, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus; & omnium primus Sanctus Cyprianus, qui scribens ad Martialem reprehendit Christianum quemduam, qui suos sepelierat filios in prophano. Hinc apparet quàm stultè, & peruersè sentiebant hæretici illi ab Ænea Siluio relati, qui Catholicũ hoc & pium institutum sepeliendi mortuos in Cæmeterijs, inq; Ecclesijs, carpebant. Cum & ipse Licurgus legislator Lacedemoniorum quamuis Ethnicus legem tulerit vt defunctorum cadauera iuxtà templa sepelirentur. Cæterum tàm laudabilis consuetudo in Ecclesiam Dei inuecta est ab ipsis Cõstantini Magni Imperatoris temporibus, quãdo sedatis persecutionum fluctibus sub hoc pijssimo, & religiosissimo Principe, tandem ipsi Ecclesiæ reddita est optata tranquillitas. Causa id inducendi ea, vt arbitror, fuit; quia cum quam plurima Sãctorum Martyrum Corpora in Templa illis dicata transferrentur, fideles omnes optabant deuotionis gratia post suam mortem in eisdem templis tumulari. *Sic ait Cardinalis Baronius.* Vnde semper ad hæc vsque tempora talis consuetudo continuata praxi seruata est.

Huius laudabilis instituti Corpora fidelium defũctorum in Ecclesijs Sanctorum sepeliendi varias Sancti Patres afferunt rationes. *Sanctus Maximus inquit*; [quia defunctorum animæ suffragia percipiunt ex intercessione eorum Sanctorum, quorum in Ecclesijs requiescunt.] *S. Dionisius Areopagita*

ait; [quia corpora fidelium sunt eiusdem conditionis & massæ cum Sanctorum Martyrum corporibus, ijsdem Sacramentis sanctificata, eodem spiritu viuificata, socij in laboribus & consortes in gloria, & eiusdem corporis mystici Sanctæ Ecclesiæ membra.] *Sanctus Clemens addit*; [quia fideles sacra templa frequentantes, suorumq; parentum & amicorum monumenta cernentes, ad fundendum Deo preces, aliaque pietatis opera pro animabus illis exercenda excitatur.] Idem scriptum reliquit *Sanctus Gregorius his verbis*. [Hoc, *inquit*, prodest mortuis, quos in Ecclesia sepelierunt, quòd eorum proximi quoties ad ea sacra loca veniunt, eorum, quorum sepulchra aspiciunt, recordantur, & pro eis Domino preces fundunt.]

Cum igitur tot commoda consequantur ex sepultura habita in locis sacris & in Ecclesijs, hinc est quod Deus inter cæteras pænas, quas impijs infligere solet, non minima est priuare illos sepultura: Et ita factum est cum Ieroboam Rege Israelis, de quo dictum fuit. *Qui mortui fuerint de Ieroboam in Ciuitate comedent eos canes; qui autem in agro vorabunt eos aues Cæli*. Idem pronunciatum fuit de Iezabelle, de Ioram, multisq; alijs. Et hinc est quod Sancta Ecclesia diuinæ iustitiæ sequens ordinem eamdem prorsus pænam imponit aliquibus hominum generibus. Qua in re diuersis varijsque finibus mouetur. Nam quosdam priuat Ecclesiastica sepultura; quia non agnoscit illos vt filios, & ideò in suum sinum excipere recusat: tales sunt omnes qui carent baptismo. Item excommunicati, & morientes in statu peccati mortalis. Quosdam; quia commiserunt aliquod enorme delictum: tales sunt latrones, grassatores viarum, violantes Ecclesias & similes. Quibusdam hanc pænam comminatur ne se temerè vitæ periculis exponant; ideo præscripta est carentia sepulturæ Ecclesiasticæ morientibus in duello, in torneis, in pugna cum bestijs & similibus. De quibus omnibus latè Doctores Canonum, & Summistæ.

Non

Non omittam in calce huius paragraphi adnotare quod à Sancto Carolo sapientissimè ordinatum fuit, & habetur *in Actis Ecclesiæ Mediolanensis*, nempe quòd sepultura nemini concedi potest in Cappella maiori, nec propè Altaria, in quibus celebratur: Et quamuis monumenta & lapides cum inscriptionibus suprà terram & in parietibus erigi possint; cadauera tamen non debent in sublimi collocari vt Pius 5. expresè quoque prohibet; nisi fortè essent Corpora Beatorum & Sanctorum.

CAPVT V.

De Disciplina circa Res pertinentes immediatè ad Missæ Sacrificium, vt sunt Calix, Patena, Corporale &c.

POst considerationem locorum, in quibus versari solent Ecclesiasticæ Personæ, & in quibus disciplina Ecclesiastica est seruanda, non incongruè subijcimus considerationem rerum, quæ in prædictis locis pertractari solent ibiq; asseruari. Cum autem ista partim immediatè partim mediatè spectent ad Sacrosanctum Missæ Sacrificiũ, ad quod tanquam ad finem omnia Ecclesiastica referuntur; visum est prius agere de immediatis. Huiusmodi sunt Calix, Patena, Corporale; ideò de his omnibus singillatim.

§. 1. *de Calice.*

ANte omnia igitur sese offert consideratio Calicis, in quo à Sacerdotibus Ecclesiasticis in Sacrosãcto Missæ Sacrificio per Verba Consecrationis fit illa mirabilis cõuersio Vini in verum Domini Nostri Iesu Christi Sãguinem. Vsus igitur huius sacri Vasis fuit ab ipsomet Domino institutus;

tus; nam in Calice ipſe conſecrauit, pariterq; diſtribuit ſuis Diſcipulis proprium ſanguinem in Vltima Cœnæ; vt adnotarunt Sancti Euangeliſtæ, Matthæus & alij. *Et accipiens Calicem gratias egit, & dedit illis dicens. Bibite ex eo omnes. Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur.* Quod obſeruauit *S. Hieronymus his verbis*. [Calicem ab ipſo celebrāte Chriſto nos accepiſſe notum, teſtatumq; eſt omnibus.] De illo Calice in indiuiduo, quo vſus eſt Dominus Noſter, ſcribit Venerabilis Beda ſuo tempore aſſeruari, & oſtendi Hieroſolymis, fuiſſeq; argenteum duobus annulis hinc inde inſtructum, quibus acceptus præ manibus ori admouebatur. Quamob Cauſam Gregorius 3. prohibuit ne in Miſſa, vel ſuper Altare plures calices adhiberentur ſed tantùm vnus ad imitationem vnius tantummodo Calicis quo Chriſtus Dominus vſus eſt.

Quamuis autem nomine Calicis latè ſumpto vocabulo intelligantur omnia vaſa deſeruientia ad bibendum iuxtà Dauid in Pſalmis. *Et Calix meus inebrians quàm præclarus eſt.* Et in Prouerbijs. *Qui commoratur in vino, & ſtudent Calicibus epotandis.* Ac Dominus Noſter in eodem ſenſu dixit duobus illis ſuis Apoſtolis. *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum.* Immo de quocunq; aquæ poculo pro nomine ſuo præſtito in Calice copioſam repromittit mercedem dicēs. *Quiſquis dederit vobis calicem aquæ in nomine meo non perdet mercedem ſuam.* Nihilominus loquendi vſus frequentior attribuit hoc nomen illi vaſculo, cuius continentia eſt ad inſtar ſphæræ ſeu ouis, collecta tamen, non autem lata & effuſiua, aut alio artificio elaborata ad bibendum: Quod adnotauit *Paſcaſius.* [Sanguis, *inquit*, Chriſti nunquam in Catino, nunquā in Cratere aut in alio vaſe, quàm in Calice cōſeruatur.]

Quantum ad materiam Calicis. In primitiua Eccleſia quidam adhibebant Calices ex ligno confectos; idq; fiebat tum propter paupertatem Eccleſiaſticorum, tum propter maio-

rem

rem securitatem: nam cum nullibi essent tuti Christi fideles propter tyrannorum persecutiones, & necesse haberent huc illucque confugere, si Calices fuissent pretiosiores subijssent periculum furti, rapinæ, & prophanationis ab infidelibus perpetrandæ. Hinc *habetur in Concilio Triburensi* quòd interrogatus Sãctus Bonifacius Martyr primus Maguntinus Archiepiscopus an esset licitũ amplius vti calicibus ligneis, respondit. *Olim Sacerdotes aurei vtebantur Calicibus ligneis; nunc Sacerdotes lignei aureis vtuntur calicibus.* Verùm quia tales Calices sæpe sæpius per poros (est enim lignum suapte natura porosum & spongiosum) attrahebant sanguinem consecratum; ideo Sãctus Pontifex Zepherinus statuit vt in posterum Calices ex vitro adhiberentur ad maiorem decentiam & munditiam. Huiusmodi fortè erat Calix ille, qui fractus & in partes resolutus iterum fuit restitutus in integrum precibus Sancti Donati Aretini Episcopi, & Martyris, cuius miraculi fidem faciunt *Sanctus Gregorius in Dialogis, Beda, Vsuardus, & Ado in suis martyrologijs.*

Hic vsus postea fuit sublatus ea de causa, quia Vitrum est fractioni obnoxium, proindeque semper imminet periculum ne pretiosus Christi sanguis effundâtur. Ob id Sanctus Pontifex Vrbanus huius nominis Primus statuit vt in posterum Calices nonnisi aurei aut argentei aut saltem stannei adhiberentur. Quod etiam præscriptum fuit à Concilijs Tiburense & Remense, cuius verba sunt hæc. [Vt Calix Domini cum Patena si non exauro, omnino ex argento fiat; si quis autem tàm pauper est saltem vel stanneum Calicem habeat: de ære autẽ aut auricalcho non fiat Calix, quia hoc ob vini virtutem ærugìnem parit, quæ vomitum efficit: nullus autem in ligneo aut vitreo Calice præsumat Missam cãtare.] Hoc decretum valdè consonum est institutioni Christi; nam Calix ab eo assumptus fuit quoque argenteus, vt suprà diximus: & fuit vsu receptum etiam ante tempora Magni Constantini,

vt

vt adnotauit Sanctus Augustinus.

Porrò Calices duplici vsui erant destinati. Quidam deseruiebant tantummodo Consecrationi; & hi erant minores vt communiter etiam nostra tempestate solent esse. Quidam deseruiebant cæteris fidelibus vel ad sumendum sanguinem; vel ad solam purificationem; & sic erant maiores & appellabantur Calices ministrales: horum legimus magnam fuisse copiam donatam Ecclesijs à pietate fidelium præsertim Principium Supremorum, summorumq; Pontificum, vt legitur in illorum gestis præsertim *Sixti. 3. Syluestri, Vrbani, aliorumque Pontificum*. De his ministralibus Lindanus scribit sua tempestate adhuc in aliquibus Ecclesijs nonnullos repertos esse miræ magnitudinis & capacitatis. Extat vnus ex istis affabrè elaboratus, & non mediocris magnitudinis & pretiositatis ex auro & argēto conflatus in thesauro Templi Sancti Ioannis Baptista Modoetiæ. Cæterum vsus distribuēdi fidelibus laicis sanguinem Domini Nostri Iesu Christi iustis de causis fuit interdictus à Concilijs Constantiense, & Tridentino declarando sufficere communionem sub specie panis, & non adesse præceptum sumere Christum sub specie etiam vini. Non est improbabile huiusmodi Calices ministrales deseruisse ad solam purificationem, quæ habetur post communionem. Omnino autem in calicibus ministralibus non fiebat consecratio.

§. 2. *De Patenis & Custodijs.*

POst Calices libet considerare Patenas, quæ Calices consequuntur, sic appellatas eo quòd in extremitate & superficie dilatentur & expandantur. Istę deseruiunt ad ferendum ad altare panem, seu, vt dicunt, hostiam quæ consecrari debet, & post consecrationem, ad illam colligendam & eleuādam à Corporali: & ferè semper ex eadem prorsus mate-

te-

teria conficiuntur, ex qua Calices, vt statuunt prædicta Concilia Tiburense, & Remense,: Atque adeò quando Calices erant vitrei, etiam Patenæ tales erant vt notant Vualfridus. Vnde S. Damasus scribit Vrbanum Secundum innouantem mobilia Ecclesiarum prouidisse Patenas & Calices aureos, & argenteos ad numerum 25. Et in vita S. Siluestri legitur fuisse aliquando donatas Patenas quasdam ponderis 30. librarum auri pro qualibet: & idemmet Damasus obtulit vnam librarum 20. Vnde colligit Stephanus Durantes rem non segniter aduertendam, & est talis; quòd, cum istæ Patenæ, quę deseruiebant Consecrationi & distributioni Sanctissimi Corporis Christi sub specie panis, essent maioris ponderis quàm Calices deseruientes consecrationi sanguinis, signum valdè manifestum est multò plures fuisse illos, qui etiam priscis ijs temporibus communicabant sub sola species panis, quàm illos, qui sub vtraq; communicabant; idest & sub specie panis, & sub specie vini.

Et quia tàm Calix quàm Patena deseruiunt immediatè Sacrosancto Missæ Sacrificio, hinc est quòd ambo consecrantur ab Episcopis sacra vnctione, crismate, & ceremonijs valdè significatiuis, quæ in Pontificali Romano habentur: additq; Sanctus Thomas, quamuis prædicta, ex eo quod sunt inanimata, non sint capacia gratiæ, nihilominus per consecrationem adipisci virtutem quamdam supernaturalem, per quam efficiuntur instrumenta idonea cultui Diuino. Quamobrem Deus pręcepit Moysi Exod. 40. vt oleo cõsecraret Tabernaculum & omnia vasa, quæ in illo adhibenda erant. *Assumpto vnctionis oleo*, inquit, *vnges Tabernaculum cum vasis suis vt sanctificentur; omnia vnctionis oleo consecrabis vt sint Sãcta Sanctorum.* Et non solum prima vice, sed quotiescunq; notabiliter innouantur & instaurantur per nouæ formæ acquisitionem (deperdita prima, sub qua fuerant consecrata) debent iterum consecrari, vt quando iterum deaurantur; & ratio est

quia iterum destinantur cultui diuino; cum in illis non remaneat ex prima consecratione caracter vllus (non enim sunt capacia) sicut remanet in Sacerdotibus, in Episcopis, in Baptizatis, in confirmatis &c. in his enim omnibus per sacram vnctionem, quam suscipiunt singuli in suis sacramentis, remanet caracter indelebilis, vt docent communiter Doctores.

Calices & Patenas sequitur aliud vasculum vulgò dictum Custodia, quoniam in isto asseruantur & custodiuntur particulæ consecratæ ad communionem fidelium laicorum. Et confici solet ex eadem materia, ex qua Calices & Patenæ, de quibus custodijs legitur in vitis Pōtificum quòd Simmachus Papa curauit vt prouideretur Ecclesijs SS. Andreæ & Siluestri Romæ. Hoc Vas à Synodo Turonensi vocatur *Pixis* vt refert Buccardus. *Omnis Presbyter*, inquit, *habeat Pixidem, aut Vas tanto Sacramento dignum, vbi Corpus Domini diligenter recondatur*. A Sancto Chrysostomo vocatur *Ciborium*. Ab alijs etiam hæ Custodiæ vocantur *Columbæ*, quia sub figura huius Auis olim plurimæ conflabantur quasi repræsentātes Columbam in Iordane, & Columbam Arcæ Noè. Sic in actis Diui Basilij legitur vt notat *Stephanus Durantes*. Et certè optimo consilio in figuram Columbæ tales Custodiæ conficiebantur; nam hæc Auis cum sit Candida, simplex, socialis, & gemebunda egregiè nos docet munditiam cordis, puritatem vitæ, simplicitatem morum, Charitatem erga Deum, & proximum, lachrymas pænitentiæ & gemitum peccatorum; quæ omnia dispositiones sunt optimæ ad suscipiendum hoc diuinum altaris Sacramentum.

In Concilijs Prouincialibus Mediolani, *vt habetur in Actis illius Ecclesiæ*, præscribitur, vt hoc vasculum conflетur ad instar Cuppæ collectum, profundum & deauratum saltem ad intra, quamuis sit argenteum, altitudinis in pede sex vnciarum, itaut à Sacerdote commodè tractari & gestari possit præ manibus cum communicat, nec adeò subtile itaut elabi possit

sit è manibus; nec similiter adeò nodosum, & quoda nmodo spinosum, vt lædat manus. Præterea sit tale vt claudi & tegi possit quibusdam quasi vngulis itaut aperiri non possi: nisi ad effectum communicandi; de cætero semper sit clausum. Præscribitur insuper vt in Ecclesijs Parochialibus præter consuetam pixidem, quæ cum venerabili Sacramento semper in Altari maiori asseruari debet, sit etiam alia minor, quæ deseruiat ad Sacram Eucharistiam ægrotis ferendam.

Sub eadem Custodię appellatione venit Vasculum aliud, in quo exponitur publicè adorandum hoc Venerabile Sacramentum tempore publicæ Orationis præcipuè 40. horarum. Hoc vasculum prædictam ob causam & finem est alterius formæ & figuræ, capax vnius solummodò hostiæ maioris consecratæ, quæ intrà Vas erecta collocatur suprà lunelam auream vel argenteam. Variè solet elaborari, nempe Vel ad modum sphæræ circumquaq; radiosæ: Vel ad modum Coronæ spineæ; Vel ad modum Piramidis; Vel ad modum Turriculæ: semper tamen à lateribus instructum pellucidis cristallis, & pretiosis margaritis ornatum, vt Sacrosancta Hostia visibiliter cerni & adorari valeat à populo. De hoc Vasculo loquitur Gregorius Turonensis dum inquit. *Accepta Turre Diaconus, in qua mysterium Dominici Corporis habebatur, ferri cœpit, ingressusq; Templum eam Altari supposuit*; Vnde colligitur vsum huius Custodiæ esse perantiquum.

Nec prætereunda silentio est significatio, quæ in prædictis vasculis continetur. Nam Calix significat Christi Redemptoris passionem, iuxtà illud. *Si possibile est transeat à me Calix iste*. item denotat martyriũ, carnisq; mortificationẽ. Sic SS. Basilius, Hieronymus & alij: hinc filijs Zebedei idem Dominus dixit. *Calicem quidem meum bibetis*. loquens de futuro ipsorum martyrio. Et Regius Propheta. *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo*. item significat sepulchrum Christi Domini; quemadmodum & Patena significat lapi-

dem, qui fuit ab Ioseph appositum ad ostium monumenti iuxtà illud. *Et aduoluit saxum ad ostium monumenti.* Materia etiam ex qua sacra vasa conficiuntur, non vacat mysterijs vt videre est apud Patrem *Tobiam Coronam de Sacris Templis par. 1. cap. 47.*

§. 3. *De Corporalibus.*

DEseruit etiam immediatè sacrificio Missæ *Corporale*, quod aliud non est quàm linteolum quoddam lineum amito illitum album & mundum, quod extenditur super altare tempore Missæ, & super illud collocatur Calix & Hostia tàm ante, quàm post consecrationem. *Sic Alcuinus.* Sub cuius appellatione venit etiam illud aliud linteolum paruulum complicatum, quo cooperitur calix, & vocatur communi vocabulo (*Anima*) quia sicut Anima continetur in corpore, ita hoc linteolum paruulum ponitur intrà *Corporale.* Hæc duo, nempe tam Corporale, quàm Anima vocantur aliquando apud Sacros Canones, & Sacros scriptores (*Palle*) verbum sumptum à latino (*Pallium*) quod significat operimentum, quasi cooperiat Sanctum Missæ Sacrificium, vt volunt *Guglielmus & Stephanus Durandi.*

Porrò huiusmodi linteola non possunt in Missa adhiberi nisi linea; non autem serica, argentea, aut alterius pretiosioris materiæ. Et hoc fuit institutum à Sancto Siluestro Papa, & secundum quosdam à Sancto Eusebio etiam Papa, qui fuit ante Siluestrum. Extat hoc decretum relatum à *Gratiano cap. consulto. de consec. dist. 1. his verbis.* [Consulto omnium statuimus vt sacrificium Altaris non in serico aut tincto panno quisquam celebrare præsumat; sed in puro linteo ab Episcopo consecrato, terreno scilicet lino procreato atq; contexto: sicut corpus Domini Nostri Iesu Christi in sindone linea & munda sepultum fuit.] Itaq; Corporale repræsentat lin-


linteum illud pretiosum, quo fuit inuolutum Sanctissimum Christi Corpus post mortem, quod etiam lineum fuit, vt omnes Doctores & Sancti Patres notant super illa Verba. *Et accepto corpore Ioseph inuoluit illud Sindone munda.* Quod linteũ hodie asseruatur & religiosissimè colitur Taurini apud Serenissimos Sabaudiæ Duces. Eamdem rationem affert Beda, quare corporalia ex lino conficiantur. *Ecclesiæ*, inquit, *mos obtinuit vt Sacrificium Altaris non in serico neq; in panno tincto; sed in lino terreno celebretur sicut Corpus Domini est in Sindone munda sepultum.* Et quemadmodum *Corporale* significat linteum maius, quo fuit inuolutum Domini Corpus; ita *Palla* seu *Anima* denotat linteolum illud paruulum, nempe Sudarium quod fuit appositum super faciem Domini; de quo in Euangelio Ioannis cap. 20. habetur illis verbis. *Et vidit linteamina posita & Sudarium quod fuerat super caput eius separatim inuolutum in vnum locum.*

Aliam rationem allegoricã cur Corporalia, & Animæ debeant esse ex lino albo, reddunt, *Amalarius, & Alcuinus*, quæ est talis; [Quia, *inquiunt*, quemadmodum hoc linteum non redditur albũ, candidũ & mundũ nisi prius linum fuerit benè percussum, madefactum, tortum, ebullitum, & pluribus manibus sæpius attrectatum: ita Christus Dominus non resplenduit gloriosus nisi post grauissima accepta tormenta in eius acerbissima passione. Vnde ipse de se dixit. *Oportebat Christum pati & ita intrare in gloriam suam.*] Hanc eamdem rationem innuit *Sanctus Thomas in sua summa Theologica.*

Diuus Hieronymus addit aliam rationem tropologicam seu moralem. [Ideò, *inquit*, Corporale debet esse ex lino mundo ad innuendam munditiam Cordis, qua contrectari & suscipi debet hoc diuinissimum Altaris Sacramentum. In Sindone, ait, munda includit Iesum, qui mente pura eum susceperit.] Ad quam munditiam comparandam illa tria, vt docet Sanctus Thomas, cõcurrere debent, quæ omnino concur-

currunt ad conficiendum linteum lineum; nempe Ablutio, Tortura, & Exsiccatio; his enim tribus linũ præparatur vt ex eo tela conficiatur. Ablutio sunt lacrymæ præteritarũ culparum, quibus Deum offendimus. Tortura sunt labores & pænæ à veris pænitentibus susceptæ in suorum pænitentiam peccatorum. Exsiccatio est ardens erga Deum amor, quo terrenæ & carnales affectiones exsiccãtur, arescunt, consumuntur, depelluntur. Itaq; iure optimo Corporalia & Animæ debent esse ex lino mundo propter allatas rationes.

Hinc colligere quisq; potest non esse laudabilem illorum morem, qui Corporalia & Pallas exornant serico, vel auro vel argento; quia Sacri Canones præscribunt totum Corporale debere esse lineum; nõ autem solam illam partem super quam collocatur Hostia; similiter & Pallam seu Animam; & ratio est quia talia fuerunt & Linteum & Sudarium, quibus Christus Dominus in Sepulchro fuit inuolutus. Adde quòd accidere forrasse potest Sacramentum attingere illam extremitatem sericam, vel argenteã, vel auream præsertim si corporale sit angustum, quo casu fieret contrà sacros Canones. Præterquam quod similia Corporalia cũ ornamentis huiusmodi difficillimè lauari, & mundari possunt. Vnde si quid ornamenti in extremitatibus Corporalium apponendum est, debet etiam hoc fieri ex lineo filo, non autem ex alia prætiosiori materia. De quibus simplicibus Corporalibus scribit *Ioannes Diaconus in vita S. Gregorij*, quòd ille Sanctus Pontifex vt manifestam omnibus faceret venerationem, quam debemus his sacris linteolis, præcidit particulam ab vno ex istis spectante populo, & illicò sanguis mirabiliter effluxit.



Cap. 6.

CAPVT VI.

De Disciplina circa ea quæ minus immediatè deseruiunt ad Missam, qualia sunt Purificatoria, Vela, Ampulla & similia.

PRæter Calices, Patenas, Corporalia, &c. omnino necessaria ad Sacrosanctum Missæ Sacrificium, sunt etiam multa alia minus necessaria, à sacris tamen ritibus præscripta ad honorificam & decentem tanti sacrificij celebrationem. Huiusmodi sunt *Purificatoria; Vela pro Calicibus; Bursa pro Corporalibus; Ampulla seu amulæ pro Vino, & Aqua; lumina & Missalis; Panniculæ pro Communione; Mappæ pro Altari; Palliæ seu Antipendia; & Tabernaculum, vbi asseruantur Sanctissima Eucharistia* De quibus omnibus est singillatim dicendum.

§. 1. *De Purificatorijs.*

AD Missæ Sacrificium spectat etiam linteolum quoddam ad instar sudarioli contextum, vulgò dictum (*Purificatore*) à fine, ad quem est institutum; deseruit enim ad abstergendum digitos Sacerdotis post ablutionem illorum in Calice: item post immediatam contrectationem sacratissimæ Hostię: necnon ad purificandum & abstergendum ipsum Calicem exsiccando illum modicum humorem, qui remanet in ipso Calice post sumptionem pretiosi sanguinis Domini Nostri, & post purificationem inde sequutam.

Cum autem facillimè contingere possit vt aliqua stilla pretiosi sanguinis, vel aliqualis humor illius remaneat in interiori Calicis superficie eo quod non potuerit vniri cum reliqua copia ipsius Sanguinis, nec consequenter sumi; & ipsamet purificatio ex vino & aqua habita fortè non potuit

per-

pertingere ad huiusmodi stillam seu humorem: hinc est quod nō omnibus promiscuè permittitur attrectare prędicta purificatoria; sed solum ijs, qui sunt sacris ordinibus initiati. Hac de Causa in Instructionibus de suppellectili Ecclesiastica, quæ extant *in Actis Eccles. Mediolanensis* præscribitur, vt quando Purificatoria munda innouantur, ea quæ amouentur successiuè asseruentur in aliqua capsula ad hunc effectum deputata, donec à Subdiaconis & Leuitis abluantur Mandatur insuper vt dicta *Purificatoria* conficiantur ex tela linea quidem, sed non grossiori nec subtiliori sed media; longitudinis & latitudinis vnciarum 18. circiter, sine ornamentis. Præterea vt in medio illorum acu compingatur Crux, ad effectum nimirum distinguendi ipsa Purificatoria ab alijs linteolis & sudariolis, quæ deseruire solent Sacerdotibus celebrantibus tùm ad abstergendas extremitates digitorum post ablutionem in offertorio; tùm ad illa supponenda Ampullis Vini & Aquæ, ne fortè per guttulas decidentes & humorem maculentur mappæ Altaris. Horum meminit Beda.

Nec vacant mysterio; excitant enim in nobis recordationem illlius diuinæ pietatis effectus, qui per sanguinem preciosissimum immaculati Agni Domini Nostri Iesu Chisti in illo cruento Crucis sacrificio oblatum in nos deriuauit; purgatio scilicet nostrorum delictorū, iuxtà illud Apostoli. *Purgationem peccatorum faciens.*

§. 2. *de Velis pro Calicibus & alijs.*

AD maiorem decentiam & reuerentiam diuini huius sacrificij & Sacramenti institutus est vsus Velorum, quibus teguntur Calices. Et meritò quidem; quia si viri nobiles seculi huius in ipsorum domibus vtuntur velis ad contegenda sua indumenta magis pretiosa, vt à puluere, alijsq; sordibus munda seruentur; quantò magis hoc fieri conuenit

erga

erga vasa sacra. Quamobrem cum Calices & Patenæ sint ab Episcopis sacravnctione benedicta & sacrata, nec non Sanctissimæ Eucharistiæ contactu sanctificata, valdè congruum est vt ad maiorem illorum reuerentiam, & munditiam Velis cooperiantur; quemadmodum ad eundem finem cooperiri debent Pixides & Custodiæ, in quibus asseruatur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum tum existens in Altari, tum delatum ad infirmos, tum quando publicè in solemni processione circumfertur iuxtà decretum Honorij. 3. *Eucharistiã*, inquit, *decenti habitu supposito mundo velamine ferant & referant.* Huiusmodi Vela, præsertim quæ spectant ad Calices, decet vt sint affabrè elaborata, acu picta, argento & auro, immo pro virium facultate etiam margaritis & lapidibus pretiosis ornata.

Diuus Carolus Ecclesiasticæ disciplinæ studiosissimus reparator statuit vt illa Vela, quibus processionaliter & publicè defertur Sanctissimum Sacramentum sint oblonga itaut contegant non solùm Vasculum Sacramenti; sed etiam humeros, brachia, & manus Sacerdotis; sintq; ex materia pretiosa contexta; aut saltem circumcirca in extremitatibus pretioso fulgeant ornamento. Hoc præscriptum valdè consonum est sacris litteris: in veteri enim testamento *in libris Exodi, & Numerorum* legimus Deum mandasse vt quædam spectantia ad Templum, vt Arca, Propitiatorium & Sancta Sanctorum pretiosis Velamentis contegerentur, vt bisso, Iacinto, purpura, & similibus acu ingeniosè varijs coloribus depictis, itaut eorum pulchritudine & varietate & oculos intuentium recrearent, & diuinæ maiestatis venerationem inducerent. Quod si hoc seruatum fuit tempore legis Mosaicæ, & in rebus veteris testamenti, quæ erant vmbræ & figuræ rerum legis gratiæ, & noui testamenti, quanto igitur meliori nota & iure instituit hoc fieri sancta Dei Ecclesia circa ea, quæ spectant ad diuinissimum Sacramentum, in quo continetur

ipsemet dator legis & gratiæ.

Sed veniamus ad mysticam horum Velorum significationem. Et quidem primò non incongruè dicere possumus per hæc Vela Significari sacratissimam Christi Humanitatem in Sacramento Eucharistiæ contentam; quia sicut ipsa Vela tegunt sacra Vasa, ita illa sacratissima Humanitas tegit Diuinitatem in Persona Filij Dei, cui dicta Humanitas est hipostaticè vnità. Vnde Sanctus Paulus ad Hebræos cap 10 *Habentes*, inquit, *fiduciam in introitu Sanctorum in Sanguine Christi quam initiauit nobis viam nouam, & viuentem per velamen, idest carnem suam.* Sanctus Gregorius, & Riccardus à Sancto Victore existimant per hæc Vela denotari recollectionem interiorem Cordis & Mentis, qua debent Sacerdotes esse instructi in pertractandis hisce sacris mysterijs; nam si per velum Templi; quod erat medium inter Sanctuarium & inter Sancta Sanctorum impediebatur Sacerdos alia respicere, & oculorum obtutus aliò conuertere; quãto magis decet vt Sacerdotes nouæ legis, qui intimius & immediatius cum ipso Deo conuersantur in Diuino Missæ sacrificio, suas habeant cogitationes & affectiones in Deum collectas, non autem huc, illucq; per terrena vagantes & effusas. Possumus etiam dicere ista Vela demonstrare species Sacramentales, quibus quodammodo velatur gloriosissimum Christi Corpus, sub ijsq; continetur; vt sicuti facies Moisis post consortium Sermonis Dei splendida facta est, ob idq; Velo tegebatur ne splendor ex illa'emicans oculos perstringeret intuentium. Sic splendidissimum Christi Corpus speciebus Sacramentalibus veluti quodam velo contegitur ne fidelium intuentium oculos suo splendore perstringat. Meritò igitur & propter mysteria, & propter reuerentiam tanto Sacrificio, tantoq; Sacramento debitam sacra Vasa Velaminibus conteguntur.

§. 8.

§. 3. *de Burſis pro Corporalibus.*

VAldè appoſitè & decenter adhibentur etiam Burſæ pro Corporalibus. Hæ vt plurimum debent ex eadem omnino materia aut ſerica, aut altera pretioſiori confici, ex qua fiunt pariter Planetæ ſeu Caſulæ Sacerdotales; & item Pallia ſeu Antipendia pro Altaribus vt omnia ſimul reſpondeant: aut ſaltem debent eſſe ſimiles in Colore; & aliquando etiam non dedecet Burſam eſſe ditioris materiæ, aut ingeniofius elaboratam quàm ſit Caſula & Antipendium; quippe quæ proximius accedit ad Miſſæ ſacrificium; quamuis non ſit tàm neceſſaria ſicut Caſula. Deſeruiunt igitur iſtæ Burſæ ad continendum intrà ipſas Corporalia ad effectum ne decidant in terram; ne puluere aut alijs ſordibus commaculentur; ne minori reuerentia, quàm par eſſet, tractentur ab ijs præſertim quibus per Sacros Canones eſt vetitū; quales ſunt omnes laici; immo etiam Clerici qui non ſunt adhuc in ordinibus ſacris conſtituti. Sic ſtatutum fuit à Martino primo Summo Pontifice per hæc Verba. *Non liceat cuilibet ſacra myſteria tangere niſi Subdiacono.* Et hoc decretum eſt in viridi obſeruantia. Vnde nulli quantumlibet religioſo, & Sancto, & Deo dicato licet Corporalia, Animas, Purificatoria, Calices, & Patenas attrectare: In ſpecie Monialibus fuit hoc vetitum à Sancto Sotero Papa & Martyre. Prohibitio tangendi Corporalia &c. intelligenda eſt habere locum in Corporalibus, quæ iam in Miſſa adhibentur, & ſuprà illa iam confectum eſt aliquādo ſacrificium, nec poſtea ſunt lota ab aliquo facultatem habente illa attrectandi: nam antequam à Sacerdotibus adhibeantur; & item poſtquam ſunt lota non eſt prohibitum illa tangere; immo poſt lotionem factam à Leuitis tradi ſolent fæminis, præſertim ſanctimonialibus vt illa amido illiniant, & componant. Igitur iure optimo corpora-

lia dum actu adhibentur in Missæ sacrificio asseruantur in Bursis ad hunc effectum specialiter deputatis.

§.4. de Ampullis seu Hamulis pro Vino & Aqua.

AMpullæ sunt vascula illa minora, quibus defertur & ministratur ad Altare Vinum & Aqua pro Sacrificio Missæ, à quibusdam antiquis scriptoribus appellatæ *Hamas* seu *Hamulæ*. Hęc igitur Vascula siue *Hamulæ* siue *Ampullæ*, siue *Vrceoli*, dicti ex omni materia fabricari possunt, dummodo talis materia malam aliquam qualitatem non communicet Vino, ex qua Sacerdoti celebranti nausea oriri possit, qualis materia fortè erit stannum, aurum, argentum: quamuis aliquando, non tamen frequenter, in festis solemnioribus talia vascula argentea, vel aurea adhiberi possent. Communiter tamen & quidem consultius adhibētur vitrea seu melius cristallina; nam hæc materia non est tàm pretiosa & est communior; & insuper est diaphana seu transparens, itaut melius & euidentius secernatur Aqua à Vino; Vnde Celebrans non tàm de facili errare potest, sicut cōtingere solet in alia materia. Adde quod ampullæ cristallinæ, seu vitreæ facilius & commodius purgari possunt à sordibus quas relinquere solet Vinum; quia de foris tales sordes commodè videntur.

Solent autem prædicta vascula offerri Sacerdoti celebrāti imposita super aliquam Cuppam vel testeā, vel lapideam, vel vitream, vel argenteam, vel consimilis materiæ; idq; ad maiorem decentiam & munditiam tanti ministerij; & item ne vinum aut aqua defluat super Altare, indeq; mappæ commaculentur cum diuini Cultus irreuerentia. Et huiusmodi profectò vsus meritò institutus; nam si hæc munditia adhibetur in mensis virorum nobilium, multò magis in mensa, in qua cōficitur, offertur, & ministratur Corpus & Sanguis Domini Nostri Iesu Christi. Autumant nonnulli talem vsum

ortum

ortum habuisse à Sapientissimo Rege Salomone in Templo Hierosolimitano quando ad fundenda Vina, Olea, Aquas & alios liquores à Mosaica lege præscriptos, mandauit conflari penè innumera vasa tum aurea, tum argentea.

Cæterum si velimus in istis etiam Vasculis, & Cuppa mysticam aduenire significationẽ, dicere possumus per Cuppam significari Cor contritum, & humiliatum, quo instrui debet qui ad tantum Sacramentum accedit; ex quo tali corde profluãt lachrymæ tum doloris pro peccatis patratis; tum compassionis pro acerbissima Christi passione & morte, cuius memoria in illo sacrificio recolitur; tum deniq; lætitiæ spiritualis & gaudij pro dulcedine & suauitate in illa Angelorum mensa degustata. Qua lachrymarum dispositione se ad illa antiquæ legis sacrificia accedere solitũ fatetur Regius Propheta cum dicit. *Lauabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum Domine*. Illæ verò binæ ampullæ indicant binas Animæ nostræ potentias, Intellectum scilicet & Voluntatem. In quarum prima, nempe Intellectu, continetur aqua sapientiæ, doctrinæ Euangelicæ, & cognitionis sublimium mysteriorum, quorum memoria in illo summè venerando ac tremendo Missæ sacrificio recolitur. Sic existimant Sancti Hieronymus, Gregorius, Bernardus & alij. In altera verò, nempe Voluntate, continetur vinum amoris erga Deum, de quo gustauerat sponsa.i.Sancta illa Anima in Canticis, quãdo dicebat de sponso. *Introduxit me in Cellam vinariam, ordinauit in me Charitatem*. Istæ sunt duæ peculiares & optimæ dispositiones ad Diuinum hoc Sacramentum; videlicet Cognitio fundata in Fide mysterij quod peragitur; & Amor accensus erga infinitam Dei bonitatem, quæ in tanto Sacrificio & Sacramento sic mirificè elucescit.



§. 5.

§. 5. de Luminibus & Libro Missali.

LVmen, quod in Ecclesia accenditur, Christum significat iuxtà illud. *Ego sum lux mundi*. Et Ioan. 1. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Significat etiam Apostolos, & cæteros Doctores, quorum doctrina fulget Ecclesia, vt Sole Luna; de quibus Dominus ait. *Vos estis lux mundi.* idest bonorum operum exemplum. Vnde idem admonens eos ait *luceat lux vestra coràm hominibus.* Prçterea admonet nos debere virtutibus lucescere, & bonis operibus abundare abijciendo opera tenebrarum, & induendo arma lucis, vt loquitur Apostolus ad Rom. qui etiam ad Ephes. scribens hortatur nos ad idem illis verbis. *eratis aliquando tenebræ nunc autem lux in Domino; vt filij lucis ambulate; fructus enim lucis est in omni bonitate, iustitia, & veritate.* Vsus luminis, lucernarum, lampadarum, & candelabrorum in Ecclesijs est antiquissimus tàm in testamento veteri, quàm in testamento nouo, vt patet peruoluenti sacras literas. Quapropter iure optimo statutum est vt Missa non celebretur sine luminibus ex cera; itaut sint saltem duæ candelæ accensæ ex cera, sine quibus, vel saltem vna in necessitate, mortale esset celebrare; *vt ait Tol. lib. 2. cap. 2. in fin.* & deponitur Sacerdos ab officio, & beneficio, qui sine lumine celebrat *cap. fin. de celeb. Miss.* Addit Victorellus apud Tol. ibid. *quo ad materiam, cera non est ex præcepto sed ex vsu: vnico lumine ex oleo vti (postulante necessitate) non est peccatum mortale: viliorem adhibere materiam, non liceret. Ferdinandez contra Tol. culpam lethalem putat, candellam ex sæuo adhibere in necessitate*. Ita Victorellus.

Liber Missalis computatur in suppellectili magis necessaria Ecclesiarum; siquidem sine illo nec potest, nec debet celebrari Missa; tum quia in eo præscribuntur ritus seruandi in oblatione Sacrosancti Sacrificij; tum quia continet orationes,

nes, lectiones, euangelia, versus, & quicquid à Sancta Matre Ecclesia circa Missam ordinatur, vnde nomen Missalis est ortum. Quamobrem à Sacerdote celebrante hic liber necessariò est adhibendus saltem in ea parte, in qua continetur Canon, & sine illo celebrare peccaret lethaliter, vt est communis Theologorum, & Canonistarũ sententia, de qua *Pater Corona de sac. Temp. cap.* 40. idq; asserunt fundatum in antiquissima & receptissima Ecclesiæ Dei consuetudine, quæ vim obtinet legis. Sed etiam in reliquis Missæ partibus præter Canonem expedit Missalem adhiberi ad succurrendum memoriæ, quæ est labilis; & ad proferendum distinctè & intelligibiliter ea quæ leguntur sicut decet, & præscriptum inuenimus in *Conc. Colon. & August.* his verbis. *Sacerdos Missam cum reuerenda modestia clarè, & distinctè legat vsq; ad Canonem, vt qui adstat quod legitur, intelligat & ad pietatem excitetur.* Ita præfata Concilia, quæ refert *P. Corona loco vbi supra.*

§. 6. *De Linteolis pro Communione laicorum.*

QVia Sacerdos post sumptionem viuifici Corporis & Sanguinis Domini solet etiam communicare fideles accedentes ad illam diuinam mensam; ideo pro hac Communione dãtur quædam alia Linteola præter illud quod deseruit Sacerdoti ad manus abstergendas. Hæc expanduntur & extenduntur super Cancellos Altaris vbi habetur dicta Communio; Vel ipsimet fideles communicantes illa tenent præ manibus & supponunt ori suo ad effectum colligendi particulas aut fragmẽta Eucharistiæ, si fortè elaberentur è Sacerdotis manibus, vel ab ipsomet ore communicantis. Vsus horum linteolorum videtur ab ipsismet Diui Augustini temporibus introductus; nam Sanctus hic Doctor & Præsul in quodã Sermone hortatur mulieres ad accedẽdũ ad hoc diuinum Sacramentum ea munditia in corde quam

ipsæ

ipsæ exquirerent in linteolis sibi paratis quando communicarent. Sic enim inquit. *Omnes viri quando communicare desiderant lauant manus suas, & omnes mulieres nitida exibent Linteola, vbi Corpus Christi accipiunt: Quomodo viri lauant manus, sic eleemosinis lauent conscientias suas; & mulieres quomodo nitidum exhibent linteolum, sic corpus castum, & cormumdum exibeant.* Ex quibus verbis simul habetur & significatio mystica huius Linteoli, & deuotio mulierum illorum temporum, quæ prouidebant Ecclesijs de rebus ad cultum diuinum necessarijs, præsertim de pannis lineis.

§. 7. *De Mappis Altaris.*

PRædictis omnibus adduntur Mappæ seu Tobaleæ, quæ expandantur super Mēsam & superficiem superiorem Altaris, super quo conficitur Sacrum. Hæ quantum ad materiam debent esse ex lino seu canipio, aut consimile materia candida & munda, non autem ex serico, ad significandam puritatem Cordis & mortiificationē sensus, qua pollere de bent Sacerdotes Altissimi, vt si non digni, saltem non indigni rēddantur ad offerendum tantum Sacrificium.

Ratio autem cur à Sancta Ecclesia præscriptum fit vt suprà Altare Mappæ lineæ apponantur, est: quia cum dictæ Mappæ sint magis expositæ sordibus & pulueri (expansæ enim semper manent super Altare) facilius lauari & mundari possunt si sint ex lino quàm si ex altera materia. Quod autem sit necesse frequēter dictas Mappas lauare & mūdare patet; quia Vel pulueribus, sordibus, & ceræ liquefactione inquinantur; Vel Aqua, aut Vino in illas defluente dum ministratur, commaculantur; Vel etiam aliquando fortuito casu cōtingit vt aliquid de Domini sanguine super illas decidat: quam ob causam etiam si quando id accideret ne sanguis delapsus penetret vsque ad lapidem Altaris statutum fuit vt

ad

ad minus tres mappæ extent super Altare dum celebratur. Sic habetur expresse in Rubricis Missalis Romani. Colligitur *ex decreto Pij Primi sanctissimi Pontificis & Martyris*; qui pœnam statuit in Sacerdotes illos, ex quorum negligentia aliquid de Christi sanguine super Altare decideret ita & taliter vt penetraret ad quartum vsq; linteum quod est vltimum computato tamen Corporale. In hoc enim casu mandat vt Sacerdos sanguinem delapsum ore exsugat & attrahat quantum possibile est; deinde vt tribus saltem vicibus mappam, in quā defluxit, lauet. Si per negligentiam, inquit, aliquid de sāguine Domini stillauerit si sup linteū Altaris, & peruenerit vsq; ad quartū viginti diebus pæniteat & linteamina, quæ tetigit stilla, tribus vicibus minister abluat.

Vsus igitur harum trium Mapparum est antiquissimus vt apparet ex supradicto decreto Sancti Pij Papæ & Martyris. Et certe præfatus numerus ternarius non vacat mysterio; nā Primò significat tres illas substantias seu partes præcipuas in diuinissimo hoc Sacramento contentas; nempe Corpus & Sāguis pretiosissimus Christi Domini. Ecce Prima. Beatissima illius Anima. Ecce Secunda. Persona Verbi Diuini, cui hypostaticè reliquæ duæ prædictæ sunt vnitæ. Ecce Tertia Secundò significat illa tria testimonia, de quibus à Beato Ioanne Euangelista dicitur *Tres sunt qui testimonium dant in Cælo Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus; & tres sunt qui testimonium dant in terra Spiritus, Aqua, & Sanguis*. Quæ tria testimonia indubitatam de hoc diuino sacrificio fidem reddunt.

Cæterum in Instructionibus, *de quibus in Actis Ecclesiæ Mediolanēsi*, præscribitur vt prædictæ Mappæ sint cādidæ, mundæ, pulchræ & subtiles quoad fieri potest, & in ambitu ornatæ. In super vt illæ duæ quæ sunt inferiores & viciniores mensæ Altaris ita in latitudinem & longitudinem extendātur, vt operiant totam illam planam superficiem: at tertia quæ est suprema ita sit longa, vt per angulos extendatur etiam

am ad terram, & ad æqualitatem planitiei, in qua stant pedes Sacerdotis; itaut totum Altare & desuper & à lateribus contectum ista mappa appareat. Quod certè, Deo opitulante, iam seruari videmus in omnibus illis Ecclesijs, in quibus Zelus decoris domus Dei vigere conspicitur.

§. 8. *De Pallijs seu Antipendijs Altaris.*

ILla quoq; laudabilis consuetudo vestiēdi & ornandi Altaria sericis, aut etiam alijs magis pretiosis ornamentis in illa anteriori parte, quæ oculis ingredientium in Ecclesiā primò objicitur, non est noua in Ecclesia Dei: immo originem trahit à veteri testamento, vbi habemus in libris Numerorum Deum mandasse vt Tabernaculum, & reliqua ad illius vsum destinata & præsertim Altare vestimētis pretiosis Hyacinthinis tegerentur. *Nec non,* inquit, *Altare aureum inuoluent vestimento Hyacinthino* Hæc igitur ornamenta quamuis à scriptoribus Ecclesiasticis varia obtinuerint nomina; nam ab aliquibus vocantur *Vela* quasi repræsentātia Velū illud antiquæ legis, quo tegebatur locus Sancta Sanctorum: ab alijs dicuntur *Palla*, quo nomine gaudent etiam corporalia, & mappæ sic dictæ à specie quadam opertorij figuræ quadratæ, quo mulieres antiquæ velabant capita sua. Nihilominus communiori & frequentiori vocabulo appellantur *Pallia, & Antipendia: Pallia,* quia ad instar pallij quo viri contegunt dorsum & humeros, sic tale ornamentum contegit Altare: *Antipendia* vero, quia pendent ante Altare.

In Instructionibus pro suppellectili Ecclesiastica editis à sanctissimo illo Præsule Carolo Borromæo, *de quibus in Actis Eccles. Mediol.* præscribitur. Primò, vt prædicta Pallia quantum ad materiam sint pretiosa quoad fieri potest puta contexta auro; aut argento; aut saltem serica cum lapidibus etiam pretiosis pro facultate reddituum Ecclesiæ, & pro deuotio-

tione fidelium. 2. vt sint talis magnitudinis vt adæquent Altare nec excedant, nec excedantur. 3. vt in medio Pallij appareat aliquod pietatis signum veluti Crux Domini Nostri, vel Imago Dei, vel B. Virginis, vel sancti ipsius Ecclesiæ, aut Altaris titularis.

Sanè priscis temporibus magna fuit fidelium deuotio in comparandis hisce ornamentis valdè pretiosis. Vnde legimus in gestis Zaccariæ Pontificis ab ipso fuisse donatum Altari Principis Apostolorum Pallium valdè pretiosum, in cuius medio exprimebatur Natiuitas Filij Dei secundùm Carnem acu depicta per manus excellentissimi artificis: immo Princ ipes quidam religiosiores loco Pallij quandoq; soliti fuere dictam partem Altaris anteriorem contegere laminis aureis, aut argenteis & aliquando lapidibus pretiosis intextis; quemadmodum ad hæc nostra vsq; tempora simile ornamentum inspicitur in Ecclesia Sancti Ambrosij maioris Mediolani,& in Ecclesia Maiori Sancti Io. Saptistæ. Sed non desunt etiã hac nostra tempestate Viri & Mulieres nobiles pietate insignes, qui pulcherima, pretiosa, tã serica quàm auro, argento, & margaritis contexta pallia, & manu artificis affabrè acu depicta Ecclesijs dono concedunt. Similia passim videntur in celebrioribus Christiani orbis vrbibus; sed præcipuè Romæ, quę Ciuitas quemadmodum in Fide & Religione Catholica primatum tenet, ita in cultu & splendore, Ecclesiarum omnium insignior semper apparuit.

Si quis autem scire percuperet quid sit laudabilius. An contegere Altaria suis proprijs Pallijs sericis vel alterius materia? An verò illa relinquere nudata quando frontispicium lapideum est constructum lapidibus pretiosis, ad effectum vt appareat illa pretiositas & pulchritudo lapidorum? legat *Concilium Remense, & Toletanum relata à Buardo, & in cap. quicunq; 26. q. 5.* vbi inueniet prædicta Concilia pænis grauibus prohibere expoliari Altaria suis pallijs, eaq; nuda

relinquere. Quod quidem optimis rationibus, arbitror, constitutum, Tum quia Casulæ Sacerdotum appositis pallijs minus atteruntur & lacerantur; Tum quia lapides immittunt humiditatem & frigiditatem adhærentibus ad illos; vnde Sacerdotes cum aliquo valetudinis incommodo celebrarēt; Tum deniq;(& hæc est potissima ratio)quia pallia repræsentant vestimenta Christi Domini, qui significatur per altare. Et hinc est quòd solis illis tribus diebus Hebdomadæ maioris Altaria debent esse pallijs denudata; quia tunc temporis repræsentantur mysteria Passionis & Mortis Domini, qui in Cruce fuit suis vestibus denudatus,&ab omnibus derelictus.

Sed accedamus ad Colores Palliorum, quibus conformari debent reliqui habitus Sacerdotales. Quinque Colores inuenimus præscriptos in rubricis Missalis, & in libris sacrorum Rituum; nempe Colorem Album, Rubeum, Viridem, Violaceum, Nigrum. Quamuis Innocentius enumeret tantum quatuor Colores non distinguens Violaceum à Nigro; ob id, reor, quia Sūmus Pontifex vtitur Violaceo pro Nigro.

Albus Color signum est lætitiæ, gloriæ, & puritatis. Quæ omnia conueniunt solemnitatibus, in quibus tali Colore vtitur Ecclesia. Ideo, vt notat Gregorius, Angelici & Beati spiritus in albis apparere solent, ipso quasi indumēto denotantes angelicam ipsorum naturam & puritatem; & etiam gaudium ex ipsorum apparitionibus resultans. Tali Colore indutus erat Angelus ille, qui sedebat ad monumentum testificans mulieribus Christi resurrectionem. Tali quoq; induti erant illi duo alij Angeli, qui è Cælo descēdētes post Ascensionem Domini in Monte Oliuarum discipulos sunt consolati. Et S.Ioannes testatur in sua Apocalypsi hoc albo Colore vestiendos esse omnes, qui se peccatis non inquinauerunt; Sic enim inquit. *Qui non inquinauerunt vestimenta sua ambulabunt mecum in albis.*

Rubeus seu purpureus Color signum est Charitatis, Sangui-

guinis effusi,& etiã Dignitatis. Ideo tali colore vtebãtur olim Imperatores, Reges, Senatores, & Magistratus Romani. Et nostris temporibus vtuntur Cardinales Sanctæ Rom. Ecclesiæ; item Senatores Veneti,& alij Magistratus in quibusdam alijs Ciuitatibus. Hoc colore vtitur Ecclesiæ in festis Pentecostes, Sanctorum Apostolorum, & Martyrum & in festis Sanctissimæ Crucis.

Violaceus,seu Hyacinthinus,seu Cæruleus Color signum est Fidei & Doctrinæ Euangelicæ, quæ propter certitudinem veritatis ex diuina reuelatione, inceuidentiæ tamen obscuritatem habentem similis est serenitati Cælorum. Vnde Paulus. *Videmus nunc per speculum in ænigmate*. Gregorius Nissenus, & Eutimius volunt hunc colorem cælestem significare vitam & mores iustorum, qui ad Deum eleuantur per intentionem rectam in operibus eorum cum iubilo contemplationis. Vnde dicebat Apostolus. *Nostra autem Conuersatio in Cælis est*. Alij volunt colorem Violaceum signum esse mortificationis, qua debent esse semper induti Christi fideles, juxtà illud Apostoli *semper mortificationem Domini Nostri Iesu Christi in corpore vestro circumferẽtes*: & Regius Propheta. *Quoniam propter te mortificamur tota die*. Hac de causa talis Color adhibetur temporibus Quadragesimæ, Aduẽtus & similibus; nam his diebus signanter monemur ad pænitentiam, & ad quærendum Cælorum Regnum. Hunc eumdem Colorem aliqui autumant significare amorem stabilem; Quapropter illo vtuntur Episcopi ad indicandum debere illos esse indutos Charitate solida erga Deum & Homines. Hoc innuere voluit Dominus quando Petro dixit. *Simon Ioannis diligis me plus his? Pasce oues meas.*

Viridis Color indicat Virtutes Christianas, quarũ exercitationi incumbere debent Christi fideles, qui proficere volunt in doctrina & in imitatione Christi Domini cuius vitæ mystetia per anni cursum in Ecclesia eius sponsa repræsen-

ſentantur. S. Gregorius vult colorem iſtum, eo quod ſimilis ſit viriditati camporum, denotare paſcua ſpiritualia, quibus Dominus Noſter ſupremus Animarum Paſtor gregem ſuum abundè paſcit non ſolum in cæleſti patria, ſed etiam in hoc exilio, & in hac lachrymarum valle tribuens illi Sancta Sacramenta, prædicationem, Euangelicam conſolationes Spiritus Sancti, & ſimilia iuxtà illud Ezechielis cap. 34. *In paſcuis vberrimis paſcam eas & in montibus excelſis Iſrael erunt paſcua earum, ibi requieſcent in folijs virentibus, & in paſcuis pinguibus.* Robertus Abbas vult viridem Colorem ſignificare ſpem; (quemadmodum ceruleus Fidem; & purpureus Charitatem) nam ſicut color viridis exhilarat & confortat viſum, ita Spes Virtus Theologalis innixa diuinæ miſericordiæ, & meritis Chriſti Domini lætificat credentes. Vnde Paulus ait. *Spe gaudentes*. & alibi. *Deus autem ſpei repleat vos omni gaudio in credendo.* Et Dauid Proph. *Lætētur oēs qui ſperant in te Domine.*

Niger Color ſignum eſt doloris & triſtitiæ; Quapropter Eccleſia vtitur huiuſmodi Colore diebus mœſtitiæ vt fer. 6. in Paraſceue, qua die recolitur Paſſio & Mors Domini Noſtri. item diebus Defunctorum oſtendens ſe condolere de morte filiorum ſuorum; ſuumque dolorem vnire cum dolore parentum, cognatorum, & amicorum talium defunctorum.

Et hæc de Coloribus Eccleſiaſticis. Quibus autem diebus in ſpecie dicti Colores adhibeantur, videri poteſt *in Rubricis Miſſalis Romani.*

Notandũ ꝙ præter antedictos Colores Eccleſia aliquãdo vtitur auro, ſeu colore aureo, qui Color omnibus alijs cõuenit, & cum nullo diſconuenit; & ratio eſt; quia aurũ ſymbolũ eſt Diuinitatis cui hypoſtaticæ in Perſona Verbi vnitur illa hoſtia ſalutaris & immaculata, quæ offertur in Miſſa, cui deſeruiunt omnia præfata ornamẽta & colores. Vnde de Chriſto Apoſtolus ait. *Caput Chriſti Deus, Chriſtus autẽ caput Eccleſiæ.* Et alibi legimus. *Caput eius aurum optimum.*

§. 9.

§. 9. *De Tabernaculo, in quo custoditur Sacra Eucharistia.*

INter cætera Sacrosancti Concilij Lateranensis sub Innocentio 3. habiti decreta illud est, quo Ecclesiasticis omnibus mandatur diligens, ac decens custodia Sanctissimæ Eucharistiæ in Altari. *Statuimus*, inquit, *vt in cunctis Ecclesijs Eucharistia sub fideli custodia clauibus adhibitis conseruetur*. Is igitur locus, in quo in Ecclesijs seruantur hostiæ consecratæ vocatur *Tabernaculum*. Et quidem meritò; sub illo namque continetur Sacratissimum Christi Corpus tanquam sub suo tentorio & domicilio; quemadmodum in testamento veteri sub tabernaculo Moisis continebatur Arca fœderis figura Sanctissimæ Eucharistiæ. Quod adnotarunt Sancti Doctores Hilarius, Cyrillus, & Thomas de Aquino cum alijs. Hoc planè nomine vtitur Sanctus Clemens dum ait. *Sumunt Diaconi reliquias* (idest particulas consecratas & relictas in Altari post Sacrificium Missæ) *& inferant in Tabernaculum.* A multis vocatur etiam *Mundinum* Vel quia repræsentat quodammodo Mundum habens partem superiorem sphæricam similem Cælo: Vel quia ibi residet supremus Mundi Dominus: Vel à mũditia, qua debet Sanctissima Eucharistia asseruari. A Sancto Clemente vocatur etiam *Sacrarium*; sic enim inquit *Ne putredo in sacrario inueniatur, ne cum negligenter agitur, Corpori Domini inferatur iniuria.* A quibusdam *Pastophorium*, & non incongruè; nam hæc vox Pastophorium siue significet habitationem Principis Sacerdotum vt placet Hieronymo; siue significet Armarium, vbi seruabatur Templi suppellectilis: vtroq; modo accommodatur egregiè huic loco; in illo.n. verè & realiter per suam præsentiã corporalem Sacramentaliter inhabitat Christus Dominus de quo in Psalt. dicitur. *Tu es Sacerdos in æternum.* Et Apostolus. *Hic autem sempiternum habet Sacerdotium. Talis enim decebat ait nobis esse Pontifex.*

Et

Et insuper in hoc loco reconditur Margarita illa pretiosa, cuius dignitas est infiniti valoris. A nonnullis vocatur etiam *Ciborium*, quo nomine etiam appellatur Pixis, in qua immediatè continetur Sacramentum. Sic vocant hunc locum S. Chrysostomus & S. Germanus. Et quidem iure optimo; quia ibi seruatur verus cibus animarum fidelium iuxtà illud Saluatoris. *Caro mea verè est cibus.*

Materia, ex qua fabricari solet hoc siue Tabernaculum, siue Mundinum, siue Ciborium (appelletur quo vis nomine) est multiplex. Nam in primis fabricari potest arte fusiora ex auro, argento, auricalcho, ære aut alia simili. Item ex lapidibus pretiosis, cuius generis plurima Romæ visuntur, vt in Basilica S. Ioannis Lateranensis S. Pauli extra Vrbem S. Alexij Sanctæ Franciscæ apud Moniales Turris Speculi; & alijs etiam Ecclesijs Mediolani quam plurima extant præsertim in Ecclesijs Monialium miro artificio ex ligno ebano & argento elaborata: quædam etiam ex argento & corticibus testudinum ingeniosissimè compacta. Insigne est Tabernaculum cum toto Altaris ornamento argenteo apud Angelicas celeberrimi Monasterij Sācti Pauli Mediolani. Quod autem omnia nostri seculi tabernacula & magnitudine, & æstimatione, & arte præcellit extat in magnificētissimo Sacello Serenissimi Magni Ducis Hetruriæ apud Ecclesiam Sancti Laurentij Florentiæ. Nec inter communia recensendum est illud, quod ab Illustrissima familia Spada vnà cum Altari maiori extructum est in Ecclesia Sancti Pauli Bononiæ Clericorum Regularium Sancti Pauli: in illius enim structura Ars & Natura de primatu contendunt; illa primas sibi vindicare videtur propter pulcherrimam & vsq; modo nullibi repertam architecturam; hæc autem principem locum sibi deposcit propter lapidum pretiosorum tum copiam, tum varietatem, tum æstimationem.

Communiter autem tabernacula fiunt ex ligno deaurato

varia

varia cælatura elaborata talis magnitudinis, aut paruitatis; & talis valoris, qualem Ecclesiæ redditus, & loca requirunt.

Diuus Carolus (cuius instructiones libenter sequimur) plurima obseruatione digna præscribit circa tabernacula; Nimirum Vt Cælatura sit representatiua mysterij ibi reconditi. Vt ornamenta sint pia, & deuotionem excitantia, & quantum fieri possit pretiosa. Vt pars interior tota vestiatur serico: ibiq; nil aliud recondatur nisi Sanctissima Eucharistia; non Sanctorum Reliquiæ, non Crisma, non Oleum consecratum; nec quidquam aliud. Vt in vertice apponatur figura Christi resurgentis; vel saltem Crux aliqua. Insuper Vt tabernaculum benedicatur antequam in vsum veniat: & postquam in vsum venerit, & Sanctissima Eucharistia de facto ibi asseruatur, Vt claudatur, & diligenter custodiatur clauicula, quæ maneat penes Rectorem Ecclesiæ; non autem penes aliquem Clericum; & multò minus penes laicos; idq; ne detur ansa temerarijs & impijs aliquod sacrilegium committendi; aut saltem irreuerenter contrectandi tàm venerabile Sacramentum. Hac de causa Summus Pontifex Innocentius 3. mandat vt qui negligentes sunt in custodia tanti Sacramenti seuerè puniantur pro grauitate culpæ præsertim si aliquod sacrilegium eorum culpa contigerit. Sic enim ait. *Statuimus vt in cunctis Ecclesijs Eucharistia sub fideli custodia clauibus adhibitis conseruetur ne possit ad illam temeraria manus extendi ad aliqua horribilia vel nefaria exercenda: Si verò is, ad quem spectat custodia, eam incautè reliquerit, tribus mensibus ab officio suspendatur, & si per eius incuriam aliquid nefandum inde contigerit, grauiori subiaceat vltioni.* In eamdem negligentiam insurgit Concilium Aurelianense, seu iuxtà alios Arelatense *relatum in cap. qui benè de consecr. dist. 2.* imponens pænitentiam 40. dierum. Sic enim inquit. *Qui benè nō custodierit Sacrificium quadraginta diebus pæniteat.* Et meritò quidem; nam seruitus & cultus immediatus erga Christum est præcipua cura, quæ Sacerdotibus incumbit.

Quantum ad situm illius, mandat S. Carolus vt ponatur suprà Altare in ea distantia à Celebrante, quæ satis sit ad commodam extensionem Corporalis super Altare, & ad extractionem Pixidis seu Custodiæ ex ipso Tabernaculo, itaut non sit necesse indecenter ascendere super altare aut alio modo indecorè se gerere pro dicta extractione: expresse quoq; mandans ne collocetur intrà parietem, aut nimis propè illum propter periculũ humiditatis. Et quamuis frequentius soleat collocari super Altare maius quia est pars nobilior totius Ecclesiæ repræsentans Sancta Sanctorum Templi Hierosolimitani; attamen non extat de hac re aliquod præceptum. Qualecunq; tamen sit hoc altare, in quo collocatur Tabernaculum (siue altare maius siue aliud) debet esse, si commodè fieri potest, conuersum ad Orientem; prisci enim illi fideles ad talem mundi plagam se conuertere solebant quando ad orandum accedebant.

Illud in primis est curandum, vt locus, in quo prædictum Tabernaculum collocatur (quicunq; ille sit talis locus) omnino ab omni sorde pulueris, à telis arancarum, cæterisque inquinamentis mundus seruetur; ibi enim peculiari modo inhabitat Deus. Hac de Causa Honorius 3. Pontif. Max. grauiter hanc munditiam iniũgit in vasis sacris, & præsertim in asseruanda Sanctissima Eucharistia mandans superioribus vt seuerè animaduertant in eos, qui in hoc desides fuerint deprehensi, ne ob hanc desidiam Deus contrà nos irascatur. Hæc sunt Verba Pontificis. *Ne, inquit, propter incuriam Sacerdotum Diuina indignatio grauius exardescat districtè præcipiendo mandamus quatenus à Sacerdotibus Eucharistia in loco singulari mundo, & signato honorificè collocata, deuotè ac fideliter conseruetur.* Hoc decretum innouatum fuit in Concilijs Prouincialibus Mediolani, in quibus insuper iniungitur vt ad maiorem decentiam & reuerentiam, prædictum Tabernaculum velaminibus sericis, aut alterius generis quantum fieri potest,

test, pretiosis desuper operiatur ad arcendum puluerem, sordesq; reliquas contingentes.

Ex prædictis clare colligitur antiquissimũ esse hunc vsum in Ecclesia Dei conseruandi in templis Sanctissimam Eucharistiam; quod nouissimè statuit etiam *Sac. Conc. Tridentinum.* Cuius rei tres præcipui fines assignari solent. Primò. Vt à fidelibus frequenter suscipi possit quotiescunq; deuotio eis suadet, præmissa tamen semper ea præparatione, quam sacri Canones præscribunt. Secũdò. Vt in promptu sit quãdo grauiter ægrotantibus deferẽda est præsertim pro Viatico. Hoc mandat præcipuè *Conc. Nicenum & Vormatiense his verbis.* [Presbyter Eucharistiam semper habeat paratam vt quando quis infirmatus fuerit statim eum communicet ne sine communione moriatur.] Modus autem decenter portandi præscribitur *à Sac. Cõc. Trid. & habetur in Rituali Romano.* Tertiò Vt Fideles pro libito ingredientes in Tẽpla sẽper oportunitatem habeant adorandi Deum, ac Dominum Nostrum Iesum Christum ibi speciali modo vere, realiter, & præsentialiter manentem: Vnde postmodum eorum Fides, Spes, & Charitas augescat; & fiduciam habeant beneficia postulandi, & obtinendi, recolentes memoria quod ipse Dominus ore suo benedicto dixerit *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consumationem seculi.* Et alias. *Petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis.*

Vnum est hic obiter aduertendum in calce huius paragraphi, quod à Sancto Basilio fuit etiam adnotatum & obseruatum. Nimirum quòd durantibus Ecclesiæ persecutionibus quando fideles nullibi pacificè consistere permittebantur, nec habebant copiam Sacerdotum, concessum erat illis vt apud se in ipsorum mansiunculis haberent particulas consecratas; immo secum illas deferrent & semet ipsos proprijs manibus communicarent; & hoc nedum Clericis; sed etiam laicis, immo ipsis mulieribus permissum erat, vt hoc testatum

reliquerunt *Tertullianus, Iustinus Martyr, & alij Historici Ecclesiastici.* Verùm quia multa inde nascebantur inconuenientia præsertim postquam cessarant persecutiones,& Charitas aliquantulum tepefierat;hinc factum est vt Ecclesia sancta,quæ Spiritu Sancto continuè regitur, & gubernatur, huiusmodi consuetudinem salubriter aboleret, grauiterq; præciperet vt in posterum solummodò in Ecclesijs particulę consecratæ sub Eucharistiæ appellatione conseruarentur. Sic *Concilium Cesaraugustanum mandat.* [Eucharistiæ gratiam si quis probatur acceptam non consumpsisse in Ecclesia, anathema sit in perpetuum.] Idem præcipit *Conc. Lateranense, & Honorius. 3. vt innuit Sac. Conc. Trid.* Prohibetur etiã omnino ne Sanctissima Eucharistia ab aliorũ manibus attrectetur pręterquàm à manibus Sacerdotũ. Et ita seruatur modò à cũctis fidelibus.

CAPVT VII.

De Disciplina circa ea, quæ mediatè deseruiunt ad Sacrosanctum Missæ Sacrificium, qualia sunt Vestimenta Ecclesiastica.

VIdimus de Disciplina Ecclesiastica circa ea,quę immediatè spectant ad Missæ sacrificium; nunc de ijs, quæ mediatè. Hæc autem sunt Vestimenta à Sacris Ritibus præscripta ad exercitium ordinum Ecclesiasticorum. Quorũ quædam sunt Communia Ecclesiasticis omnibus tam in maioribus quàm in minoribus ordinibus constitutis; quædam sunt propria eorum, qui sunt in sacris; quædam propria Sacerdotum; quædam propria Episcoporum. Notandum quod ea, quæ conueniunt inferioribus cõueniunt etiam superioribus; sed non viceuersa. De quibus omnibus per singulos paragraphos agemus. Sed prius considerand a sunt Vestimenta sacra in communi.

§. 1.

§. 1. De Vestibus sacris in communi.

CVltus diuinus sicut exposcit Vasa & ornaméta pro Sacris Altaribus & Templis: ita etiam expostulat vestes proprias & peculiares pro suis Ministris omnino differétes à vestibus communibus & domesticis. Illis debent vti quando sacra exercent præsertim Sacrosanctum Missæ sacrificium. Nec mirum, quia etiam Ethnici hoc seruarunt vt colligitur ex Plinio, & Seruio; immo ab ipso maximo Ecclesiæ Doctore Hieronymo. Fuit hic ritus à Deo Moysi in Exod. 40. peculiari lege præscripus, qua etiam lege interdictus fuit vsus huiusmodi vestium sacrarum extrà cultus diuini exercitium. *Applicabis*, inquit, *Aaron, & filios eius ad fores Tabernaculi testimonij & lotos aqua indue sanctis vestibus vt ministrent mihi.* Hunc eumdem ritum postea meritò Sancta Ecclesia in Filios suos induxit non ex præcepto aliquo legis Euangelicæ, sed secuta instinctum Spiritus Sancti ex traditione sacra Christi Iesu, & Apostolorum eius vti declarat *Sac. Conc. Tridentinum*; quandoquidem hæc sacra indumenta multò magis conuenientia sunt in lege noua & Euágelica propter excellentius sacrificium, quàm in lege veteri.

Huius sacri ritus & instituti tres pręcipuæ rationes à Doctoribus adducuntur. Prima est reuerentia debita Deo; necnon Ecclesijs, & Actionibus quæ in illis habentur. Hanc adducit Sanctus Stephanus Papa & Martyr huius nominis primus. *Vestimenta verò*, inquit, *Ecclesiastica, quibuscum Domino ministratur, cultusq; Diuinus omni cum honorificentia, & honestate à Sacerdotibus, reliquisq; ministris celebratur, sacrata esse debent & honesta, quibus alijs in vsibus, cum Deo, eiusq; seruitio consecrata, & dedicata sint, nemo debet frui quàm in Ecclesiasticis, Deoq; dignis officijs.* Huius decreti meminit etiam S. Damasus Papa, & S. Hieronymus. *Religio*, inquit, *Diuina alterum habitum habet in-*

mi-

ministerio, alterum in vsu, vitaq; communi. Secunda est mystica significatio quam habent tàm circa functiones, quàm circa mores ministrorum dictis vestibus vtentium. Quamobrem deseruiunt pro scriptura, vt Ministri aspicientes & induentes quodammodo perlegant in illis quid sibi agēdum, quidue fugiendum, mentemq; ad contemplationem mysteriorum eleuent diuinorum. Hinc S. Hieronymus. *Debent*, inquit, *Sacerdotes munda conscientia & virtutum vestibus ornata Domini Sacramenta tractare.* Tertia est excitatio fidelium ad contemplationem supernorum, & ad magnificiendum diuina, vt ait Diuus Thomas. Vnde videmus etiam politicos Magistratus in actionibus publicis indui vestibus quibusdā peculiaribus ad ostendendam eorum authoritatem, & ad excitandam in populis erga se reuerentiam. Hac de Caussa omnes Ecclesiæ Præsules cultus Diuini Zelatores summū adhibuere studium in hoc Vestium Ecclesiasticarum decoræ, & splendore curando, vt in specie de S. Gregorio Magno scribit Ioannes Diaconus; quòd ingentem istarum copiam transmiserit in Angliam cum illuc ad prædicandum Euangelium, & disseminandam Catholicam doctrinā Augustinum & socios Apostolica benedictione mādauit. Idem scribitur de Constantino Magno, de Carolo Magno, & de innumeris alijs Principibus Christianis tùm Ecclesiasticis tùm laicis, quos longum esset referre.

Ex dictis duo præcipua colliguntur non segniter aduertenda.

Primum Quòd indumenta sacra Ecclesiasticorum ab ipsis adhibita in sacris cæremonijs distinguuntur ab alijs, quibus communiter extra Ecclesias vtuntur; quæ distinctio in duobus consistit nempe in forma artificiali seu figura à sacris ritibus præscripta: & in forma, vt ita dicā, morali, idest in dedicatione illorum factu Deo per benedictiones & ritus particulares. Vnde Exod cap. 29. habetur. ***Cūmq; tuleris de oleo***

oleo vnctionis asperges Aaron, & vestes eius, filios & vestimenta eorum. Hæ duæ prædictæ formæ ita sunt necessariæ in sacris vestibus, vt vna sine altera non sufficiat ad hoc vt possint adhiberi in sacris functionibus. Vnde nullus Sacerdos, exempli gratia, poterit celebrare sine illo indumento quod dicitur *Casula*, quæ habeat formam seu figuram *Casulæ*, id est *Planetæ*; & insuper sit benedicta. Idem dicito de alijs sacris indumentis. Vtrum autem Sacerdos peccet mortaliter necne celebrando cum Casula quæ non fuerit benedicta, aut quæ amiserit priorem figuram? Remitto me ad Doctores qui tractant de Casibus conscientiæ. Sicut etiam quando indumenta Sacra dicantur amittere priorem formam itaut non sint amplius licitum illis vti.

Secundùm quòd huiusmodi sacra indumenta diuino tantùmodo vsui destinata non possunt ad alios prophanos & communes vsus adhiberi, neq; ab ipsismet Ecclesiasticis extrà Ecclesias, & extrà Cæremonias, quibus sunt deputata. Quod habetur expesse apud Ezechielem cap. 44. his verbis. *Cumq; egredientur atrium exterius ad populum, exuent se vestimẽtis suis, in quibus ministrauerant, & reponent ea in gazophilatio sanctuarij, & vestient se vestimentis alijs*. Quod etiam per Sacros Canones præscriptum est Sacerdotibus nouę legis. Vnde *Origenes ait*. [Vestimenta quæ sancta nominantur non iubentur intrà domum vsui deseruire; sed in Templo esse, & inde omnino nunquam efferri; sed ad hoc tantum consecrata esse vt eis Pontifex induatur, & sint semper in templo.] Quapropter qui dictas vestes ad alios vsus adhiberet magnam diuino cultui iniuriam inferret, & à superioribus iusta veniret pæna mulctandus.

S 2

§. 2. *De Vestibus, quæ sunt communes omnibus Ecclesiasticis, nempe de Superpelliceo: & de Roccetto.*

PRima, quæ sese nobis offert Ecclesiastica vestis est *Superpelliceum*, quam vulgò dicunt (*Cotta*) Hæc est communis omnibus Ecclesiasticis indifferenter, & adhibetur ferè in omnibus publicis functionibus: veluti in administratione omnium Sacramentorum; in seruiendo Diuino Missæ sacrificio; in recitandis in Choro Horis Canonicis; in processionibus; in exequijs; in synodis; & in similibus alijs actionibus, quæ à solis Ecclesiasticis exerçentur. Diuus Carolus, quem nos tanquam ducem sequimur in his materijs, mandat puniri eos qui diuinis officijs, aut quibuscunq; alijs functionibus Ecclesiasticis intersunt absq; superpelliceo; item puniri eos, qui huiusmodi veste abutuntur in actionibus prophanis, & extrà Cæremonias Ecclesiasticas. Et quia Superpelliceum est prima Ecclesiastica Vestis, quam in Ecclesijs induunt ij, qui se diuinis mancipant ministerij, & Clericali militiæ adscribuntur; ideo quando Episcopus admittit aliquem ad primam tonsuram, & inter Clericos adscribit, induit illum hac veste tanquam habitu proprio Clericorum, communiq; singulis Clericis, Sanctæq; Ecclesiæ ministris iuxtà illud, quod dixit Deus Sacerdoti Heli de Samuele puero, *Elegi eum portare Ephod coram me.*

Conficiuntur Superpellicea vt plurimum è lino, vel Canipio, aut consimili materia iuxtà regionum oportunitatem; ea præsertim ratione, vt quando inquinantur possint commodè lauari & mundari, vt in illis semper appareat nitor & munditia. Talibus indumentis præcepit Deus Moisi vt vestiret filios Aaron quando in templo Diuinæ Maiestati, ac Sacrificijs assisterent. *Filijs*, inquit, *Aaron tunicas lineas parabis in gloriam & decorem.* Et in Leuit. 16. prohibetur Summo Sa-

cer-

cerdoti ingredi in Sancta Sanctorum absq; huiusmodi Veste. *Ne ingrediatur*, inquit, *Sanctuarium, quod est intra Velum, nisi hac fuerit tunica linea vestitus*. Et in Ezechiele. *Vestibus lineis vestientur*. Vnde legimus de Samuele quod ministrabat Domino puer accinctus Ephod lineo. Hinc existimant aliqui Sanctam Ecclesiam vsum superpellicei desumpsisse.

Sed veniamus ad mysticas huius Vestis significationes, quæ quidem non sunt paucæ, siue attendamus Materiam ex qua contexitur: siue Colorem quo nitet: siue Figuram quam exprimit. Et quidem Materia vt dixi, est linum vel canipium, quod vtrumq; non modicis percussionibus & nō paruo labore. 1. contunditur. 2. madefit aqua. 3. exsiccatur. 4. purgatur. 5. glomeratur. 6. texitur; & multis alijs operationibus disponitur vt tādem ex illo vestes conficiantur. Sic omnino omnis Ecclesiasticus, & quilibet diuino seruitio mācipatus debet studio continuæ mortificationis, laboris, patientiæ, cęterarumq; virtutum exercitio quotidie sese disponere, vt dignus Christi discipulus, & omnipotētis Dei seruus non indignus inueniatur. Ita planè agebat Apostolus Paulus, qui ad Corintios scribens de seipso dicebat. *In omnibus tribulationem patimur, semper mortificationem Iesu in Corpore nostro circumferentes, vt vita Iesu manifestetur in corporibus nostris.* Color est albus. Et quid aliud quæso nobis albedo indicat nisi conscientiæ puritatem, candorem morum, & vitæ integritatem? Nonnè hæc à suis famulis Deus exquirit cum dicit. *Sancti estote, quoniam ego Sanctus sum?* Hinc Ecclesiasticus hortatur vt omni tempore huic munditię & Sanctitati vacemus dicens. *Omni tempore vestimenta tua sint candida*. Quæ verba sic *Magnus Gregorius interpretatur*. [Membra Corporis tui à sordidis actibus sint munda.] Figura est Crucis (si manicæ superpellicei attollantur ex extendantur in longitudinem) Crux autem per se loquitur. Et cū Christus Dominus dicat suis fidelibus (præsertim ijs qui profiteatur ipsum sequi &

 ini-

imitari quales sunt omnes Clerici) *qui vult venire post me abneget semetipsum & tollat Crucem suam & sequatur me*; quàm efficax & quotidiana adhortatio debet esse ipsis Clericis hæc Crux suæ vestis, vt Crucem amplectantur, & seipsos mundo crucifigant? præsertim cum Apostolus dicat. *Qui Christi sunt carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs*. Præterea hæc Vestis protenditur in latitudinem, & est ampla; vt significet latitudinem Cordis & magnitudinem Animi, quæ requiritur in Ecclesiasticis circa ea quæ spectant ad Dei famulatum & cultum qualem cordis latitudinem legimus fuisse à Deo tributam sapientissimo Regi Salomoni; de quo dicitur in libris Regum. *Deditq; Dominus Salomoni sapientiam, & latitudinem Cordis quasi arenam quæ est in littore maris*. Ea fuit magnitudo animi & latitudo Cordis huius incomparabilis Regis vt ingentes illi apparatus; innumera illa sacrificia; thesauri illi inæstimabiles in Diuinum cultum profusi, exiguum quid sibi viderentur comparatione maioris desiderij magis ac magis supremam illam Diuinæ Maiestatis celsitudinem honorandi. Vnde & dicebat Deo. *Si Cæli cælorum te capere non possunt, quantò minus domus hæc quam ædificaui*. Deniq; superpelliceum habet multas complicaturas. Per hoc denotat debere nos abũdare in operibus pietatis, religionis, & Charitatis; quæ consequuntur illam Cordis & animi magnitudinem; nam Apostolus explicans effectus Charitatis omnium virtutum opera ad illam refert dicens. *Charitas patiens est, benigna est: Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati; omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet*. Et quæ sequuntur.

Quicquid dictum est de superpelliceis, intelligendum est etiam de *Roccettis*, quæ in duobus tantummodo differunt à superpelliceis, nimirum in Vsu, & in figura.

Vsus

Vsus Roccetti est proprius Ecclesiasticorum maioris gradus & dignitatis, non autem communis omnibus sicut superpelliceum. Vnde Roccettum concessum est Canonicis plurimarum Cathedralium insigniorum; nec non ijs, qui habent aliquam iurisdictionem, & auctoritatem Ecclesiasticam, vel in Ecclesijs particularibus, qualem habent Episcopi; Vel in Ecclesia Vniuersali qualem habent Cardinales, & Prælati quidam Romanę Aulæ pręstantiores. Et quia Summus Pontifex est Pastor Vniuersalis, Christi Domini Vicarius in terris, potestatem habens Spiritualem in Vniuersum orbē; ideo semper gestat Roccettum tanquam proprium signum & testimonium supremæ suæ auctoritatis & iurisdictionis: Eamdem ob causam Cardinales omnes tempore Sedis Vacantis semper induunt Roccettum, illudq; apertum & expositum deferunt in signum, quod durāte Sede Vacante ipsi sunt supremi Sanctæ Ecclesiæ Administratores. Præter Personas supradictas conceditur ex priuilegio Roccettum quibusdam Regularibus, huiusmodi sunt Canonici Regulares Lateranenses & Canonici Sanctissimi Saluatoris; & alij Regulares ex præscripta consuetudinę ab immemorabili tempore sine interruptione seruata; quales sunt Cleri Regulares Congregationis Sancti Pauli. Igitur prædicti gestare solent Roccettum; cum hac differentia tamen quod Canonici vtuntur illo etiam domi tanquam veste propria; alij verò in actionibus Ecclesiasticis publicis habentes Roccettum loco superpellicei: omnes tamen vel deponunt illud, vel contectum & occultum retinent coràm Prælato proprio & coràm Summo Pontifice in signum submissionis & reuerentiæ.

Figura Roccetti differt à superpellicei figura solùm in manicis; nam manicæ Roccetti sunt angustæ, & brachijs coaptatæ; non autem amplæ & cadentes vt in superpelliceo. Hæc igitur figura manicarum angusta docet Prælatos, cæterasq;

Personas hanc vestem induentes Tum remotionem cuiuscunq; superfluitatis, & rerum inutilium, vt dicit Ambrosius; quia omnia illorum facta, dicta, & cogitata tendere debent ad sui, suorumq; proximorũ salutem: Tum promptitudinem circa ea, quæ sunt Dei cultus, & Ecclesiæ famulatus; in hoc imitatores effecti militum, qui armaturam gestãt angustam, & ad Corporis mensuram aptatam, vt in tractandis armis,& gerendis prælijs expeditiores se reddant: Tum obligationem maioris perfectionis Euangelicæ eò quod huiusmodi Personæ sint in altioris, & sublimioris gradus fastigio collocati. Omni enim, vt inquit Dominus, cui multum datum est, multum quæretur ab eo: & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo. Itaq; ij, qui vsu talis habitus fruuntur, recogitent se per talem habitum ad maiorem vitæ perfectionem esse vocatos; non autem ad vanitatem, ad elationem animi, & ad fastum & pompam per talem habitum enutriendam.

§. 3. *De Vestibus proprijs Ecclesiasticorum qui sunt in sacris, nempe de Dalmatica seu Tunicella.*

PRæter Superpelliceum, quo insigniuntur Clerici, quando prima tonsura initiantur, datur Subdiaconis,& Diaconis vestis quædam Sacra dicta *Dalmatica* seu *Tunicella* (alij enim ordines inferiores vt Hostiarius, Lector, Exorcista, & Acolithus non habent aliũ habitũ præter superpelliceũ) Est igitur Vestis hæc propria eorũ, qui sunt in sacris & habent ordinem Subdiaconatus, & Diaconatus. Eius figura est talis, nimirum est in modum Crucis efformata; à lateribus aperta; lata & ampla in manicis, quæ vsque ad medium brachiorum & non vltrà protenduntur; longa vsq; ad genua; habens à tergo quasdam cordulas sericas pendentes super dorsum eius, qui tali veste induitur. Quæ omnia sunt plena mysterijs. Nam Figura Crucis excitat memoriam passionis & mortis Chri-

Christi Domini, quæ repræsentatur in Missa, cui assistunt & inseruiunt ipsi Leuitæ, idest Diaconus & Subdiaconus quando d. Missa solemniter celebratur. Vel dic figuram Crucis præseferre mortificationem sensuum & carnis, cui studere debent qui sunt in sacris constituti sicut studebat Apostolus, qui de se dicebat. *Mihi mundus Crucifixus est & ego mundo*. Et in hoc gloriari debent Leuitæ, sicut & idemmet Apostolus gloriabatur quando dicebat. *Mihi autem absit gloriari nisi in Cruce Domini Nostri Iesu Christi:* non autem gloriari debent in honore sibi collato cum Ecclesiastico gradu, quem obtinent. Sequitur illa partiũ vestis disiũctio & dilatatio à lateribus. Hoc in memoriam reuocat Sacratissimum illud latus Domini Nostri Iesu Christi pro nobis peccatoribus in Cruce per lanceam militis apertũ, ex quo exiuit sanguis & aqua: quod mysterium recolere dignè debent præsertim Diaconi, quibus olim ab Episcopis permissum erat, & data facultas eumdem sanguinem Domini Nostri Fidelibus distribuendi: quẽadmodum de Sanctissimis Diaconis, & Martyribus fortissimis Laurentio, & Vincentio Diuus Leo Papa, & alij Auctores tradiderunt. Latitudo ipsius Dalmaticæ & Manicarum illius indicat affectum & desiderium Charitatis adiuuandi proximos modis omnibus, quibus datur facultas; nam Charitas se extendit ad omnes. Sic Paulus de se dicebat scribẽs ad Corintios. *Os meum patet ad vos; cor meum dilatatum est. &c.* Illæ duæ Cordulæ sericæ cum flosculis supra dorsum à tergo pendentes demonstrant duo illa præcepta Charitatis, nempe de Amore Dei super omnia: & de Amore Proximi sicut nostri ipsius, de quibus in Euangelio; quibus etiam præceptis obstricti debent coràm Deo illius famuli deseruire. Vnde per Oseam idem Deus dicit de suis ministris. *In funiculis Adam traham eos in vinculis Charitatis.* His deniq; cordulis ipsa Dalmatica alligatur & obstringitur super humeros Ministri, qui eam induit ad ostendendum quod opera Charitatis

non

non absq; labore per humeros significato exercentur. iuxtà illud Domini per Baruch. *Inclinate humerum vestrum, & ceruicem vestram & opera facite.*

Nomen *Dalmaticæ* aliqui arbitrantur deriuatum esse à nomine *Dalmatia*, in qua prouincia talis vestis fuerit primò adinuenta, & in vsum inducta. Nomen *Tunicella* venit à *Tunica*. Antiquitus Subdiaconi soli induebantur hac veste, quæ tūc temporis contexebatur absq; manicis vt colligitur ex Diuo Gregorio; sed hodie tàm Diaconi quàm Subdiaconi promiscuè vtuntur Dalmatica texta cum manicis quæ etiam dicitur Tunicella; & hoc ex decreto Sancti Syluestri Papæ.

Vsus Dalmaticæ est antiquissimus, itaut etiam ante S. Silucstri tempora extiterit in Ecclesia Dei: Nam vt cætera testimonia prætermittam. De Sancto Cypriano legimus quod ductus ad martyrium, cum peruenisset ad locum, vbi mox capite plectendus erat, exuit se Dalmatica, eamq; suis Diaconis tradidit asseruandam. Hoc autem fuit Anno Domini 253. iuxtà Baronium: & procul dubio multis annis ante S. Siluestrum.

§. 4. *De Vestibus proprijs Sacerdotum, quæ sunt sex, nempe Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, & Casula seu Planeta.*

CVm Sacrificium sit actus Excellentissimæ Religionis & supremi cultus, qui Altissimæ Dei Maiestati adhiberi possit; & ad Sacrificium celebrandum tanquam ad præcipuum finem construuntur Templa, eriguntur Altaria, deputantur Ministri, præparantur Vasa, comparantur Vestes, præscribuntur Ritus; & omnia deniq; Ecclesiastica tàm loca, quàm personæ, res, & actiones referuntur: hinc est quòd sapientissimè & sanctissimè maiores nostri Ecclesiæ Catholicę Pastores & Antistites & Sacra Patrum Concilia peculiares & proprias Vestes præscripsere easq; mysterijs refertas pro tan-

tanti muneris functione. Sic olim Deus mandauit Moysi vestes proprias & particulares pro antiqui illius Sacerdotij ministerio, quod vmbra solum erat Sacerdotij Euangelici. Hæ igitur Vestes sunt illæmet sex assignatæ in titulo paragraphi quibus nec addi, nec minui potest Ex decreto *Pij V. & Clem. 8. Summorum Pontificum*. Et Sacerdos scienter celebrans sine dictis vestibus, aut aliqua illarum, peccat mortaliter, iuxtà graues Auctores.

De his tractauimus *in 1. parte dist. 3. cap. 6. de Sacrificio Missæ.*

§. 11. Hic etiam aliqua addemus assignando singulis quatuor significationes iuxtà quatuor sensus sacræ scripturæ, scilicet Litteralem, Allegoricum, Tropologicum, seu Moralem, & Anagogicum. Et cum sensus Litteralis sit duplex alter proprius, quem verba propriè significant: alter improprius siue Metaphoricus, quem verba impropriè significant, per omnes præfatos sensus discurremus, Igitur.

AMICTVS in sua propria significatione est linteolū quoddam lineum, quo caput tegitur, quo Sacerdos loco Ephod siue suphumeralis & rationalis habet; & nunc etiam super humerale vocari potest; habens duos funiculos seu cordulas, quibus ante pectus celebrantis ligatur.

Metaphoricè. Est quædam quodammodo galea spiritualis; Vnde Sacerdos dum se hoc indumento vestit dicit in oratione. *Impone Domine capiti meo galeam salutis.* Porrò hæc salutis galea est Spes. Vnde Apostolus ad Thessalonicenses. *Induti loricam Fidei & Charitatis, & galeam Spem salutis.* Alij dicunt hanc salutis galeam esse Fidem.

Allegoricè. Significat & repræsentat operimentum, quo Iudæi velabant faciem Christi iuxtà illud Euangelistæ. *Velauerunt eum, & percutiebant faciem eius dicentes. Prophetiza nobis Christe quis est, qui te percussit.*

Moraliter. Quia amictus ponitur super humeros, & ligatur duabus cordulis antepectus in modum Crucis. Significat

Sa-

Sacerdotis promptitudinem ad labores quoſcunq; ſuſcipiẽdos,& ęrumnas quaſcunq; ſufferẽdas propter Dei honorem, proximorumq; ſalutem;iuxtà illud Apoſtoli ad Timoteũ. *Labora vt bonus miles Ieſu Chriſti.* (Humeri.n. ſunt fortes ad opera peragenda , & onera portanda iuxtà illud Patriarchæ Iacob. *ſuppoſuit humerum ad portandum , &c.*) Illæ duæ cordulæ ſignificãt intentionem & finem quibus informand . eſt opus ne fiat in fermento malitiæ & nequitiæ;ſed in azymis ſynceritatis & veritatis iuxtà Apoſtolum.

Anagogicè . Significat Humanitatem Chriſti; nam ſicut amictus tegit caput: ita illa ſacratiſſima Humanitas ad inſtar nubis contegentis ſolem contegit caput ipſius Chriſti nempe diuinitatem; nam vt dicit Apoſtolus. *Caput viri Chriſtus; caput verò Chriſti Deus.*

ALBA. Propriè eſt Veſtis quædam alba contexta de biſſo, vel lino ampla , lata , & longa vſq; ad terram contegens totum corpus Sacerdotis.

Metaph. Eſt Veſtis innocentiæ, & vitæ integritatis, quæ datur baptizatis quando baptizans dicit. *Accipe Veſtem candidam & immaculatam.* Et quamuis vt plurimum adueniente vſu rationis per peccata amittatur; tamen reſtituitur per Sacramentum Pænitentiæ, in quo applicatur Sanguis Chriſti, qui mundat Animam. Vnde Sacerdos dicit in oratione huius indumenti. *Dealba me Domine & munda cor meum vt in Sanguine agni dealbatus gaudijs perfruar ſempiternis* . Porrò hæc Veſtis integritate Vitæ; & Iuſtitiæ debet perſeuerare in Homine vſq; ad mortem ad hoc vt conſequatur Vitam eternam; ideo Alba eſt longa vſq; ad terram , per quod intelligitur Perſeuerantia in bono vſq; ad finem Vitæ.

Alleg. Significat & repreſentat Veſtem illam albam , qua Herodes induit Chriſtum in contemptum , deriſum , & opprobrium de qua S. Lucas . *Spreuitq; illum Herodes , indutum Veſte alba.*

Moral.

Moral. significat candoris munditiam iuxtà illud, *Omni tempore vestimenta tua sint candida.* Quæ munditia non obtinetur nisi per continuum mortificationis exercitium compescendo carnem, eiusq; inordinatas passiones & desideria; quemadmodum linum vel byssus, ex quo fit Alba, non habet candorem nisi prius per artem fuerit multis tunsionibus attritum. Sacerdos ergo, secundum Apostolum, castiget corpus suum, & in seruitutem redigat, ne fortè cum alijs prædicauerit ipse reprobus fiat.

Anag. significat Diuinitatem Christi, quæ à Spiritu Sancto vocatur Candor sub nomine sapientiæ. *Est enim,* inquit, *candor lucis æternæ, & speculum sine macula.* In cuius signum in Transfiguratione resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.

CINGVLVM Propriè est cordula contexta siue ex lino, siue ex serico, siue ex alia pretiosiori materia, qua præcingitur Alba circa lumbos Sacerdotis ne defluendo incessum impediat.

Metaph. Est Continentia, per quam Castitas seu Munditia seruatur & continetur ne vllis incentiuorum stimulis dissoluatur: & quia luxuria, quæ opponitur Castitati, maximè dominatur in lumbis iuxtà illud. *Virtus eius in lumbis eius & fortitudo eius in vmbilico ventris illius.* ideo Dominus dicit. *sint lumbi vestri præcincti.* Et hac etiā de causa cingulū hoc stringitur suprà lumbos; & Sacerdos dum se præcingit dicit in oratione. *Præcinge me Domine cingulo puritatis & extingue in lumbis meis humorem libidinis, vt maneat in me virtus Continentiæ & Castitatis.*

Alleg. Repræsentat flagella, quibus Pilatus cæcidit Iesum; Vel illa quibus alligatus fuit in horto.

Moral. significat Iustitiam (prout est Virtus quædam generalis dicens vitæ rectitudinem & bonitatem, de qua Propheta *Iustus Dominus & Iustitiam dilexit; æquitatem vidit vultus*

eius.) Nam etiam Iustitia dicitur Cingulum iuxtà illud. *Erit Iustitia cingulum lumborum eius.* Et quia hoc Cingulum habere solet duas Cordulas hinc inde pendentes, quæ sese constringunt; ideo in Iustitia significant duas partes illius; nempe Primam. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris Secundam. Quæcunque vultis faciant vobis homines, facite illis. Seu aliter iuxtà Profetam. *Declina à malo, & fac bonum.*

Anag. Significat illud, quod Ioannes Apostolus in Apocalypsi ait. *Conuersus vidi similem filio hominis vestitum podere, & præcinctum ad mamillas Zona aurea.* Quo consimili cinctorio præcincti erant illi, qui eidem Ioanni apparuerunt. *Et exierunt,* inquit, *septem Angeli præcincti Zonis aureis.* Per Zonam auream designatur Vel perfecta Christi Charitas iuxtà illud *Supereminentem scientiæ Charitatem Christi:* Vel Diuinitatem & gloriam ipsius Christi iuxtà illud. *Præcinxit eum Zona gloriæ.* §

MANIPVLVS. Propriè est sudarium quoddam confectum ex eadē materia, qua fit casula, & stola, & apponitur in brachio sinistro. *Diuus Thomas, Stefanus Durantes* & alij volunt hoc esse subrogatum loco cuiusdam panniculi seu sudarioli, quo prisci illi Sacerdotes vtebantur ad abstergendas lachrymas, quas in hoc tremendo Missæ sacrificio frequentissimè effundebant.

Metaph. Est labor & fletus pænitentiæ, iuxtà illud *labores manuum tuarum, quia manducabis.* quem laborem in præsenti hac vita significata per sinistram, suscipere debemus vt recipiamus mercedem quietem in futura; secundum quod Profeta ait *euntes ibant & flebant mittentes semina sua: Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.* Vnde Sacerdos cum accipit manipulum dicit. *Merear Domine portare manipulum fletus & doloris vt cum exultatione recipiam mercedem laboris.*

Alleg. Repræsentat vel funem, quo Iesus comprehensus à Iudæis ligatus fuit. iuxtà illud Ioannis. *Comprehenderunt, & li-*

ligauerunt eum. Vel funem quo idem Iesus alligatus fuit columnæ, quando virgis cæsus fuit.

Moral. significat sollicitudinem & vigilantiam in bonis operibus, quibus quotidie vacare debemus depulso omni tædio, vel torpore: quia Dominus dicit. *Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.* Vnde Ecclesiasticus monet. *Ante obitum tuum operare iustitiam; quoniam non est apud inferos inuenire cibum.* Et Princeps Apostolorum Petrus. *Satagite vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Et Apostolus Paulus. *Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes.*

Anag. Significat, *iuxtà Diuum Bonauenturam*, illam profundam Christi Iesu humilitatē exhibitam nobis in eius passibili Carne, de qua dicit Apostolus. *Humiliauit semetipsum Dominus Iesus Christus factus obediens vsq; ad mortē, mortē autē Crucis.* Quam imitari debent Sacerdotes, & Christi Ministri simul cum labore, qui cum operibus virtutum coniungitur; quæ duo Propheta Dauid Diuinæ obtulit Maiestati ad suorum peccatorum veniam obtinendam dicens. *Vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte omnia peccata mea.*

STOLA. Propriè est ille habitus latitudinis circiter vnius palmi, & lōgitudinis vsq; ad genua; quē Sacerdos super collum sibi imponit, eoq; ipsum collum quodammodo obstringit; deinde ante pectus illius extremitates ad modū Crucis accomodat, quæ à collo per anteriora descendentes dextrum & sinistrum latus adornant.

Metaph. Est immortalitas, vitaq; gloriæ æternæ. Quam ostēdit ipsa oratio à Sacerdote recitata dum huiusmodi habitum induit dicens. *Redde mihi Domine stolam immortalitatis, quam perdidi in prauaricatione primi parentis; & quamuis indignus accedam ad tuum sanctum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum.*

Alleg. Repræsentat funes & catenas quibus Christus Do-

minus alligatus ductus fuit ad patibulum Crucis.

Moral. Significat, iuxtà quosdam, iugum Domini. Et quia Sacerdos cum osculo sibi stolam imponit per hoc denotat assensum & desiderium, quo se subijcit huic iugo, de quo dicit Dominus *Iugum meum suaue est & onus meum leue*. Illæ duæ partes descendentes per anteriora in duo latera, indicant armaturam illam duplicem Iustitiæ, de qua Apostolus ad Corintios. *Per arma iustitiæ à dextris & à sinistris*, quia Sacerdos & in prosperis & in aduersis debet esse munitus itaut nec aduersis frangatur, nec prosperis eleuetur. Vnde & cum Sacerdos in ordinatione stolam accipit, dicit illi Episcopus. *Accipe iugum Dei; iugum enim eius suaue est, & onus eius leue*. Suaue in prosperis, leue in aduersis. Quod autem Sacerdos illas duas partes in modum Crucis ante pectus efformat, indicat debere Sacerdotem meditari & imitari Passionem & Crucem Domini Nostri Iesu Christi secũdum quod monet Apostolus dicens. *Aspicientes in auctorem Fidei, & consumatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit Crucem confusione contempta.*

Anag. Significat obedientiam & seruitutem, quam Dominus omnium propter suorum salutem subijt. Nam cum in forma Dei esset non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetiptum exinaniuit formam serui accipiens in similitudinem hominum factus. Humiliauit semetipsum factus obediens vsq; ad mortem.

CASVLA, seu *PLANETA*. dicta casula quasi parua; & planeta à verbo Græco, πλανητα quod idẽ est ac errans; quia videtur similis hic habitus syderibus errantibus; nam errabundus eius limbus super brachia eleuatur. Casula igitur Propriè est illa Vestis vltima, quam Sacerdos celebraturus post omnes alias induit, habens duas partes anteriorem & posteriorem latas & longas vsq; ad medietatem crurum circiter plus minu suè defluens super brachia.

Me-

Metaph. Est obseruantia præceptorum Dei. Vnde Sacerdos dum hoc indumento se vestit dicit in oratione. *Domine qui dixisti iugum meum suaue est & onus meum leue; fac vt istud portare sic valeam, quòd consequar tuam gratiam.*

Alleg. Repræsentat Vestimentum illud purpureum, quo milites circumdederunt Iesum illudentes ei & dicentes *Aue Rex Iudeorum.* Iuxtà alios repræsentat vestem illam inconsutilem Christi Domini, supra quam milites iuxtà Crucem stantes miserunt sortes.

Moral. Significat Charitatem, per quam legis præcepta seruantur. Vnde Episcopus, quando nouum Sacerdotem hac veste induit, dicit. *Accipe vestem Sacerdotalem, per quam Charitas intelligitur.* Et quidē meritò Planeta significat Charitatem; quia sicut Planeta superimponitur omnibus alijs vestibus Sacerdotis; ita Charitas supereminet omnibus alijs virtutibus tàm Theologicis quàm cæteris moralibus. Hinc Apostolus ait. *Nunc autem manent Fides, Spes, & Charitas; tria hac, maior autem horum est Charitas.* Immo ipsa perficit omnes alias virtutes tanquam forma illarum, earumq; actus meritorios reddit. Quapropter idem Apostolus ait. *Si linguis hominum loquar & Angelorū, Charitatē autē non habeā nihil sum &c.* Rursus sicut Planeta habet duas partes: ita duo sunt præcepta Charitatis nēpe Amor Dei, & Amor proximi iuxtà illud Domini *Diliges Dominum tuum, & proximum tuum sicut teipsum.* Præterea sicut Planeta imponitur super ambos humeros: Ita & Charitas debet exerceri, Tùm erga amicos per dexteram significatos iuxtà illud *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis;* immo eò vsq; excrescere debet vt etiam vita ponatur pro salute amicorum si opus sit; & tunc est perfecta Charitas iuxtà illud *Maiorem Charitatem nemo habet quàm vt Animam suam ponat quis pro amicis suis:* Tum erga inimicos per sinistrum significatos iuxtà illud Domini præceptum. *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos.*

Anag.

Anag. Quia Planeta est vna habens duas partes coniunctas, scilicet anteriorem & posteriorem; ideo quatenus est Vna, significat Vnitatẽ Fidei iuxtà illud Apostoli. *Vnus Dominus, vna fides &c.* Quatenus habens duas partes iunctas coalescentes in vnum, significat Ecclesiam veteris testamenti per partem posteriorem; quæ antecessit Christi passionem & Ecclesiam noui testamenti per anteriorem, quæ subsecuta est eandem passionem; nam & qui præibant & qui sequebanbantur clamabant. *Osanna Filio Dauid.* Ambæ tamen coalescunt in vnum, nempe in vnam & eamdem Fidem Vnius Mediatoris Dei & Hominum Iesu Christi.

§. 5. *De Vestibus proprijs Episcoporum, nempe Caligis, Sandalijs, Cruce cum reliquijs catenulis inserta, Chirothecis &c.*

PRæter indumenta Ecclesiastica hactenus explicata, dantur etiam quædã alia, quæ sunt propria Episcoporum, nec ab alijs possunt adhiberi absq; speciali sedis Apostolicæ priuilegio. Inter quæ primum locum obtinent.

Caligæ, quibus Pontifices induuntur, & calceantur vsq; ad genua. Conficiuntur ex tela, seu serico coloris violacei vel Hyacinthini. Significant vel rectitudinem, & constantiam induentis in via mandatorum Dei quemadmodum orabat Deum Propheta dicens. *Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, & non dominetur mei omnis iniustitia.* Vel obligationem Pastorum in confortandis & confirmandis debilibus eorum Curæ commissis, vti hortatur illos Isaias dicens. *Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate.* Qua propter cũ Pontifex se calceat dicit illa verba. *Calcea me Domine caligas iucunditatis, & conforta genua mea debilitatis vt indefessus valeã per semitam mandatorum tuorum ad te peruenire.*

Sandalia sunt calcei, quibus pedes Pontificum calceantur. A Concilio Niceno vocantur etiam *Compagia* ad mentem In-

Innocentij. Symbolum sunt prædicationis, vt declarat Cōc. Trid. Vnde narrat Sanctus Marcus Euangelista Christum Dominum misisse Apostolos suos ad prædicandum his calceati sandalijs. *Et vocauit*, inquit, *duodecim, & cœpit eos mittere calceatos sandalijs.* Et Apostolus Paulus. *State succincti, & calceati pedes in præparationem Euangelij pacis.* Hæc sandalia habēt desubtus integrā soleam: desuper verò corium fenestratum: quia gressus prædicatoris & subtus debent esse muniti ne polluantur terrenis, iuxtà illud Domini. *Excutite puluerem de pedibus vestris*. Et sursum aperti, quatenus ad cognoscenda mysteria cælestia reuelentur iuxtà illud Propheticum. *Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua*. In hoc quoq; quod desuper aperta sunt significatur, quòd corda semper ad Deum erecta habere, & oculos mentis ad ea quæ sursum sunt aperire debeamus: quod etiam subtus solida sunt, significat quòd mentē circa terrena obtusam habere nos conuenit nec debemus quærere benedictionem Esau, quæ in terris est; sed Iacob, quæ est in Cælis.

Crux catenulis inserta, in qua sunt reliquiæ, à collo Pontificis pendens ante illius pectus, stat loco illius laminæ aureæ, quam Pontifex legalis veteris testamenti gerebat in fronte. Vnde sicut illa lamina habebat quatuor literas aureas, sic ista Crux habet quatuor angulos, in quibus significantur illæ quatuor dimensiones supereminentis Charitatis Christi, de quibus Apostolus inquit. *Vt possitis comprehendere cum omnibus Sanctis quæ sit latitudo, & longitudo, quæ sublimitas & profundum*. Crux autem ante pectus designat id quod ait Apostolus. *Glorificate & portate Deum in Corpore vestro*. Porrò Pontifex hanc Crucem imponendo & sibi deponendo deosculatur, ad denotandum quòd Christi passionem, quæ per illam significatur, credit & confitetur, ad quam repræsentandam in officio Missæ se parat.

Tunicula & Dalmatica, quas Pontifex induitur (cum sint

etiam

etiam indumenta Diaconi & Subdiaconi vt supra dictum est) indicant Pontificem continere eminenter omnes gradus inferiores, proindeq; virtutes per talia indumenta significatas debere in ipsis Pontificibus duplicari. Habent tamen hæ duæ vestes manicas ampliores quàm vestes Ministrorum. i. Diaconi & Subdiaconi, vt per hoc moneantur Pastores. 1. quanta promptitudine vigilare debeãt & consulere necessitatibus Ecclesiarum, & Animarum sibi commissarum ad imitationem Apostoli, qui de se dicebat. *Præter illa, quæ extrinsecus sunt, instantia mea, quotidiana sollicitudo omniũ Ecclesiarum.* 2. quàm liberales esse debeant erga egenos; quia ex ore Domini habemus quòd *beatius est magis dare quàm accipere.*

Chirothecas accipit Pontifex post Tuniculas, eisque operit manus, vt intelligat Pastor eius Eleemosinas, cæteraq; iustitiæ, & pietatis opera per manus significata, non debere ad captandam auram, & famam sanctitatis dirigi; sic enim esset non Deo sed hominibus seruire: sed solummodo ad placendum ipsi Deo. Vnde idem Dominus monet fideles omnes dicens. *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coràm hominibus, vt videant opera vestra, alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum.* Et addit. *Neciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* Quæ monita intelligenda sunt, vt habeant locum & seruari debeant quotiescunq; non vrget obligatio proximum ædificandi atq; inflammandi ad rectam operationem; nam tunc monemur *vt luceat lux nostra coràm hominibus vt videant opera nostra bona & glorificent Patrem nostrum qui in Cælis est.* Et nihilominus etiam tunc intentio debet tẽdere ad solam Dei gloriam; animarumque salutem; non autem ad vanam gloriam aucupandam. Quemadmodum explicat *Magnus ille Gregorius Pontificum norma & exemplar.* [Compellor dicere, *inquit*, vt bona quæ agitis cum magna cautela teneatis, ne per hoc, quod à vobis rectè geritur fauor, aut gratia humana requiratur: ne appetitus laudis subrepat: & quod foris osten-

ostenditur intus à mercede euacuetur. Sic igitur opus fit in publico, vt tamen intentio maneat in occultò.] Et fortè hac de causa Chirothecæ Pontificis circumquaq; ornantur aureis ornamentis, nimirum vt Pastores intelligant debere suo bono exemplo omnibus splendorem & odorem afferre.

Mitra seu *Tiara*, seu *Infula* capiti Pontificis imponitur loco cidaræ antiquæ. Fuit etiam præscripta Pontificibus testamenti veteris à Deo, vt habetur in Exodo illis verbis. *Pones tiaram in capite eius*. Loquendo de Aaron. Et de alijs Sacerdotibus *Impones eis mitras*. Immo & ipsi Sacerdotes gentilium vsi sunt mitris præsertim quādo ipsorum falsis Dijs sacrificia immolabant vt colligitur *ex Socrate, Strabone, Apuleio & alijs*. Differt tamen Mitra Pontificum nostri temporis ab illis antiquis. Figura illius est omnibus nota. Mitra igitur scientiam vtriusq; testamenti designat. Duo namq; illius Cornua, duo sunt testamēta: cornu anterius nouū, posterius vetus; quæ duo Episcopus memoriter debet scire *cap. Episcopus. 24. q. 1.* & illis tanquā duplici cornu fidei inimicos ferire. Duæ verò fimbriæ posterius dependentes, spiritus & littera sunt: seu per duas fimbrias seu lingulas notatur, quòd paratus esse debet tàm in mystico, quàm in historico sacræ scripturæ intellectu; quæ super scapulas pendent ad notandum quòd id, quòd prædicat ore, ostendere debet opere; quia enim scapulis nulla pars altior est ad opus, siue ad onus ferendum; ideò rectè per eas opus intelligitur. Circulus aureus, qui posteriorem & anteriorem Mitræ partem complectitur, indicat quod omnis scriba doctus in regno cælorum, de thesauro suo noua & vetera proferre debet iuxtà illud dominicum apud Matt. 13. Caueat ergo diligenter Episcopus ne prius velit esse magister quam nouerit esse discipulus *cap. miserum dist.* 10. ne si cæcus cæcum duxerit, ambo in foueam cadant. Summus Pontifex Romanus præter Mitram (quæ vt illius decet Maiestatem, est auro argentoq; contexta,

ta,& lapidibus pretiosis ornata) in signum Imperij vtitur etiam Regno, ideſt Corona Imperiali. Sed Mitra ſemper vtitur & vbique. Regno vero nō ſemper nec vbiq; quia Pontificis authoritas & prior eſt & dignor, & diffuſior Imperiali poteſtate *vt inquit Innocentius 3.* Sacerdotium enim in populo Dei regnum præceſſit, cum Aaron primus Pontifex præceſſerit Saulem primum Regem, & Noè Nembroth; quia ſicut legitur principium Regni Nembroth extitit Babylonis. Noè verò ædificauit altare Domino, & holocauſta obtulit ſuper illud. Notandum quoq; quòd Pontifex non vtitur Regno niſi in certis diebus & locis, nunquam intra Eccleſiā, ſed extrà. Cur autē inter Pōtifices ſolus ſummus Pontifex Romanus vtatur Regno; non autem alij Epiſcopi? reddit rationem *idem Innocentius in ſermone quodam in ſua Conſecratione his verbis.* [Cæteri vocati ſunt in partem ſollicitudinis; ſolus autem Petrus aſſumptus eſt in plenitudinem poteſtatis: in ſignum ſpiritualium contulit mihi Mitram, in ſignū temporalium dedit mihi Coronam; Mitram pro Sacerdotio, Coronam pro Regno; illius me conſtituens Vicarium, qui habet in veſtimento & fæmore ſuo Rex Regum, & Dominus Dominantium, Sacerdos in æternum Secundum ordinem Melchiſedech.]

De Origine vſus Regni Pontificij varij varia ſenſere, quorum opiniones adducit *Pater Don Tobias Corona de ſacris templis par. 1. cap.* 55. Quidam referunt ad Hormiſdam Papam ex dono Clodouei Regis Frācorum; quidam ad ipſum Sanctum Syluestrū ex dono Cōſtantini Magni Imperatoris;

Anulus eſt Fidei ſacramentum, quo Chriſtus ſponſam ſuam Sanctam Eccleſiam ſubarrauit, vt ipſa de ſe dicere valeat. *Anulo ſuo ſubarrauit me Dominus meus Ieſus Chriſtus.* Cuius cuſtodes & pędagogi ſunt Epiſcopi & Prælati anulos pro ſigno in teſtimonium huius rei ferentes, de quibus ſponſa dicit in Canticis. *Inuenerunt me vigiles qui cuſtodiunt Ciuitatem.*

tem. Porrò anulus, præſertim ſi ſit aureus, plurimas habet ſignificationes. Primò enim ſignificat dignitatem & imperādi authoritatem. Vnde Pharao volens conſtituere Proregē totius Ægypti Ioſephum dedit ei anulum, quem ipſemet geſtabat. *Tulitq; anulum de manu ſua, & dedit eum in manus ſuas.* Veteres illi Romani Ciues omnes ex priuilegio ferebant anulos. Hinc Liuius narrat quòd poſt inſignem illam cladem Romani exercitus ad Cannes Anibal Victor mandauit diſpergi & diſſeminari in terram in veſtibulo Curiæ Carthaginenſis tres anulorum modios, vt inde pateſaceret numerum Ciuiū Romanorū, qui in illo prælio caſi fuerant. Secundò. Significat amorem amicitiæ promiſcuum, nec non cordis affectum. Idcirco datur ſponſis, & illis apponitur in digito penultimo ſiniſtræ manus; vnde extenditur neruulus quidam ſubtilis ſeu venula, ſeu arteria iuxtà diuerſas opiniones, & permeat vſq; ad Cor, vbi eſt ſedes amoris. Tertiò ſignificat fidem ſeu fidelitatem in ſeruandis promiſſis. Atq; ob eam cauſam Tamar nurus Iudæ filij Patriarchæ Iacob petijt ab eo & accepit anulum tanquam ſignum promiſſionis ſibi factæ. Igitur iuxtà prædictas ſignificationes Anulus qui datur Epiſcopis ſignificat Tum eorum authoritatem: Tum amorem, quo debent proſequi Eccleſiam ſibi deſponſatam, animaſq; ſibi commendatas: Tum fidelitatem in ſeruandis promiſſis præſtitis in aſſumptione ſui ſtatus, & conſecratione in Epiſcopū, quæ habētur in Pōtificali Romano.

Baculus Paſtoralis vt plurimum coopertus laminis argenteis, aut ſaltem deargentatus, ſic vocatur propter ſimilitudinem, quam gerit cum baculo, quem geſtat opilio pro regimine gregis ouium ſicut geſtabat Dauid, quo etiam fortiter aggreſſus fuit gigantem Goliat. Vſus huius baculi inſtitutus fuit, ad mentem Innocentij, ab ipſo Apoſtolorum Principe Petro, qui ſuum proprium baculum donauit Eucherio diſcipulo ſuo, quo Sanctus Maternus ſeu Martialis, qui Euche-

rio successit, mortuos suscitabat: & modò religiosè asseruatur in Cathedrali Treuirensi. Multas habet mysticas significationes. 1. namq; significat authoritatem spiritualem, limitatam tamen, & non absolutam; idcirco enim Summus Pontifex non gestat baculum, quia ipse habet potestatem absolutam nō receptam ab aliquo homine sed ab ipsomet Christo, cuius est in terris Vicarius; & ipse communicat alijs limitatam, iuxtà suum beneplacitum. 2. significat correctionem pastoralem, propter quod à Consecratore dicitur Consecrato. *Accipe baculum pastoralis officij, vt sis in corrigendis vitijs piè sæuiens iudicium sine ira tenens, in fouendis virtutibus auditorum animos demulcens, in tranquillitate seueritatis censuram non deserens*. Hæc pia & suauis Pastorum correctio innuitur ab Apostolo illis verbis. *Si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto vos qui spirituales estis instruite huiusmodi in spiritu lenitatis cōsiderans teipsum ne & tu tenteris*. Et *Sacra Tridentina Synodus sic ait*. [Sancta Synodus Episcopos admonendos censet vt se pastores non percussores esse meminerint, atque ita præesse subditis oportere, vt non in eis dominentur, sed illos tanquam filios & fratres diligant.] Quod idem commendat Sāctus Petrus dicens. *Non vt dominantes in cleris sed forma facti gregis ex animo*. 3. significat fulcimentum & substentationem. Vnde parentes Tobię iunioris vocabant eum baculum senectutis nostræ. Debent igitur Episcopi & Pastores Animarum portare & sustinere infirmitates subditorum, tàm animi quàm Corporis iuxtà monitum Apostoli. *Infirmum in fide assumite*. Et paulò post. *Debemus nos infirmiores imbecillitates infirmiorum sustinere*. Et scribens ad Thessalonicenses ait. *Corripite inquietos, consolanimi pusillanimes, suscipite infirmos*. Neque silentio prætereundum quòd baculus iste pastoralis est acutus in fine, rectus in medio, & retortus in summo: per hæc notatur quòd Pontifex debet pungere pigros, regere debiles sui rectitudine, & colligere vagos. *dist. 47. §. necesse*. Vnde Versus.

Col-

Collige, sustenta, stimula, vaga, morbida, lenta.

Qui versus reddendo singula singulis continet præmissa.

Pallium (quod Patriarcharum, Primatum, & Metropolitanorum est proprium & aliquorum Episcoporū ex speciali priuilegio Sedis Apostolicæ) est ad instar Zonæ cuiusdam aliquantulum latæ contextum ex lana candida Agnorum, signatum quatuor Crucibus coloris rubei, quarum duæ sunt suprà humeros, tertia ante pectus, quarta retro scapulas. Apponitur super humeros & præcingit collum tanquā torques, pendentibus ab eo duabus extremitatibus altera ante pectus, altera retro humeros. Antequam conferatur solet à Canonicis Sancti Petri Romæ imponi super Altare Sāctorum Apostolorum, vbi per noctem integram relinquitur. Vocatur autem *Pallium*, iuxtà mentem Isidori, quia antiquitus super imponebatur cuidam vesti pelliceæ, quasi dictum *Pellium*: Vel, ad mentem Baronij, quia ponitur suprà Casulam vocatam etiam à quibusdā Pallium. Vndecunq; tamen deriuetur hoc nomen, certum est quòd Pallium, de quo nobis est hic sermo, longè differt à quocunque alio vestimentorum genere quod tali nomine vulgariter appelletur.

Porrò vsus pallij est antiquissimus vt habetur ex Rituali Romano, & testantur *Sanctus Maximus, ac Eusebius Cesariensis*, qui existimat institutum fuisse à Sancto Lino Papa, qui immediatè successit Sancto Petro primo Christi in terris Vicario. Non confertur Pallium nisi à Summo Pontifice, vel ex eius mandato. Vnde solet transmitti. Et per Sacras Sanctiones concessum est Patriarchis, & Primatibus Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, Hierosolimitano, qui possunt etiam illud conferre Archiepiscopis, sibi subditis, *vt patet ex Concilio Lateranēsi*, modò tamen ipsi prius acceperint à Sancta Sede Apostolica Romana. Neq; conceditur nisi prius instanter petatur infrà tres menses à die cōsecrationis, præmissa professione fidei, & iuramento fidelitatis Sedi Apostolicæ,

rio successit, mortuos suscitabat: & modò religiosè asseruatur in Cathedrali Treuirensi. Multas habet mysticas significationes. 1. namq; significat authoritatem spiritualem, limitatam tamen, & non absolutam; idcirco enim Summus Pontifex non gestat baculum, quia ipse habet potestatem absolutam nō receptam ab aliquo homine sed ab ipsomet Christo, cuius est in terris Vicarius; & ipse communicat alijs limitatam, iuxtà suum beneplacitum. 2. significat correctionem pastoralem, propter quod à Consecratore dicitur Consecrato. *Accipe baculum pastoralis officij, vt sis in corrigendis vitijs piè sæuiens iudicium sine ira tenens, in fouendis virtutibus auditorum animos demulcens, in tranquillitate seueritatis censuram non deserens*. Hæc pia & suauis Pastorum correctio innuitur ab Apostolo illis verbis. *Si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto vos qui spirituales estis instruite huiusmodi in spiritu lenitatis cōsiderans teipsum ne & tu tenteris*. Et *Sacra Tridentina Synodus sic ait*. [Sancta Synodus Episcopos admonendos censet vt se pastores non percussores esse meminerint, atque ita præesse subditis oportere, vt non in eis dominentur, sed illos tanquam filios & fratres diligant.] Quod idem commendat Sāctus Petrus dicens. *Non vt dominantes in cleris sed forma facti gregis ex animo*. 3. significat fulcimentum & substentationem. Vnde parentes Tobię iunioris vocabant eum baculum senectutis nostræ. Debent igitur Episcopi & Pastores Animarum portare & sustinere infirmitates subdiorum, tàm animi quàm Corporis iuxtà monitum Apostoli. *Infirmum in fide assumite*. Et paulò post. *Debemus nos infirmiores imbecillitates infirmiorum sustinere*. Et scribens ad Thessalonicenses ait. *Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos*. Neque silentio prætereundum quòd baculus iste pastoralis est acutus in fine, rectus in medio, & retortus in summo: per hæc notatur quòd Pontifex debet pungere pigros, regere debiles sui rectitudine, & colligere vagos. *dist. 47. §. necesse*. Vnde Versus.

Col-

Collige, sustenta, stimula, vaga, morbida, lenta.

Qui versus reddendo singula singulis continet præmissa.

Pallium (quod Patriarcharum, Primatum, & Metropolitanorum est proprium & aliquorum Episcoporū ex speciali priuilegio Sedis Apostolicæ) est ad instar Zonæ cuiusdam aliquantulum latæ contextum ex lana candida Agnorum, signatum quatuor Crucibus coloris rubei, quarum duæ sunt suprà humeros, tertia ante pectus, quarta retro scapulas. Apponitur super humeros & præcingit collum tanquā torques, pendentibus ab eo duabus extremitatibus altera ante pectus, altera retro humeros. Antequam conferatur solet à Canonicis Sancti Petri Romæ imponi super Altare Sāctorum Apostolorum, vbi per noctem integram relinquitur. Vocatur autem *Pallium*, iuxtà mentem Isidori, quia antiquitus super imponebatur cuidam vesti pelliceæ, quasi dictum *Pellium*: Vel, ad mentem Baronij, quia ponitur suprà Casulam vocatam etiam à quibusdā Pallium. Vndecunq; tamen deriuetur hoc nomen, certum est quòd Pallium, de quo nobis est hic sermo, longè differt à quocunque alio vestimentorum genere, quod tali nomine vulgariter appelletur.

Porrò vsus pallij est antiquissimus vt habetur ex Rituali Romano, & testantur *Sanctus Maximus, ac Eusebius Cesariensis*, qui existimat institutum fuisse à Sancto Lino Papa, qui immediatè successit Sancto Petro primo Christi in terris Vicario. Non confertur Pallium nisi à Summo Pontifice, vel ex eius mandato. Vnde solet transmitti. Et per Sacras Sanctiones concessum est Patriarchis, & Primatibus Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, Hierosolimitano, qui possunt etiam illud conferre Archiepiscopis, sibi subditis, *vt patet ex Concilio Lateranēsi*, modò tamen ipsi prius acceperint à Sancta Sede Apostolica Romana. Neq; conceditur nisi prius instanter petatur infrà tres menses à die cōsecrationis, præmissa professione fidei, & iuramento fidelitatis Sedi Apostolicæ,

licæ, vt ſtatuit Papa Pelagius. Sine Pallio, *ſtatuit Innocentius* 3. non poſſe Patriarchas, nec Archiepiſcopos congregare Cõcilia Prouincialia, nec minus exercere ordinem Archiepiſcopalem, immo per d. Innocentium, nec vocari Archiepiſcopum, qui rationem aſſignat; quia per Pallium confertur plenitudo Authoritatis Epiſcopalis ſimul cum nomine. Sic enim inquit. [Non deberet ſe Archiepiſcopum appellare priuſquàm à nobis Pallium ſuſcepiſſet, in quo pontificalis officij plenitudo cum Archiepiſcopalis nominis appellatione confertur.] Quod intelligitur etiam quando quis tranſitum facit ab vna ad aliam Eccleſiam, quamuis antea habuiſſet pro Eccleſia, à qua transfertur.

Quoad vſum illius. Non poteſt quiſquam alius illo vti, niſi is cui conceſſum eſt. Quapropter non poteſt alteri Pontifici ad vſum commodari, neq; relinqui ſucceſſori; ſed defuncta perſona cui conceſſum fuit, ceſſat vſus illius & debet ſepeliri cum ipſa perſona; vt aſſerunt Doctores, & præſertim Sanctus Gregorius. Quod adnotauit etiam Baronius.

Quoad Tempus, & quoad functiones, in quibus adhibetur. Solummodo in Miſſis ſolemnibus, & in functionibus, quæ intrà Miſſarum ſolemnia habentur, quales ſunt conferre ordines ſacros, conſecrare Epiſcopos & ſimilia. Item in omnibus alijs diebus & actionibus, quæ in Pontificali Romano præſcribuntur. Sacri Canones prohibent vſum pallij extrà territoriũ & Diæceſim Pontificis, qui illo vtitur, quod præcisè mandat Clemens 3. niſi quis nitatur aliquo priuilegio vel licentia Prælati, in cuius territorio exiſtit. Summus autem Pontifex, quia habet vniuerſum orbem pro territorio, vbiq; & ſemper pallio vtitur abſq; vlla limitatione loci, & temporis.

Ex dictis colligunt Doctores Pallium ſignum eſſe Eminentiæ Sacerdotalis, ſuperioritatis ſuper alios, prærogatiuæ & honoris excellentioris in Eccleſia Sancta Catholica:

qua-

quapropter conferri solet adiunctis specialibus priuilegijs. Vnde S. Gregorius, inquit. [Rationalis ordo nos admonet cum vsu pallij aliqua simul largiri priuilegia.] Verum quidem est quòd monet ipsum habẽtem debere quoq; virtutibus excellentioribus super alios præ fulgere. Hinc idem Gregorius scribens Siagrio Augustodonensi Archiepiscopo & mittens illi pallium sic ait. [Cum honoris augmento, cura quoq; sollicitudinis debet crescere, vt cultui vestium, actionis quoq; ornamenta conueniant: oportet vt enixè in cunctis & studijs paternitas vestra se exerceat; & circa subiectorum actus sit cura vigilans & vestrum illis exemplum instructio, & vita magistra sit.]

Innocentius explicat moraliter partes, & conditiones Pallij hoc modo videlicet.

Textura illius è lana ferè cruda monet zelum & seueritatem Prælati in profligandis vitijs & peccatis à suo grege. Vnde conqueritur Deus per Ezechielem de illis Pastoribus qui intendentes solùm ad lucra temporalia, ad redditus, ad prouentus, ad munera & donaria (quod est vestiri lana gregis) nulla de cætero sollicitudine tenentur de subditorum, ouiumq; commodis ac profectu sinentes illas præcipites ferri quocunq; sensus, caro, mundus, Diabolusq; perurgent. *lac*, inquit, *comedebatis, & lanis operiebamini, & quod ægrotum erat non sanastis, & quod perierat non quæsitis; propterea dispersæ sunt oues meæ, & factæ sunt in deuorationem omnium bestiarum.* Verùm quia lana est etiam mollis, & tractabilis, per hoc denotatur debere Prælatos seueritatem correctionis temperare mansuetudine & lenitate verborum, iuxtà monitum Apostoli. *Oportet Episcopum esse non iracundum, non percussorem, sed benignum &c.*

Quatuor Cruces pallij in varijs illius partibus collocatæ indicant Tum labores assiduasq; curas, quas secum onus pastorale defert; iuxtà illud Apostoli. *In omnibus labora*: Tum

qua-

quatuor virtutes Cardinales, quibus ornatus Pontifex esse debet; habendo Iustitiam ante pectus, & ante oculos reddẽdo cuiq; quod suum est, *Ante ubi faciem tuam Iustitia tua*. Prudentiam verò vt custodiat oues contrà emergẽtes insidias & aggressiones. *Prudentia seruabit te*. Temperantiam super humerum dexterum; quia necessaria est maximè in prosperitate per dexterã significata sic Dauid. *Delectationes in dextera tua*. Fortitudinem super humerum sinistrum; quia necessaria est in aduersitate, & tribulationibus significatis per sinistram. Vnde Paulus ad Corintios. *Per arma Virtutis Dei à dextris & à sinistris*. Hæ quatuor Virtutes excellentius fulgere debent in Prælatis.

Partes illæ duæ, quæ pendent Altera ante pectus, Altera post humeros, denotant duas illas Vitas nempe Actiuam & Contemplatiuam, in quibus frequentius, & feruentius debent sese exercere Sanctæ Ecclesiæ Prçsules, vt legitur de Moyse, qui aliquando fruebatur Deo in monte, aliquando descendens vacabat regimini populi sibi commissi. Has duas vitas vult Sanctus Augustinus esse figuratas in illis duabus sanctissimis sororibus Marta, & Maria Christi discipulis, itaut Vita actiua sit expressa in Marta, Contemplatiua verò per Mariam. Et quia Actiua continet multas curas; Contemplatiua verò vnum tantum intendit, nempe vacare Deo, propter quod Dominus dixit Martæ. *Marta Marta sollicita es & turbaris erga plurima; porro vnum est necessarium*: Hinc est quòd Pallium duplicatur in sinistra non autem in dextera. Quia tamen vtriusq; vitç operationes sunt Deo gratæ in suis seruis; ideò canit Ecclesia dicens. *Laua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*.

Tres illæ spillulæ, quibus quodammodo figitur pallium suprà Præsulem, scilicet ante, retrò, suprà, significant tres assiduas cogitationes, quæ illius cordi esse debent infixæ, nempe Prima dolorosa de miserijs & ærumnis tum corporalibus

tum

tum spiritualibus suarum ouium compatiens illis ex corde; & dicens cum Apostolo. *Quis infirmatur & ego non infirmor?* Altera laboriosa de subleuandis necessitatibus sui gregis, de qua loquitur Apostolus illis verbis. *Instantia mea quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum*; & ad quam idemmet Apostolus hortatur Pastores dum dicit. *Qui praest in sollicitudine*. Tertia anxiosa de futuro iudicio, de stricta supremo Iudici ratione reddenda non solùm de proprijs, sed eorum quoque actionibus, qui suæ fuerunt custodiæ commendati; dicit enim Spiritus Sanctus. *Horrendè & citò apparebit vobis; quoniam iudicium durissimum his qui præsunt fiet*. Et ipse Dominus per Ezechielem. *Ecce ego ipse super Pastores requiram gregem meum de manu eorum*. Et hæc breuiter sint dicta de Pallio Archiepiscopali.

Faldistorium est sedes quædam portatilis & amouibilis, in qua sedent Episcopi dum exercent pōtificalia; conficitur ex qualibet materia, & etiam ex ligno: in Ecclesijs tamen insignioribus solet laminis aureis vel argenteis contegi aut saltem deaurari aut deargentari. Figura est veluti quadrata absque reclinatorio à tergo, talisq; altitudinis vt commodè in ea fiat sessio; quatuor distincta angulis eminentibus ita vt pertingant ad brachia; in quorum extremitatibus sunt quædam pilæ orbiculatæ, vel capita leunculorum, vt *mandat Sanctus Carolus in suppellectili Ecclesiastica*.

Vnde colligitur quòd Faldistorium repræsentat solium reale Salomonis; & consequenter significat authoritatem, & excellentem dignitatē, quæ residet in Episcopis, alijsq; maioribus Sacerdotibus nouæ legis. *Ita S. Hieronymus & Sanctus Epiphanius*. Item denotat authoritatem iudicandi, iuxtà illud *Sedebitis super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel*. Et leunculi illi in extremitatibus angulorum admonent fortitudinem & robur Iustitiæ cum rectitudine Iudicij. Vnde Dauid. *Iustitia & Iudicium præparatio Sedis tuæ*. Quemadmodum

illæ pilæ orbiculatæ æquitatem & exclusionem cuiuscunque inordinatæ affectionis, & acceptionis personarum; sic Deus expresse mandat in Leuitico. *Non facies quid iniquum nec iniuste iudicabis, non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis; iuste iudica proximo tuo.*

Puluinar, quod suprà Faldistorium apponitur ad sedendum, cum significet quietem, suauitatem, & mollitiem in sedendo, admonet Pastores tum deuotionem, religionem, & suauitatem spiritus in tractandis sacrosanctis illis mysterijs: tum lenitatem & benignitatem in erudiendis fidelibus, in præbendis suo gregi spiritualibus adiumentis præsertim Diuini verbi prædicatione ad lucrandas animas Domino Iesu Christo: quia vt dicit Sapiens *Eloquium dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos.*

Gremiale, quo vtuntur Episcopi ad aperiendum sinum quando tractant oleum sacrum & Crisma præsertim in conferendis sacramentis Confirmationis, & ordinis sacri; significat munditiam corporis & cordis ne terrenis & mundanis actibus & affectibus inquinentur: nam immunditia præsertim in Pastoribus valdè displicet Deo. Vnde per Ezechielem dicitur. *Immunditia tua execrabilis.* Ideò nos hortatur Apostolus dicens. *Emundemus nos ab omni inquinamento Carnis & spiritus*. Item notat custodiam Cordis iuxtà consilium Sapientis, *omni custodia serua cor tuum, quia ex ipso vita procedit*. Simulq; etiam custodiam oris, quam seruabat ille vir secũdum Cor Dei; Vnde & dicebat. *Dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea.* Quæ sanè cordis & oris custodia multò magis seruari debet in cultus diuini exercitio ab ijs præcipuè qui immediatius & principalius curã habent illius, quales sunt omnes Episcopi cæteriq; primarij Sacerdotes.

Pluuiale Episcopale repræsentat superhumerale Aaronicum, de quo dicitur in Exodo. *Fecit igitur superhumerale de auro, Hyacinto, purpura, coccoq; bis tincto, & bisso retorta*. longitudo eius

eius vsque ad talos circiter, & magnifica amplitudo cum supercapitio quod pendet ab humeris, repræsentat vestem illam Coloris Hyacintini à Deo præscriptam cum alijs etiam in Exodo. *Fecerunt quoq; tunicam totam Hyacintinam & capuium in superiori parte, oramq; per girum capiti, textilem:* deorsum autem ad pedes mala punica ex Hyacinto, purpura, vermiculo, ac bisso retorta, & tintinnabula de auro purissimo. Quæ tintinnabula denotantur per flosculos appensos ad caputium pluuialis. Vnde quatenus Pluuiale cum suis conditionibus repræsentat illa indumenta Summi Sacerdotis legalis, sic etiam exprimit illorum significationes.

Inquantum igitur Pluuiale simile est Vesti hyacintinæ admonet eos qui illud gestant, & præcipuè Episcopos de doctrinæ excellentia, quæ in ipsis requiritur iuncta cum studio aliarum virtutum, quæ in eisdem prælucere debent; sunt enim virtutes ornamenta illa pulcherrima, quæ tùm in pluuiali, tùm in illa hyacintina veste erunt. Sic *Diuus Hieronymus.* [In tunica, *inquit,* hyacintina, tanta debet esse Pontificis scientia, vt quicquid agit, quicquid loquitur, doctrina sit, nec sine tintinnabulis coloribus diuersis, gemmis floribus virtutum, nec in Ecclesiam ingrediatur, nec Pontifex est.] Vnde Diuus Paulus. *Oportet Episcopum irreprahensibilem esse.*

Inquantum est simile superhumerali, ad mentem *eiusdem Sancti Hieronymi* admonet gestantem de obseruantia legis diuinæ, vt ostendatur prius esse complendum operibus quicquid verbis prædicatur in populis: quemadmodum superhumerale erat suprà rationale. Sic .n. *S. Hieronymus.* [Ante superhumerale post rationale prius facimus postea docemus, ne doctrina cassis operibus destruatur. Sic de Christo Domino Nostro scribit S. Lucas quòd cæpit prius facere postea docere. Immo adimplēdo legem illuminamur, & maiorē cognitionem acquirimus. Ita de se testatur Propheta dicens.

A mandatis tuis intellexi.]

Nomen ipsum pluuialis non vacat mysterio; quia quemadmodum pluuiæ, vt scribunt *Sanctus ambrosius & Arnobius*, significant passiones & dolores Christi Domini simul cum persecutionibus Sanctæ Ecclesiæ, quæ accepto eorum fine canit. *Iam hiems transijt imber abijt & recessit.* Sic pluuiale connotat tolerantiam laborum, tribulationum, & ærumnarum, quæ tolerantia ad instar cuiusdam pallij & operimenti defendit nos ab ingruentibus imbribus & tempestatibus, idest à tentationibus, quas in nos excitant Mundus, Caro Diabolus. Hinc Apostolus hortatur nos Christi ministros dicens. *In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in seditionibus, in laboribus, in vigilijs &c.*

Nec vacat mysterio illa grauis & maiestatis plena gestatio dicti pluuialis: significat enim per hoc eminentem & supremam auctoritatem Sacerdotalem à Christo Domino suis in terris collata ministris: nam hoc planè sublimi titulo Sacerdotij Regalis appellat Apostolorum Princeps Petrus Christi ministros dicens. *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium.*

Flosculi serici pendentes à tergo Pluuialis per Caputium denotant, vt dictum est, tintinnabula, quæ pendebant in extremitate Vestis summi Sacerdotis, & ad hoc instituta erant, vt excitarent populum ad ingressum Sacerdotis, & ad deuotè recolēda Sacrosancta mysteria. Vnde Ecclesiasticus loquens de Aaron, dicit. *Cinxit eum tintinnabulis aureis plurimis in gyro dare sonitum in incessu suo, audire facere sonitum in téplo in memoriam filijs gentis suæ.* Quapropter indicant prædicationem Euangelicam. Et per hoc quòd extant in extremitate Vestis in memoriā reuocant nouissima nempe Mortem, Iudicium, Infernum, & Paradisum; ad quæ omnis nostra Vita, & operatio terminum dicit: Quæ quia incerta sunt

sunt quoad tempus illorum; ideo Dominus monet esse vigilandum dicens. *Vigilate quia nescitis, diem neq; horam.* Et Diuus Paulus. *Vigilate & state in fide.* Hoc idem, quod sunt in extremitate vestis monent Sacerdotes, iuxtà Hieronymum, Augustinum & alios, vt semper proficiant in operibus pietatis, & religionis, & in meritis crescant vsq; ad terminum Vitæ. Sic Apostolus hortabatur Timotheum illis verbis. *Tu verò vigilia in omnibus labora &c.* Et Ecclesiasticus. *Quodcunq; facere potest manus tua instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec scientia erunt apud inferos.* Quod sanctarum operationum & meritorum augmentum satis exprimit illa copia filorũ sericorum conglobata, qua illi flosculi conficiuntur.

Conclusio circa indumenta Ecclesiastica.

PRo Conclusione omnium, quæ de sacris indumentis hucusq; diximus, in memoriam lectori reuocare visum est id quod à sacris ritibus & Cæremonijs Ecclesiasticis sãcitũ est iuxtà rubridas Missalis Romani approbatas à Sũmis Pontificibus Pio. 5. & Clemente. 8. & Vrbano. 8. Videlicet quod sub indumentis Sacerdotalibus debet Minister & Sacerdos, quicunq; ille sit, deferre habitum iuxtà communem Ecclesiasticorum consuetudinem, & iuxtà statum & conditionem cuiusq; siue sit simplex Clericus, siue Sacerdos, siue Prælatus. Quod præcipuè obseruare debent quando induũtur ad celebrandum Sacrosanctum Missæ Sacrificium: itaut vestis clericalis exterior sit talaris .i. sit longa vsq; ad talos, cum calceis aut crepidis mundis. Hinc adnotarunt *Alcuinus & Amalarius* olim Sacerdotes & Diaconos, quando eorum officijs in Ecclesijs fungebãtur, solitos fuisse vti calceis quibusdam peculiaribus distinctis à calceis Episcoporum, qui deinde prohibiti fuerunt *à Concilio Niceno, & à Sancto Gregorio Papa.* Præsules addunt Roccettum, seu superpelliceum.

Ver-

Verba Rubricæ sunt talia. *Quibus ita dispositis* (loquens de præparatione) *accedit ad paramenta calceatis pedibus, & indutus vestibus sibi conuenientibus, quarum exterior saltem talum pedis attingat; Si sit Prælatus Secularis suprà Roccettum; si sit Prælatus Regularis vel alius Sacerdos Secularis suprà pelliceum si commodè haberi possit allioquin sine eo suprà vestes communes.* Cui præscripto adstipulatur vsus & consuetudo communis.

Zaccarias Papa in quodam Concilio Romano prohibuit Sacerdotes celebrare capite tecto, ac Diaconos eodem modo adstare Sacrosancto Missæ sacrificio. *Nullus*, inquit, *Episcopus Presbyter, aut Diaconus ad solemnia Missarum celebranda præsumat cum baculo introire, aut velato Capite altario Dei introire; quoniam & Apostolus prohibet viros velato capite orare in Ecclesia.* Et pænam addidit dicens. *Et qui temerè præsumpserit, communione priuetur.* Quamobrem nemo audere debet absq; dispēsatione Pontificia celebrare illo pileolo tectus, qui adhiberi solet sub pileo seu sub birreto.

CAPVT VIII.

De Sacris Reliquijs, & Imaginibus; necnon de Campanis, Organis, cantuq; Ecclesiastico.

HVcusq; egimus de Rebus Ecclesiasticis, quæ tum immediatè, tum mediatè referuntur ad Sacrosanctum Missæ Sacrificium, nunc de ijs, quæ remotè ad idem ordinantur quatenus deseruiunt Vel ad excitandam maiorem in populis deuotionem; Vel ad conuocandum & congregandum Fideles in Templis. Huiusmodi ferè sunt sequentes, nempe *Sacræ Reliquiæ, Sacræ Imagines, Campanæ, organa, omnisq; cantus Ecclesiasticus.* De quibus omnibus in sequentibus.

§. I.

§. 1. *De Sacris Reliquijs, earumq; veneratione.*

NOmine Reliquiarum sacrarum intelligimus Sāctorum Cæli ciuium corpora, quaslibet itidem eorumdem corporum particulas, capillos, ossa, carnes, dentes, cineres, pulueres. Item vestes, vela, pannos & cætera quæ ad eorum ossa, aut corpora admouentur, vel quæ ipsos tetigerunt, vel ad ipsos aliqualiter pertinent.

Non est genus superstitionis venerari Sāctorū reliquias, vt infælices hęretici oblatrant, sed est valdè pium & religiosum opus. *Sacra Tridentina Synodus sess. 25. de inuoc. & venerat. Sanct.* hanc venerationem fidelibus commendando, & contrariam hæresim detestādo, *sic ait.* [Sanctorum quoq; Martyrum, & aliorum cum Christo viuentium Sancta Corpora, quæ viua membra fuerunt Christi, & templum Spiritus Sancti, ab ipso ad æternam vitam suscitanda, & glorificanda à fidelibus veneranda esse; per quæ multa beneficia à Deo hominibus præstantur: itaut affirmantes Sanctorum Reliquijs venerationem, atq; honorem non deberi; vel eas, aliaq; sacra monumenta à fidelibus inutiliter honorari; atq; eorum opis impetrandæ causa Sanctorum memorias frustrà frequētari, omnino damnandos esse prout eos iampridem damnauit, & nunc etiam damnat Ecclesia.] *Ita Sac. Conc. Trid.* Et quidem sanctissimè & sapientissimè, nam ex multis sacræ scripturę locis colligitur Sacras Sanctorum Reliquias honorandas esse. In 4. Reg. 13. habetur, quòd cadauer hominis cuiusdam, quod fortè illatum in sepulchrum Hælisei fuerat, eius tacto corpore subitò reuixit. In libro Ecclesiast. 49. legimus sic. *Duodecim Prophetarum ossa pullulent de loco suo, nam corroborauerunt Iacob, & redemerūt se in fide virtutis.* Et postea de Ioseph dicitur. *Ossa ipsius visitata sunt, & post mortem prophetauerūt.* Et in Actis Apostolorum 5. legimus sic. *Ita vt in plateas eijcerent*

rent infirmos, & ponerent eos in lectulis ac grabatis vt veniente Petro saltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis. Idem de Paulo Act. 19. sic: *Virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli; ita vt etiam super languidos deferrentur à Corpore eius Sudaria, & semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur.* Si igitur Vestes, sudaria, semicinctia: si vmbra Sanctorum hominum priusquam è vita migrarent morbos depulerũt, viresq; amissas languentibus restituerunt: Ecquis negare audeat cæteras Sanctorum Reliquias eadem mirabilia efficere?

Nec obstat id, quod inter multa cauillosè, malitiosè & falsò obijciunt hæretici; nimirum quòd magna Reliquiarum pars supposititia sit. Et quod non rarò contingat, vt pro Reliquijs Sanctorum ossa latronum, ac perditorum hominum, vel etiam animalium rationis expertium colantur. Ad quod adstruendum adducunt pro se *Sanctum Augustinum lib. de oper. Monac. cap.* 28. qui cum dixisset ibi quosdã Monacos corpora, vel ossa Martyrum circumferre & venditare, subiun- *Si tamen Martyrum.* Pariter quod *S. Martinus, teste Seuero in eius vita*, altare quod in honorem Martyris extructum fuerat, cum ossa & reliquias cuiusdam latronis esse deprehendisset, submoueri iussit.

Quia respondetur falsum esse adulterinas & supposititias Reliquias pro veris & legitimis honorari & coli in Ecclesia Dei. Fatemur quidem nos id, quod ex Augustino, & Seuero in vita Sancti Martini traditur aliquando contingere, vt pro Sanctorum Reliquijs ossa, vel corpora impiorum, & perditorum hominum habeantur, & honorentur; sed id locum habere dicimus cum Reliquiæ priuata, non publica auctoritate exponuntur. Augustinus vero loco citato cum ait esse Monacos quosdam, qui huc & illuc vagantur circumeuntes prouincias &c. solùm loquitur de ijs Reliquijs, quas priuatim multi exhibebant, non de ijs, quæ publica auctoritate

Ro-

Romani Pontificis, vel Episcopi exponuntur in Ecclesia ad earum venerationem & cultum.

Consequenter omni superstitione caret ille Ecclesiæ ritus accendendi cereos aut lampades ad sepulchra Sanctorum; Tum quia mos est antiquissimus in Ecclesia receptus, vt manifestum est ex *S. Augustino. 8. de ciuit cap. vlt. Et lib. 6. Confess. cap. 2. S. Hieronymo. epist. ad Riparium S. Gregorio, lib. 3. Dialog. cap. 24. alijsq; Autharibus*: Tum quia id fit ad significandum lumine fidei illustratos sanctos decessisse; & modò insuperna patria gloriæ lumine splendere: Et vt nos item perfusi lumine diuino delectemur, & nostri animi lætitiam significemus. Et si obijciatur *in Concilio Elibertino can. 34.* esse tale decretum. [Cereos per diem placuit in Cæmeterio non incendi. Inquietandi enim Sanctorum spiritus non sunt. Qui hoc non obseruauerint, arceantur ab Ecclesiæ communione.] Respondetur Elibertinam Synodum prohibere quo minus cerei accendantur, videlicet ritu & more gentilium, qui putabant defunctorum corpora aliquid sentire, & clausa in tenebris, & sepulchris illuminari; Et cum dicit inquietandi enim Spiritus Sanctorum non sunt, perinde est ac si diceret, sanctos ipsos vita functos gratum & acceptum non habere eiusmodi superstitiosum ritum ex gentilium errore profectum: Vel Sanctos Spiritus videlicet fidelium hominum adhuc in terris viuentiũ inquietari, hoc est perturbari.

Minus superstitionis habet is fidelium ritus & mos, quo Sanctorum Reliquias collo dependentes deferunt; dummodo tamen honorificè, & piè ac religiosè deferantur. Ita *Diuus Thomas. 2. 2. q. 96. a. 4. ad 3.* cum frequentiori Doctorum calculo. Vnde ex historijs constat viros aliquos sanctos eas portare consueuisse. Et si obijciatur *in. 3. Conc. Bracharensi cap. 5.* hoc fuisse prohibitum. Respondetur ibi solum reprehendi Episcopos illos, qui in celebritatibus Martyrũ Reliquias ad collũ ligabant, & sinebant se in sellulis à Dia-

conis portari. Si aliquis quærat. An qui eas deferendo aliquod peccatum comittit, grauius peccet quàm si non deferret? Respondetur si peccando quippiã cõtrà honorẽ eis debitum admiserit, grauius profectò peccare, at si eas deferẽdo peieret, mentiatur, furetur, detrahat alteri, aut quid aliud simile peccet, non ob id grauiori se scelere obstringi.

Cæterum de Modo, quo Sanctorum Reliquiæ recondi, exponi, & populo fideli ad venerationem & cultum exhiberi, transferri, & asseruari debeant hæc in Iure Canonico reperiuntur sancita. Nimirum Eas in primis asseruari debere in loco honestissimo, in nitidis & decoris vasculis; loculis item honorificis, capsulis & arcis. Secundò Non licere alicuius Reliquias venerari tanquam sancti absq; auctoritate Romanæ Ecclesiæ. Tertiò Antiquas Reliquias extra capsam nullatenus esse ostendendas: Neq; exponendas venales, hoc est Ne precio aliquo vendãtur cum sint res sacrę nec quæstus gratia ad venerationem exponi. Quartò Nouas seu recenter inuentas Reliquias non esse venerandas nisi prius auctoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ. (Intellige quando Reliquiæ sunt nouæ & exponuntur publicè; & quando proponuntur tanquam sancti alicuius. Tunc enim requiritur auctoritas Romani Pontificijs; qui nullus tanquam sanctus publicè coli potest nisi in Sanctorum numerũ sit relatus: at verò solius Romani Pontificis est aliquẽ in Sãctorũ numerum referre. Reliquias tamen antiquas alicuius sancti venerari licet etiã publicè; prius tamen eas recognoscẽre & approbãte Episcopo. Similiter] priuatim potest quis aliquem piè venerari pro sancto etiam Sanctorum numero nondum adscriptum, & proinde aliquid, ipsius tanquam Reliquias honorare & colere. Si roges quid si vir pius & religiosus fide dignus mihi tradiderit Reliquias alicuius sancti, licebit ne mihi eas pro Reliquijs venerari? Respondeo priuatim id licere quia tãto viro fides est adhibenda: at vero

ro publicè nequeunt exponi, nisi prius eas recognouerit, & approbauerit Episcopus.

Itaq; oportet, vt dixi, Reliquias Sanctorum in locis honestissimis; ac decoris vasculis aut capsulis recondere & asseruare. Quando ostenduntur populo lumina accendi debent. Non sunt temerè omnium oculis exponendæ: nec ex loculis & receptaculis, vbi conditæ sunt educendæ, nec per laicos etiam cuiusuis ordinis, & dignitatis vllo modo tractādæ, nec eorum manibus tangendæ, attrectandæue. Nam, *teste Gregorio Magno libro. 3. Epist. 30.* hoc sacrilegium est, ac minus propterea ferendum. Nec debent Reliquiæ in Ecclesia reconditæ, è loco vbi asseruantur, ad ægrotos vllo modo sine iusta causa exportari. Multò magis sacrilegium erit aliquid furtim de Reliquijs ex loco publico & sacro extrahere, sibi sumere, aut aliò transferre: immò extrahentes Reliquias ex cæmeterijs Romæ existentibus, alijsq; locis sacris ibidem absq; legitima facultate incidunt in excommunicationem.

Et quidem iure optimo talis cultus & veneratio Reliquijs Sanctorum debetur; Etenim, vt inquit *Auctor de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 3.* Sancti fuerunt templa Spiritus Sancti iuxtà illud Apostoli *Membra vestra Templum sunt Spiritus Sancti. Diuus Hyeronymus ad Ripar.* aliam addit rationem; quia honor Sanctis exhibitus redundat in Deum [Honoramus, *inquit*, Reliquias Martyrum vt eum, cuius sunt Martyres, adoremus: Honoremus seruos, vt honor seruorum redundet in Dominum.] *S. Ambrosius ser. 92.* [Honoro ergo in Carne Martyris exceptas pro Christo cicatrices; honoro perennitatem virtutis; honoro per Confessionem Domini sacratos cineres; honoro corpus, quod me propter Dominum docuit mortem non timere.] *S. Ioannes Chrysostomus orat. 55. Iuuen. & Max.* addit, quia gratias & benedictiones inde consequimur. *Sic enim inquit.* [Sanctorum tumulos adoremus, magna fide contingamus, vt benedictiones consequamur; etenim quæ volūt, apud

Cælorum Regem impetrare possunt, proinde magna promptitudine huc veniamus, quò inde varios thesauros vndequaque colligamus.] Addit quoq; *S. Basilius Hom. 40. in Matt.* hanc rationem quia sunt turres Ciuitatum.] Hi sunt, *inquit*, quasi quædam turres contrà aduersariorum incursus. Veneremur igitur pio cordis affectu, & dignè colamus Sanctorum Reliquias; sed quod caput est studeamus illorum exempla sectari; sunt enim nobis propositi ad imitationem.] Atq; vt egregiè ait *Beatus Augustinus ser. 47. de Sanctis*, ab eis Sanctorum Martyrum in veritate festiua gaudia celebrantur, qui ipsorum Martyrum exempla sequuntur. Solemnitates enim Martyrum exhortationes Martyriorum sunt, vt imitari non pigeat quod celebrare delectat. Sic igitur Sanctis intercedentibus expectemus à Domino consequi temporalia beneficia, vt ipsos imitando accipere quoq; mereamur æterna.

§. 2. *De Sacris Imaginibus, ac Cruce Domini Nostri Iesu Christi earumq; Cultu & Veneratione.*

QVuatuor breuiter videnda de Sacris Imaginibus. 1. De pio illarum cultu & veneratione. 2. Quàm antiquus & laudabilis sit vsus Sacrarum Imaginum & Crucis Domini Nostri in Templis. 3. Quales huiusmodi Imagines esse debeant. 4. De Vtilitatibus ex hac Veneratione consequentibus.

Quantum igitur ad Primum de Sacrarum Imaginum & Sanctissimæ Crucis veneratione. Veritas est Catholica de Fide definita contrà antiquos, & modernos nostri temporis Hæreticos, sacras videlicet Imagines esse venerandas. *Ita 7. Sin. Gen. his verbis*. [Omnes sic credimus, omnes idem sapimus, omnes approbantes subscripsimus. Hæc est Fides Catholica; hæc est Fides Orthodoxa, Credimus in Vnum Deum in Trinitate laudatum; & venerandas Imagines amplectimur.

mur. Qui secus agunt, anathemate percelluntur.] Et ratio venerandi Imagines est; quia in ipsis colitur & honoratur prototypum, seu exemplar Cuius est Imago; vt benè *definit Sac. Concilium Tridentinum sess. 25. his verb is.* [Imagines porrò Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum in templis præsertim habendas & retinendas eisq; delitum honorem & venerationem impertiendam; non quod credatur inesse aliqua in ijs diuinitas, vel virtus præterquam sint colendæ; vel quod ab eis sit aliquid petendum; vel quod fiducia in Imaginibus sit figenda; veluti olim fiebat à Gentibus, quæ in Idolis spem suam collocabant; sed quoniā honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ ab illis repræsentātur; itaut per imagines, quas osculamur, coràm quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus; & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur.] *Ita Tridentinum.* Non est igitur Idololatria venerari Imagines, vt Hæretici falsò calumniantur; Quod tunc quidem esset si eas veneraremur tanquam Deos; itaut veneratio in ipsas terminaretur; sed nostra veneratio per Imaginem transit in Rem repræsentatam & in exemplar, & in illud terminat. Quod etiam egregiè affirmauit *Sanctus Athanasius his verbis,* Non adoramus Christi Imagines tanquam Deos vt Gentiles; affectum tantum nostrum & studium Charitatis nostræ erga signum Personæ expressè declaramus. Quò fit vt sæpè lignum quod erat prius Imago, si figura deleta sit, tanquam inutile comburamus.

Hinc fit vt qualis Cultus debetur prototypo seu exemplari, talis etiam debeatur Imagini, nempe cultus Vel latriæ; Vel Hiperduliæ; Vel Duliæ. Vnde quia Cultus latriæ debetur Deo; & Christus est Deus; ideò Imaginibus Christi; & etiam Cruci ipsius cuiuslibet materiæ quæ est etiam Imago & signum ipsius debetur veneratio latriæ. Imaginibus Deiparæ Virginis veneratio Hyperduliæ, & Imaginibus Sanctorum Duliæ: Quæres An quemadmodum Crux cuiuslibet materiæ

cul-

cultu latriæ digna est, sic etiam claui, lancea, flagella spongia, & Corona spinea ex alia qualibet materia confecta, cultu pariter latriæ coli debeant? Respondeo *cum Sancto Thoma 3.p.q.25.art.4.* Crucem ex qualibet materia constantem coli debere latria; quia eo cultu non solùm Crux in qua Christus perpendit, digna est eò quod Christum tetigerit; sed etiam quatenus Crux est; hoc est signum & imago Christi in Cruce pendentis: at verò cætera Dominicæ passionis instrumenta solùm cultum latriæ merentur; quia Christi Corpus tetigerunt; quarè si in alia materia cõsistant cultu latriæ coli non debent quia non sunt signa & Imagines quæ Christum referant & repræsentent: sed sunt similitudines eorũ instrumentorum quibus Christus est Cruci affixus. Obijcies id vnum sufficere. Respondeo minimè; quoniam Crux alterius materiæ non colitur vt signum illius Crucis in qua Christus perpendit sed vt signum ipsius Christi in Cruce pendentis. Scriptura enim Crucem quamlibet appellat signum Filij hominis, quod in Cælo. i. in aere videndum prædixit Christus: at verò claui, lancea &c. alterius materiæ nusquam in sacris litteris signum Filij hominis appellantur; quarè signa tantummodo sunt eorum clauorum, quibus Christus fuit Cruci affixus.

Videtur Contra Imagines esse illa verba Domini in Exodo 20. *Non facies tibi sculptile &c.* in quibus verbis Contrà Catholicos exultant Hæretici. Sed Respondetur dupliciter. 1. illud præceptum fuisse impositum Iudæis eò quod essent ad idololatriã propensi: Christianis verò minimè, quoniam non est Iuris naturalis præceptum; sed Iuris diuini scripti, quod Christi morte abrogatum cessauit; sicut & cætera præcepta iudicialia & Cæremonialia vocantur. 2. dato quod etiam illud præceptum sit Iuris naturalis, & Christianos quoq; afficiat; illius sensus talis est vt nulla imago etiam veri Dei pro Deo colatur; ac si in ea reipsa numen, aut diuinitas aliqua,

aut

aut virtus & potestas inesset. Item vt nulla imago siue effigies inanium Deorum, & falsorum honorentur Gentilium mores & proinde non sequi vt Imagines Dei & Sanctorum propter id quod referunt coli non debeant.

Quantum ad secundum de antiquitate istius Vsus. Certè adeò est antiquus vsus Imaginum vt simul cum ipsius hominis formatione incæperit: Omnipotens enim rerum conditor Deus, quando hominem efformauit dixit. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*. Sic habetur in libro Gen. 2. vbi paulò post additur. *Ad imaginem quippe Dei factus est homo*. Quæ verba sæpius sacra pagina habet. In Exod. 25. Deus mandauit conflari duos Cherubim aureos super arcam fœderis qui supernos illos ac beatos spiritus repræsentarent. *Duos quoq; Cherubim aureos facies*. Quos deinde Rex Salomon duplicauit, atq; alias addidit imagines, vt habetur in 3. Regum. 6. *Sculpsit quoque in tabulis Cherubim, leones, & palmas, & similitudinem hominis stantis*. In lege postmodum Euangelica bis inuenimus ipsum Saluatorem Mundi Christum Dominum sumet ipsius imaginem, atq; effigiem vultus efformasse. Prima vice quando Regi Edessorum Abagaro linteolum misit in quod suæ faciei ad morē ipsam suam faciem expresserat: quod linteolū hodie magna veneratione asseruatur Romę apud Ecclesiam S. Siluestri à Sanctimonialibus illius Ecclesiæ ac Monasterijs de hoc testantur multi graues historici, & sacra Concilia, quæ adducit *P. Corona de Sacris Templis par. 1. cap. 63.* Altera vice quando baiulans sibi Crucem ad Caluariæ montem ibi Cruci affingendas accipiens à pia illa mulierem Veronica sudariolum vt Sanctissimam tuam faciem sanguine, & sputis illitam abstergeret in illo ipasm quoq; faciem expressam reliquit. Hoc a summa religione ac veneratione habetur & colitur itidem Romæ in Templo omnium templorum principe Principi Apostolorum Petro dicato. Parem quoque deuotionem ac pie-

pietatem fidelibus excitat linteum illud Sanctissimi Sudarij in quo inuolutum fuit corpus Domini Nostri quando iacuit sepulchro quod Taurini à Serenifs. Sabaudiæ Principibus summa reuerentia custoditur & magna populi deuotione ac celebritate ostenditur semel in anno; in quo pariter totius Corporis eiusdem Domini Nostri Imago expressa visitur. *Sanctus Athanasius & Gregorius Turonensis* aliam Saluatoris Imaginem à Nicodemo fabricatam referunt, quæ Beriti cum esset ab impijs Iudæis flagellis cæsa, sputis illita, Cruci affixa, & lancea transfixa tantum sanguinis effudit vt ex illo omnes orientales atque occidentales Ecclesiæ fuerint locupletatæ. Et hoc miraculum à Patribus septimæ æcumenicæ synodi comprobatum fuit A' Sancto Luca Euangelista plurimas fuisse depictas imagines Christi Domini Nostri, Sanctorum Apostolorum, & præsertim Sanctæ Genitricis Dei Mariæ testes sunt auctores grauissimi *Metaphrastes in vita ipsius Sancti Lucæ; Diuus Thomas in tertio senten. dist.* 9. *q.* 2. alijque quāplurimi. Vnde à Sancto Luca efformatam communiter perhibetur Imaginem illam, quæ Laureti totius orbis veneratione colitur. Item illam, quæ Romæ in celeberrimo S. Mariæ Maioris templo asseruatur. Illam pariter, quæ Bononiæ magna eiusdem religiosissimæ Ciuitatis pietate ac deuotione custoditur ac colitur. Omitto alias eiusdem sanctissimi Euangelistę manu efformatas non ita orbi Christiano notas sicut præfatas omnibus pariter innotescunt Imagines illæ Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, quas apud se Sanctus Pontifex Siluester in Monte Soractæ habebat, sub quarum similitudine prædicti Sancti Apostoli Imperatori Constantino apparuere, & hodie in Basilica eiusdem Principis Apostolorum asseruantur. Tertullianus antiquissimus auctor inter Christianos refert eos priscos fideles consueuisse Saluatorem Mundi depictum effingere in Templis ad instar Pastoris ouellam super humeros deferentis.

tis. Immensum esset omnia antiquitatis exempla & testimonia afferre ad corrobandam antiquitatem vsus Imaginum.

Quantum ad tertium de Qualitate Imaginum. Vt benè percipiatur quales depingi & efformari debeãt sacræ imagines aduertendum est cum *eruditissimo Bellarmino lib. 2. de Imag. cap.* 8. tria posse esse Imaginum genera. Quædam enim effinguntur ad rappresentandam naturalem formam, perfectamq; alicuius rei similitudinem: Et hoc modo exprimi non possunt nisi res corporeæ, ac materia consistentes, quæ cum constent dimensionibus, figuris, coloribus, cæterisq; sensibilibus; quæ per sensum percipiuntur: ideo eisdem dimensionibus, coloribus &c. possunt exprimi & repræsentari. Hoc pacto Pictores efformant speciem Hominis, leonis, aliarumque rerum corporearum. Quædam autem effinguntur non quòd res per huiusmodi picturas & imagines expressas sint tales in se, quales repræsentantur; sed quia non possemus percipere illas nisi ad modum rerum sensibilium exprimentur; cum talis sit Hominum natura pro statu vitæ, præsentis vt nihil percipiat nisi per sensus; Vnde Philosophus dicit. *Nihil est in intellectu quod prius non fuerit in sensu.* Et alibi. *Oportet intelligentem phantasmata speculari.* Hoc pacto qui volunt exprimere Maiestatem Dei Creantis Vniuersa, vel quid simile operantis, opus est vt sub humana specie illum effingant, vt à nostris oculis ac sensibus percipi possit. Quod egregiè *Sanctus Augustinus lib. 2. de Trinit. cap. vlt. & lib. 3. de doct. Christ. his verbis explicauit.* [Miserabilis Animæ nostræ seruitus est signa pro rebus accipere, & super Creaturam corpoream oculum mentis ad hauriendum lumen leuare non posse.] Quædam deniq; effinguntur simbolicè & metaphoricè, quando scilicet Pictor ad exprimendam & significandam aliquam proprietatem, vel spiritualem operationem, illam depingit ac exprimit sub specie actionis materialis & corporeæ aptę tamen ad illam spiritualem significandam. Hoc pa-

ĉto qui volunt exprimere proprietates Angelorum, eorumq; actiones sub figura sensibilium rerum effingunt; In primis.n. depingunt faciem hominis vt significent eorum naturam intellectiuam: addunt vestes albas ad illorum puritatem & immaterialitatem indicandam: apponunt illis alas ad denotandam celeritatem in exequendis Dei mandatis. Et sic de alijs. His igitur præmissis.

Circa qualitatem Imaginum sanctarum hæc ex *Conc. Tridentino* præscripta tenemus.

Primò. Quoad primum genus Imaginum ex supradictis, & etiam quoad alia. Vt eliminentur è templis omnes Imagines lasciuiam præseferentes tàm in corporibus, quàm in indumentis, cæterisq; ornamentis, ne detur occasio mundanis & carnalibus turpe aliquid sibi in Corde voluendi: essent .n. huiusmodi picturæ & imagines similes illis, quas Deus Ezechieli in Templo Hæbreorum ostendit dicens. Ezech. 8. *Ingredere & vide abominationes, quas isti fecerunt; abominatio, & vniuersa idola domus Israel depicta erant in pariete, in circuitu per totum, ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem &c.* Nam idola carnalia sunt profectò omnes lasciuæ picturæ. Quapropter idem Deus magnam comminatur vltionem dicens. Ergo non parcet oculus meus, nec miserabor, & cum clamauerint ad aures meas voce magna non exaudiam. Procul igitur à Templis omnes huiusmodi Imagines. Verba Concilij sunt hæc. *Omnis lasciuia vitetur itaut procaci venustate Imagines non pingantur nec ornentur.*

Secundò. Quoad secundum, & tertium genus. Vt quando necesse est exprimere aliquid Diuini & spiritualis sub specie alicuius rei Corporeæ, tunc admoneantur rudes & indocti non esse tale, quale oculis per picturam apparet, illud diuinum & spirituale quod Pictor exprimere intendit. Verba Concilij sunt hæc. *Quod si aliquando historias & narrationes sacræ Scripturæ, cum id indoctæ plebi expediret, exprimi, & figurari*

con-

contigerit ; doceatur populus non propterea Diuinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici; vel coloribus, aut figuris exprimi possit.

Tertiò. Vt nihil sacri per picturam exprimatur maſſimè in templis, quod veritati rei & hiſtoriæ non ſit conſonum. Et ratio eſt; quia in picturis non tàm attenditur & contemplatur veritas rei repræſentatæ, quàm id quod externis oculis intuentium apparet ; quod ſi res apparens falſa eſt in occaſionem erroris inducit. Hoc dixit magnus ille Plato dialog. 12. de Rep. his verbis Pictura non conſiderat id quod eſt; ſed quod videtur & apparet. Verba autem Concilij ſunt hæc. *Nullæ falsi dogmatis imagines rudibus periculosi erroris occasionem præbentes statuantur.*

Quartò. Vt nihil profani in Templis effingatur niſi quod neceſſariam connexionem habet cum veritate hiſtoriæ ſacræ; veluti ſi quis exprimeret ſacrificium gentilium, quod Licaonij offerre volebant Sanctis Apoſtolis Paulo & Barnabæ æſtimantes Paulum eſſe Mercurium propter ſuam mirandam eloquentiam, & Barnabam eſſe Iouem propter præſentiæ maieſtatem. Hac de Cauſa Concilium non approbat niſi veras Imagines & hiſtorias Chriſti Domini, Beatiſſimæ Virginis, Sanctorum, & vtriuſque teſtamenti, quæ ſolæ cultu & veneratione dignæ cenſentur. Hæc ſunt verba Concilij. *Mandat Sancta Synodus Imagines Christi, Deiparæ Virginis, & Sanctorum in Templis habendas, eisq; debitum honorem, & venerentiam impertiendam.*

Quintò. Vt nihil pariter ſuperſtitioſi ibidem exprimatur. Quale eſſet exempli gratia effingere Sanctiſſimam Trinitatem ſeu tres Perſonas in quodam quaſi vtero ac ſi omnes tres Diuinæ Perſonæ carnem induiſſent. Similiter, ad ſignificandam eamdem Sanctiſſimam Trinitatem exprimere Hominem tria habentem capita & vultus. Item exprimere Deum ſub forma oculi ſuper virgam vigilantis ad ſignificãdam illius prouidentiam. Hæc enim & ſimilia cum ſapiant

superstitionem non debent in Ecclesijs Catholicorũ admitti. Verba autem Concilij sunt ista. *Omnis superstitio in Imaginum vsu tollatur.*

Sextò. Deniq; vt supradicta seruentur, & vt nullus ambiguitati locus relinquatur in decernendo quando Imago aliqua censeri debeat aut lasciua, aut propana, aut superstitiosa, aut à veritate facti aliena mandat vt nulla in Templis Imago apponatur, quæ non prius fuerit ab Episcopo approbata. Sic enim inquit. Hæc vt fidelius obseruentur, statuit sancta synodus nemini licere vllo in loco vel Ecclesia etiam quomodolibet exempta vllam insolitam ponere, vel ponendam curare Imaginem nisi ab Episcopo approbata fuerit.

Quantum ad quartum. De Vtilitate & fructu spirituali Sanctarum Imaginum. Multæ inde Vtilitates consequuntur, quarum aliquas breuiter attingam.

Prima est. Quòd rudibus & indoctis deseruiunt pro libris. Sic *Sanctus Pontifex Gregorius lib. 9. epist. 109. affirmat.* [Idcirco, *ait*, in Ecclesia Imagines adhibentur vt qui litteras nesciunt saltem in parietibus videndo legant quæ in Codicibus legere non valent.] Idem docent *S. Paulinus & prudentius.* Pictura refert quæ tradita sunt in libris. Idem asserit Beda. Quia non omnes litteras norunt, neq; lectioni incumbunt; Patres nostri consenserunt quæ gesta sunt, per imagines repræsentari.

Secunda est. Quòd memoriæ suggerunt beneficia à Deo humano generi exhibita tùm Creationis, tum Redemptionis, tùm alia. Ita Synodus Nicena secunda afferens verba Leontij Episcopi. Christiq; passiones, inquit, passim in Ecclesijs, in foro, in picturis, omnibusq; in locis hanc figuram apponimus, quò continuò contemplantibus nobis hæc in mentem veniant; vt non oblucisçamur Domini Dei nostri, quemadmodum tu oblitus es Domini Dei tui. Et *S. Ioannes*

nes Damascenus [Per sæpe, *inquit*, vsue venit vt Domini passionem in animo minime versantes, conspecta Christi Crucifixi imagine in salutiferæ memoriam passionis redeamus.

Tertiã Est. Quòd repræsentantes heroicas operationes & Victorias sanctorum, qui nos antecesserunt, excitant animos intuentium ad illorum imitationem. Ita *Sanctus Nilus ad Olimpiodorum Proconsulem.* [Noui, *inquit*, & veteris testamenti historijs hinc inde parietes Templi repleri doctissimi pictoris opera velim, quò scilicet contemplationæ picturæ in memoriam reducant, quàm constanter Deò per fortia facta sancti seruierunt.] Et quidem magnam vim habent Imagines antiquorum qui in aliqua re excellentes fuere, ad accendendum animos intuentium ad illorum imitationem. Passim ocurrunt exempla quà sacra quà prophana de hac re.

Quartã est. Quòd admonent nos patrocinium pro nobis susceptum à sanctis illis, quorum Imagines deuotè veneramur, ac reuerenter habemus: Vnde & fiduciam præbent confugiendi ad illos in omnibus necessitatibus nostris vt pro nobis intercedant ad Dominum. Et quidem quotidiæ fideles huius Patrocinij fructum experiũtur tùm in cæteris Sanctis, tùm præcipuè in Regina Sanctorum omnium Dei genitrice Maria, cui optime conueniunt verba illa Spiritus Sancti in Prouerbijs. *Ego diligentes me diligo, & qui vigilant ad me inuenient me; mecum enim sunt diuitiæ & gloria; Beatus qui vigilat ad fores meas quotidie, & obseruat ad postes ostij mei; qui me inuenerit inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino.*

Sed omnes fructus & Vtilitates, quæ ex debita veneratione Sanctarum Imaginum percipiuntur paucis sed ponderosis verbis *Sacrosancta Tridentina synodus perstrinxit* dicendo [Illud verò diligenter doceant Episcopi per historias mysteriorum nostræ redemptionis, picturis vel alijs similitudinibus expressas erudiri & confirmari populum in articulis fidei

fidei commemorandis, & assiduè recolendis: Tum verò ex omnibus sacris imaginibus magnum fructum percipi; non solum quia admonetur populus beneficiorum, & munerum, quæ à Christo sibi collata sunt; sed etiam quia Dei per Sanctos miracula, & salutaria exempla oculis fideliũ subijciuntur: vt pro ijs Deo gratias agant, ad Sanctorumq; imitationem vitam, moresq; suos componant; excitenturq; ad adorandum, ac deligendum Deum, & ad pietatem colendam. Si quis autem his decretis contraria docuerit, aut senserit; Anathema sit.] Veneremur igitur ac deuotè colamus Sanctorum Imagines venerando & colendo in illis & per illas sanctos ipsos, quos repræsentant, vt illis intercedentibus ita mereamur assequi bona temporalia, vt non amittamus æterna.

§. 3. *De Campanis.*

C*ampanæ* sunt vasa ænea in Nola Ciuitate Campaniæ primò inuenta: maiora itaq; vasa Campanæ à Campania regione: minora verò Nolæ à Nola Ciuitate dicuntur. Tria breuiter de Campanis videamus nempe. Primò originem. Secundò finem. Tertiò significationes.

Quantum ad Primum de origine. Quidam existimant Campanas originem sumpsisse post aduentum Domini Nostri Iesu Christi illo ducti argumento, quòd neq; Hæretici neq; Mahumetani illas permittant; immò frangant atq; è turribus deijciant vbicunq; eas deprehendunt; siue id faciant ne videantur cum Catholicis conuenire; siue ad occurrendum seditionibus, cõspirationibus, & rebellionibus, quæ facili negotio ad signa Campanarum excitari & perfici possent contrà eorum tyrannidem, & infandum dominium: siue quia ad illarum sonitum expauescunt quemadmodum & ipsi Dæmones, quorum regimine gubernatur. Verùm dubitari

tari non potest etiam ante Domini aduentum extitisse Cāpanas, quorū vsus erat tàm in prophanis & ciuilibus, quàm in sacris actionibus quamuis non ita frequenter; appellatas Aerea, pelues, lebetes, & tintinnabula ab ære, & materia ex qua conflantur, à similitudine quam cum alijs rebus habent; & à sonitu alijsq; effectibus. Et quidem quoad actiones prophanas Certè prisci illi Romani Campanas adhibebant ad annuntiandum tempus accedendi ad Termas seu balneas; Vnde Martialis monet quemdam qui pila ludebat, vt audito signo Campanæ pro balneis dimittat ludum & accedat ad lauandum se in termis ni velit lauari aqua frigida fontis Virginis, quæ est illa, quam Romæ communiter vocant Aquam Triuij. Sic igitur ait Martialis.

Reddet pilam, sonat as Termarum, ludere pergis?
Virgine vis sola latus abire domum?

adhibebant pariter Campanas Romani ad conuocandum homines hora nundinarum & fori ad emendum & vendendum ea quæ victui necessaria sunt. Etiam Milites qui in excubijs erant, vtebantur Campanis ad quarum signum confestim respondere tenebantur: immo etiam in palatijs nobilium, primatum, & procerum, in quibus frequentior erat & maior numerus seruorum vsus erat Campanarum, vt ad illarum sonitum & signum familia conuocaretur, vt etiam nostris temporibus in palatijs Principum Ecclesiasticorū idem mos retinetur.

Quod autem ad actiones etiam superstitiosas Gentilium, & verè sacras religiosas Hæbreorum adhiberentur Campanæ manifestum est apud scriptores, vt patet legentibus præsertim apud *Lucianum, Pollidorum, & Iosephum Habreum*. Immo, vt habetur in Exodo, Deus mandauit apponi quædam campanulas ad fimbriam Vestis hyacintinæ Sacerdotalis. *Deorsum ad pedes vestis quasi mala punica facies mixtis in medio tintinnabulis vt audiatur sonitus quando ingreditur & egreditur*

san-

sanctuarium. Idem etiam habetur in Ecclesiastico. Non negamus ad conuocandum populum apud Hæbreos fuisse in vsu tubas quasdam argenteas, vt habetur in libris Numerorum. *Fac tibi tubas argenteas ductiles, quibus conuocare possis multitudinem*. In quorum postea locum successerunt Campanæ nostræ in turribus Templorum & Ecclesiarum, quamuis primus autor & inuentor habeatur incertus. *Polidorus Virgilius, & Panuinus* fuisse Papam Sabinianum arbitrantur; alij ferè omnes existimant fuisse Sanctum Paulinum Nolanum Episcopum in Campania, vnde talem Campanæ nomen est deriuatum: nihilominus vterque esse potuit; Sanctus Paulinus primò in sua Ecclesia, Sabinianus postea Romæ, atq; exinde in vniuersum Christianum orbem talis vsus inualuit.

Vt autem Campanæ, quæ ad sacras inseruiunt actiones, distinguantur ab ijs, quæ deputatæ sunt prophanis, solent illæ quibusdam adhibitis cæremonijs per Ecclesiasticos Antistites benedici. Extant huiusmodi Cæremoniæ in Pontificali Romano, vbi poterunt videri, nec opus est vt à nobis qui breuitati studemus h c describantur.

Quantum ad secundum De Fine, seu Effectibus Campanarum, earum præsertim quæ Ecclesiasticis vsibus deseruiūt, ac particulari ritu deputantur. Finis primarius ac Vniuersalis, propter quem in Templis Campanæ constituuntur, est ad significandum Fidelibus tempus determinatum, quo debent in Ecclesias conuenire, ibiq; statutas religionis, ac pietatis actiones exercere: quapropter à nonnullis scriptoribus præsertim ab Aluino & à Concilio Gabilonensi appellantur signa. Actiones autem, ad quas solent per Campanas conuocari Fideles comprehenduntur duobus carminibus, rudibus quidem, approbatis tamen à Glosa extrauagantum. Sunt autem infrascripta.

Laudo Deum verum, Plebem voco, congrego Clerum
Defunctos ploro, Nimbum fugo, Festaq; honoro.

Pri-

Prima igitur actio religiosa & pia, cui deseruiunt Campanæ, est laudare Deum, idest per suum sonum, & per signa illius efficere vt Fideles laudent Deum, preces ad illum fundant, eiq; gratias agant: Et quamuis laus ista, honor & gloria Deo exhibita sit finis omnium operationum à fideli mente prouenientium; tamen tribus præcipuè modis per Campanarum sonum expressis Diuina Maiestas à nobis seruulis benedicitur & collaudatur. Primò. Quando sacrosancta hostia & Calix cōsecratus in Sacrosancto Missæ sacrificio eleuatur ac populo adoranda ostenditur; tunc enim datur signum Campanarum vt fideles tàm adstantes in Ecclesijs, quàm absentes genua saltem Cordis flectant ad adorandum diuinum illud sacrificium pro communi omnium salute omnipotenti Deo oblatum: quod in Ecclesijs fit per campanulam pulsatam à ministro inseruiente Missæ priuatæ pro ijs qui præsentes intersunt; sed pro absentibus per Campanam in turri suspensam, & hoc in Missis, vt vocant, choralibus, solemnibus, & decantatis. Quod institutum fuisse aiunt quidam authores à Gregorio. 9. Summo Pontifice dum Federicus. 2. Imperator iam tertiò à communione Ecclesiæ præcisus summo furore ipsam Ecclesiam insectabatur vnà cum Tartaris, ijsq; infidelibus, à quibus Christianorum prouinciæ ipsis confines deuastabantur, vt scribit *Platina in Vita dicti Pontificis.* Secundò quando datur signum Salutationis Angelicæ; quod singulis diebus dari solet ter in plurimis partibus Christianorum, videlicet mane, meridie, & vespere. Hoc institutum ab Vrbano. 2. Pontifice manasse saltem pro horis matutina & Vespertina ad implorandam diuinam opem pro Copijs Christianorum ad recuperationem terræ Sanctæ (quæ & sequuta est) transmissis sentit Arnoldus Vecionus Monacus Sancti Benedicti; quod cum aliquantulum remissum esset iterum à Gregorio. 9. instauratum fui anno. 1227. Cui duplici signo nempe matutino, & vesperti-

no Honorius.3.addidit tertium nempe meridianum. ita sentit Genebrardus: At Platina in vitis Pontificum huius tertij signi institutorem facit Calixtum. 3. occasione desumpta monendi Fideles ad fundendum preces pro exercitu Christiano, qui cruce signatus contrà Turcam in Pannonia præliabatur. Hoc triplex signum per Campanas datum ad orandum, & laudandum Deum tribus diurnis temporibus valde consonum est Dauidis praxi & exercitio; qui tribus vicibus in singulos dies precibus & laudibus ferebatur in Deum; vnde & dicebat. *Vespere, mane, & meridie narrabo, & annunciabo, & exaudiet vocem meam*. Sancti Doctores. *Hieronymus, & Augustinus* in expositione illorum verborum dicunt signum vespertinum reducere nobis in mentem Passionem & Mortem Domini Nostri Iesu Christi; matutinum Resurrectionem; meridianum Ascensionem eiusdem. Alij prædicta signa referunt ad operationes humanas Christi fidelium, itaut, per signum matutinum moneantur ad Deum confugere, ab eoq; auxilium postulare pro bono diei ingressu; per meridianum pro bono progressu; per serotinum pro bono egressu & pro reddendis Deo gratijs pro beneficijs eo die acceptis; & quia vt facilius Diuinam opem imploremus valdè efficax est intercessio Deiparę Virginis, ideò more receptũ est ter salutationem Angelicã recitare cum illis tribus versiculis ad singulas salutationes præmissis nẽpe *Angelus Domini &c. Ecce Ancilla Domini &c. Et Verbum Caro &c.* Alij volunt in aliqua ex illis tribus horis aut matutina, aut meridiana, aut vespertina completum fuisse ineffabile illud mysterium I[illegible]tionis Verbi Diuini per annuntiationem Angelicam, [illegible]t maximum ex omnibus humano generi collatis be[illegible]m; ideò in illius memoriam instituta fuisse illis tribus [illegible]ribus [illegible] Campanarum signa ad recitandum ter sa[illegible]one[illegible]m pro dulci recordatione & pro gratia[illegible] a[illegible]neficij. Quomodocunq; sit laudare

Deum

Deum his temporibus Campanarum signo est vna pia actio, ad quam vsus Campanarum refertur.

Secunda est Vocare Plebem, nempe omnes Christi fideles tàm viros, quàm mulieres; tàm adultos, quàm paruulos; tàm nobiles quàm rusticos; tàm doctos quàm idiotas: omnes deniq; ad Ecclesiam ad recolenda diuina mysteria, ad Missas, ad Vespertinas laudes, ad processiones, ad Conciones, & ad omnes alias pias & religiosas actiones iuxtà illud Ioelis. 1. *Vocate catum, congregate senes, omnes habitatores terræ in domum Dei vestri & clamate ad Dominum &c.*

Tertia est Congregare Clerum & Ecclesiasticas Personas ad celebrationē Missarum, & diuinorum officiorum quæ consistunt in septem Horis Canonicis distinctis temporum interuallis inter noctem & diem recitandis ad imitationem Sanctissimi Regis & Prophetæ Dauid, qui de se dicit septies in die laudem dixisse Domino Deo. Et merito quidem septies in die laudem Domino dicimus; nam & septies quoq; in die cadit iustus & resurget. Sed de recitatione Diuini officij multa diximus in prima huius operis parte & aliqua etiam dicemus infrà in proprio cap.

Quarta est Defunctos plorare, idest talem sonum edere ac si defunctos more hominum plorarent. Et sanè optimo consilio institutum est vt Campanæ pro Defunctis pulsentur; quandoquidem non modicus inde fructus percipitur. Primò enim excitantur fideles ad fundēdas preces pro animabus eorum, quorum ex hac vita migratio per tale signum significatur: quod pium opus valdè à Spiritusancto commendatur illis verbis. *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare.* Secundò omnes per talia signa monemur nos quoq; aliquando ex hac vita migraturos; scriptum est enim. *Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur super terram.* Rursus. *Statutum est hominibus semel mori.* Iterum *quis est homo qui viuit & non videbit mortem.* Et nescimus Vbi, quando, &

no Honorius. 3. addidit tertium nempe meridianum. ita sentit Genebrardus: At Platina in vitis Pontificum huius tertij signi institutorem facit Calixtum. 3. occasione desumpta monendi Fideles ad fundendum preces pro exercitu Christiano, qui cruce signatus contrà Turcam in Pannonia præliabatur. Hoc triplex signum per Campanas datum ad orandum, & laudandum Deum tribus diurnis temporibus valde consonum est Dauidis praxi & exercitio; qui tribus vicibus in singulos dies precibus & laudibus ferebatur in Deum; vnde & dicebat. *Vespere, mane, & meridie narrabo, & annunciabo, & exaudiet vocem meam*. Sancti Doctores. *Hieronymus, & Augustinus* in expositione illorum verborum dicunt signum vespertinum reducere nobis in mentem Passionem & Mortem Domini Nostri Iesu Christi; matutinum Resurrectionem; meridianum Ascensionem eiusdem. Alij prædicta signa referunt ad operationes humanas Christi fidelium, itaut, per signum matutinum moneantur ad Deum confugere, ab eoq; auxilium postulare pro bono diei ingressu; per meridianum pro bono progressu; per serotinum pro bono egressu & pro reddendis Deo gratijs pro beneficijs eo die acceptis; & quia vt facilius Diuinam opem imploremus valdè efficax est intercessio Deiparę Virginis, ideò more receptũ est ter salutationem Angelicã recitare cum illis tribus versiculis ad singulas salutationes præmissis nẽpe *Angelus Domini &c. Ecce Ancilla Domini &c. Et Verbum Caro &c.* Alij volunt in aliqua ex illis tribus horis aut matutina, aut meridiana, aut vespertina completum fuisse ineffabile illud mysterium Incarnationis Verbi Diuini per annuntiationem Angelicam, quod est maximum ex omnibus humano generi collatis beneficium; ideò in illius memoriam instituta fuisse illis tribus temporibus tria Campanarum signa ad recitandum ter salutationem Angelicam pro dulci recordatione & pro gratiarum actione tanti beneficij. Quomodocunq; sit laudare

Deum

Deum his temporibus Campanarum signo est vna pia actio, ad quam vsus Campanarum refertur.

Secunda est Vocare Plebem, nempe omnes Christi fideles tàm viros, quàm mulieres; tàm adultos, quàm paruulos; tàm nobiles quàm rusticos; tàm doctos quàm idiotas: omnes deniq; ad Ecclesiam ad recolenda diuina mysteria, ad Missas, ad Vespertinas laudes, ad processiones, ad Conciones, & ad omnes alias pias & religiosas actiones iuxtà illud Ioelis. 1. *Vocate cætum, congregate senes, omnes habitatores terræ in domum Dei vestri & clamate ad Dominum &c.*

Tertia est Congregare Clerum & Ecclesiasticas Personas ad celebrationẽ Missarum, & diuinorum officiorum quæ consistunt in septem Horis Canonicis distinctis temporum interuallis inter noctem & diem recitandis ad imitationem Sanctissimi Regis & Prophetæ Dauid, qui de se dicit septies in die laudem dixisse Domino Deo. Et merito quidem septies in die laudem Domino dicimus; nam & septies quoq; in die cadit iustus & resurget. Sed de recitatione Diuini officij multa diximus in prima huius operis parte & aliqua etiam dicemus infrà in proprio cap.

Quarta est Defunctos plorare, idest talem sonum edere ac si defunctos more hominum plorarent. Et sanè optimo consilio institutum est vt Campanæ pro Defunctis pulsentur; quandoquidem non modicus inde fructus percipitur. Primò enim excitantur fideles ad fundẽdas preces pro animabus eorum, quorum ex hac vita migratio per tale signum significatur: quod pium opus valdè à Spiritusancto commendatur illis verbis. *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare*. Secundò omnes per talia signa monemur nos quoq; aliquando ex hac vita migraturos; scriptum est enim. *Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur super terram.* Rursus. *Statutum est hominibus semel mori.* Iterum *quis est homo qui viuit & non videbit mortem.* Et nescimus Vbi, quando, &

Quomodo. Tertiò per talia signa inuitantur fideles præsertim consanguinei, amici & proximi ad comitandum defunctum ad sepulturã adiunctis lumiceireis accensis, & sacris cãtionibus; mos perantiquus in Ecclesia Dei; Vnde *Nazianzenus ait*. [Nocturnis cantionibus ac cæreorum ignibus nos Christiani pium è vita discessum ornãdum existimauimus.]

Quinta est Nimbum fugare. Nam ad sonitum campanarum procul pelluntur hostiles exercitus, & omnes insidiæ inimici; fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempestatum, & fulgurum temperantur; infesta tonitrua, & ventorum flamina suspenduntur; spiritus procellarum, & aereæ potestates prosternuntur. Atq; supradictos omnes effectus Campanæ producunt Tum naturaliter per virtutem sonus, quo illa aeris densitas frangitur, dissipatur, ac soluitur, ex qua deriuare solent fulgura, tonitrua, ac turbinum tempestates: Tum & multò magis supernaturaliter per virtutem supernaturalem illis inditam per earum benedictionem, & consecrationem, ac per orationes ad hunc finem à Sancta Ecclesia institutas: Tũ deniq; quia excitant Fideles ad confugiendum ad Sanctæ Matris Ecclesiæ gremium, ad implorandam diuinam opem in illis necessitatibus ante Sanctæ Crucis vexillum, cui flectitur omne genu cælestium, terrestrium & infernorum.

Sexta est festa honorare. Quia in festiuitatibus Sãctorum pulsantur, & hilarem reddunt sonitum, ita vt occultã quamdam lætitiam cordibus ingerant Christi fidelium: immo & aliquando contigit vt ex se, nullo hominum accedente impulsu, sonitum ediderint, quemadmodum accidisse fertur Madrilij in Hispania quando corpus Sancti Isidori de vno ad alterum decentiorem locum efferebatur, vt ex processu miraculorum dicti Sancti ad Clemẽte 8. transmisso constat. Idem contigisse dicunt in Campanis Basilicæ Sancti Pauli de Vrbe quãdo legitimè & solemniter recognitum fuit Cæ-

meterium quoddam plenum Sāctorum corporibus positum in medio Ecclesiarū Sancti Sebastiani & Sancti Pauli, quod prima vice fuerat à quodam pictore inuentum.

Præter supradictos. Campanarum effectus, alijs etiam vsibus frequentissimè adhibentur puta ad ostendendam lætitiam & in signum honoris in aduētu & ingressu Principum supremorum tàm laicorum quàm Ecclesiasticorum in loca eorum iurisdictionis. Ad conuocandum homines tàm ad domesticas, quàm ad publicas Congregationes & Conuentus. De quibus omnibus fusius Autores, quos citat & sequitur *Corona de Sacris Templis par. 1. cap. 75.*

Quantum ad tertium de significatione. Campanæ significant tubas illas argenteas, quibus in veteri lege populus ad sacrificandum accersebatur: Quemadmodum enim vigiles in castris tubis; sic & Diuini Cultus ministri in veteri lege Tubis, in noua Ecclesia Campanis se excitāt vt contrà insidiantem diabolum pernoctent. Sed signa nostra ærea sonoriora sunt tubis veteris legis; quia tunc notus erat Deus in Iudæa tantum; nunc verò in omni terra. Nam vt prædixit Propheta. *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Sunt etiam durabiliora; significant enim prædicationem noui testamenti fore amplius duraturam tubis & sacrificijs veteris legis; quia vsque ad mundi finem. Siquidem Campanæ Prædicatores significant, qui fideles ad similitudinem Campanæ ad fidem vocare debent, quod significatum est in eo quod Dominus præcepit Moisi vt faceret vestem summo Pontifici habentē 72. tintinnabula, quæ sonitū ederent cū Pontifex in Sancta Sanctorum ingrederetur, vt alibi suprà dictum est. Ipsum ergo Vas Campanæ os prædicatoris designat iuxtà illud Apostoli. *Factus sum velut æs sonans &c.* Duritia metalli fortitudinem designat in mente prædicatoris; Vnde Deus *Dedi frontem tuum duriorem frontibus eorum.* Plectrum seu ferrum quod interius ex vtraq; parte

te percutiens sonum reddit, figurat doctoris linguam, quæ scientia ornatur, & quæ vtrumq; testamentum resonare facit. Et hæc satis sint de Campanis.

§. 4. *De Cantu Ecclesiastico, ac de Organis, alijsq; musicis instrumentis.*

DE Cantu Ecclesiastico & organis tria videnda. 1. quot sint genera sonorum musicalium. 2. de origine Cantus Ecclesiastici, & organorum. 3. de illorum vtilitatibus, & quàm proinde laudabilis in Ecclesia Dei illorum Vsus.

Quantum ad primum de generibus sonorum musicalium. Notandum secundùm Hug. de S. Victore, & secundùm ipsam praxim, quòd tria sunt genera sonorum, qui tres modulos faciunt; fit enim sonus pulsu, flatu, voce: pulsus pertinet ad citharam, ad fides, ad testudinem, & similia instrumenta: flatus ad tubam, ad organum, ad cornicula & alia similia: Vox verò ad Cantum. Hæc genera musicorum antiquus populus in laudem Dei exercebat: nam Regius Propheta in suis psalmis inuitans omnes Creaturas ad laudandum Deum, & præsertim filios Israel dicit. *Laudate eum in sono tubæ, laudate eum psalterio, & cithara, laudate eum in timpano, & choro, laudate eum in cordis & organo, laudate eum in cimbalis bene sonantibus, laudate eum in cimbalis iubilationis, omnis spiritus laudet Dominum.* Si velimus autem aliquam mysticam significationem in his musicorum generibus adinuenire dicere possumus quòd pulsus citharæ referatur ad manuum operationem, flatus organi ad deuotionem mentis, cantus vocis ad sermonis exhortationem. Dicit enim *Bernardus* [quid prodest dulcedo vocis sine dulcedine cordis? Frangis vocem: frange & voluntatem: seruas consonantiam vocum, serua concordiam morum; vt per exemplum concordes proximo, per voluntatem Deo, & per obedientiam magistro] sanè rationabiles diuersorum sonorum concentus, & concordia varie-

rietate compacta benè & ordinatè, significat Ciuitatis, & cuiuslibet communitatis vnitatem & concordiam. Rursus Cantus in Ecclesia, lætitiam Cæli repræsentat; voces verò graues, acutæ, & super acutæ innuunt tribus modis prædicandum esse tribus Ecclesiæ ordinibus, propter tricesimum, sexagesimum, & centesimum fructum. Vel iuxtà tria volumina Salomonis significat ordinem incipientium, proficientium, & perfectorum.

Quantum ad secundum de origine Cantus Ecclesiastici. Notandum est quòd cantandi vsus à veteri testamento initium sumpsit; sicut in Esdra legitur, & in Ecclesiastico. *Dedit illis contrà inimicos potentiam, & stare fecit contrà altare cantores, & in sono eorum dulces fecit modulos.* Et in psalmis habetur. *Cantate ei canticum nouum, benè psallite ei in vociferatione.* Et alio in loco. *Circuiui & immolaui in tabernaculo eius hostiam vociferationis, cantabo & psalmum dicam Domino.* Deinde in testamento nouo cantandi vsus ab ipso Domino cæpit initium; nam apud Matthæum Euangelistam habetur quòd Hymno dicto exierunt in montem oliueti &c. immo ipsi Angeli nato Domino cecinerunt hymnum, *Gloria in Excelsis Deo.* Quod refert *Leo Papa 9. de consecr. dist. 1. cap. de hymnis his verbis.* [Hi duo solummodo hymni ab Angelis in nouo testamento inueniũtur decantati: Alleluia: Gloria in excelsis Deo.] Quid verò sit hymnus declarat *Beatus Augustinus super Psalmum 72. in expositione tituli.* [Hymni sunt, *inquit*, laudes Dei cum cantico. Si sit laus, & non est Dei, non est hymnus. Oportet igitur vt sit hymnus vt habeat hæc tria, & laudem, & Dei, & Canticum.] *Hæc Augustinus.*

Cum igitur cantandi vsus tàm solida habeat fundamenta taceant illi qui dicunt quòd Cantus non est admittendus in Ecclesia; & quòd in Cantibus Ecclesiasticis frustrà conteritur tempus. Verum quidem est, quòd quemadmodum in alijs rebus & actionibus quamtumuis sacris & sanctis potest,

ali-

aliquis abusus irrepere, ita in hoc tam laudabili exercitio. Vnde, vt omni abusui aditus præcludatur, seruandum est monitum Apostoli dicentis. *Cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino.* Quæ verba expendens *Diuus Hieronymus relatus in cap. primo dist. 92.* [Non audiant, *inquit*, adolescentuli; audiant hi, quibus est officium in Ecclesia psallendi: Deo non voce tantum, sed corde esse cantandum; nec in tragædorum modum guttur, & fauces medicamine liniendæ sunt; vt in Ecclesia theatrales moduli, & cantica audiantur. Cantantes igitur in Corde, & in charitate cantent in Choro; quoniam magis deuotione cordis, quàm iubilatione vocis cantandum est.]

De Organorum origine, dicere possumus quòd initium sumpserint à Dauide & Salomone, qui instituerunt hymnos in sacrificijs Domini organis, & alijs instrumentis musicis concrepari, & laudes à populo conclamari. Nisi quis dicere velit ibi per organa non intelligi ea quæ nunc temporis in Ecclesijs Christianorum passim adhibentur; sed alia alterius artis & compactionis, præsertim cum vox *Organum* sit Græca, & significet idem ac apud latinos instrumentum. Posset autem in suæ confirmationem opinionis adducere praxim Romanæ Ecclesiæ, quæ coràm summo Pontifice non vtitur organis: Immo Caietanus testatur quòd tempore Diui Thomæ non erat vsus organorum. Vnusquisq; sentiat quicquid sibi libuerit.

3. Quantum ad Tertium. De Vtilitatibus Cantus Ecclesiastici & Organorum. *Diuus Thomas 2. 2. q. 91.* omnes cantus Ecclesiastici & melodiæ instrumentorũ vtilitates ad duas præcipuas reducit, quæ sunt finis talis instituti nimirum ad excitationem deuotionis tum propriæ; tum alienæ in Deum. *Sic enim inquit.* [Ad Deum verbis vtimur non quidem vt ei, qui est inspector cordium, nostros conceptus manifestemus (vt facimus hominibus, qui nostra interna non vident nisi illis

illis per signa & præsertim per voces manifestemus) sed vt nos ipsos, & alios audientes ad eius reuerentiam inducamus; & ideò necessaria est laus oris, non quidem propter Deum, sed propter ipsum laudantem, cuius affectus excitatur in Deum ex laude ipsius, secundùm illud psalmi *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.* Et in quantum homo per diuinam laudem affectu ascendit in Deum; intantum per hoc retrahitur ab his, quæ sunt contrà Deum secundùm illud Isaiæ 48. *Laude mea infrænabo te, ne intereas.* Prodest etiam laus oris ad hoc, quòd aliorum affectus prouocetur in Deum. Vnde dicitur in Psalmis. *Semper laus eius in ore meo*; & postea subditur. *audiant mãsueti & lætentur. Magnificate Dominum mecum.*] Hæc Diuus Thomas loco citato art. 1. Et articulo 2. quærendo *Vtrum in Diuinis laudibus sint cantus assumendi.* [Respondet affirmatiuè dicendo. Sicut dictum est. Laus vocalis ad hoc necessaria est vt affectus hominis prouocetur in Deum & ideo quæcunq; ad hoc vtilia esse possunt, in diuinas laudes congruenter assumũtur. Manifestum est autem quòd secundum diuersas melodias sonorum, animi hominum diuersimodè disponuntur vt patet per Phil. in 8. Polit. & per Boetium in prologo Musicæ: & ideò salubriter fuit institutum vt in diuinas laudes cantus assumeretur, vt animi infirmorum magis prouocarentur ad deuotionem. Vnde August. dicit. in 10. Confession. Adducor cantandi consuetudinem approbare in Ecclesia, vt per oblectamenta aurium, infirmorum animus in affectum pietatis assurgat. Et de seipso dicit in 9. Confess. Fleui in hymnis & canticis tuis suauè sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter.] *Hæc Angelicus Doctor Sanctus Thomas.*

Prædictam doctrinam commentando *alter Thomas litteris & purpura insignis sic ait.* [Nota finem cantus consistere in excitatione deuotionis propriæ, vel alienæ ad Deum. Et cum omnia quæ sunt propter finem non sint propter se appetenda,

ad, nec facienda nisi inquantum sunt vtilia ad finem; consequens est, vt in Ecclesiasticis officijs in Ecclesijs persoluendis debeat tantum cantari, quantum expedit excitandæ deuotionis cantantium, si alienæ deuotionis ratio cessat, & non plus. Et quoniam non potest Prælatus singulorum affectus in statera habere, & si haberet, ipsius est communis deuotionis non singularis rationem habere in communibus: ideò prudentia opus est in istis vt pensatis conditionibus personarum &c. quantum pro excitanda & conseruanda deuotione expedire videbitur cantetur. Ratio verò alienæ deuotionis sic habenda est, vt propria non destruatur. Non enim debet nostra esse tribulatio aliena subuentio secundum Apostoli doctrinam 2. ad Cor. 8. Et Dauid cum dixisset, Semper laus eius in ore meo subiungit. Magnificate Dominum mecum, non contrà me. Vnde à duobus cauendum est, scilicet. Ne ideò cantetur quasi ipse cantus secundùm se sit Deo gratior: Et ne cantetur causa delectationis nostræ, vel alienæ in Ecclesiasticis officijs vt patet ex fine.] *Hæc Thomas Caietanus.* Cuius postrema verba sunt valdè perpendenda, & firmè memoria retinenda. Et ego adderem, vel (vt modestius loquar) intelligerem in illis verbis suprà dictis (*debeat tantum cantari, quantum expedit excitandæ deuotionis*) etiam modum seu qualitatem Cantus; itaut eo modo debeat cantari, quo expedit excitandæ deuotionis &c. Quapropter si modus cãtandi potius afferat distractionem quàm deuotionem; potius vagationem, quàm collectionem mentis; & potius excitet ad vana, ad mundana, ad venerea; quàm ad pium affectum inducendum, talis Cantus debet eliminari ab Ecclesijs quia est peccaminosus (non decidendo nunc an motaliter vel solùm venialiter; posset enim esse motaliter si ex intentione fieret aut (seclusa intentione) si ratione vsus puta quia talis cantus vel sonus accommodatus communiter est ad materiam dedecentem sacra: aut ratione euentus puta quia communiter

ex

ex tali cantu vel sono excitantur auditorum animi ad mala vel vana) Huiusmodi cantus & soni illi sunt qui manifestè sapiunt sæcularem vanitatem. Vnde qui non vult errare sectetur vestigia auctorum piorum & grauium, & qui communiter ab Ecclesia sunt recepti, & approbati, & declinet à nouitatibus, quæ vt plurimum sunt periculosæ. Videndus est *Caietanus in commentario* 2. 2. q. 91. *art.* 1. qui tradit doctrinam magistralem, & magnam lucem affert ad dijudicandũ quando huiusmodi cantus & soni sint peccata mortalia, aut venialia solummodo.

Absolutè loquendo cantus, & quorumdam instrumentorum vsu probatorum in Ecclesia Dei sonus est vtilis & laudabilis. Nec dicatur quod per cantum & sonum impeditur laus mentis & consideratio eorum quæ cantantur. Quia respondetur id prouenire quando cantu & sono quis studiosè vtitur ad delectandum; sed si aliquis cantet vel audiat propter deuotionem, attentius considerat quæ dicuntur, tum quia diutius moratur super eodem: tum quia *vt Aug. dicit in* 10. *Conf.* omnes affectus spiritus nostri pro sua diuersitate habent proprios modos in voce atq; cantu, quorum occulta familiaritate excitantur. Et eadem est ratio de audientibus in quibus etsi aliquando non intelligant quæ cantantur, intelligunt tamen propter quid cantantur, scilicet in laudem Dei; & hæc sufficit ad deuotionem excitandam, ita *D. Thom. loc. cit. art.* 2. *ad* 5.

CAPVT IX.

De Disciplina circa Missæ celebrationem.

MVlta de hac re egimus in *prima huius operis parte dist.* 3. *cap.* 6. *de Sacrificio Missæ*. Vnde pauca hic nobis dicenda supersunt, & tantummodo ea quæ spectant ad disciplinam circa hanc præcipuam Actionem

Ecclesiasticam. Igitur hæc disciplina potest attendi & ante Missæ celebrationem per præuiam præparationem: & in ipsa celebratione per condignam deuotionem: & post celebrationem per debitam gratiarum actionem. De quibus omnibus singillatim agendum.

§. 1. *De præuia præparatione ante Missæ celebrationem.*

HÆc præparatio potest attendi *Ex parte Animæ, Ex parte Corporis, ex parte Temporis.*

EX PARTE ANIMÆ requiritur *Recitatio Diuini officij, Puritas Conscientiæ, simplicitas Intentionis, & Actualis Deuotio.*

Quoad *Recitationem*. Debet Sacerdos ante celebrationē persoluisse saltem matutinas preces, vt habetur in rubricis Missalis. Controuertitur apud Doctores. An omissio Matutini ante sacrum inducat peccatum mortale? Doctores antiqui affirmatiuam tenuerunt. Recentiores negatiuam. Et quia antiquitas semper est veneranda; in praxi opinio recentiorū est mitior; sed opinio antiquorum est tutior. Vnusquisq; consulat suam conscientiam. Nolo ipse in hoc negotio partes Iudicis assumere; & litem dirimere; præsertim cum hoc sit contrà nostrum institutum. Certum est quod hoc facere absq; vlla rationabili causa est saltem peccatum veniale graue. In hoc omnes conueniunt.

Quoad *Puritatem Conscientiæ*. Sacerdos habens conscientiam peccati mortalis tenetur ante Missam præmittere Sacramentalem confessionem quamuis sibi videatur attritus, vel etiam contritus. *Ita Bellarminus lib. 1. de Euch. cap. 13. & 14. & lib. 4. cap. 18.* qui testatur de communi. Fundantur super illud Apostoli. 1. ad Cor. 11. *Probet autem seipsum homo & sic de pane illo edat, & de calice bibat; qui autem manducat & bibit indignè iudiciū sibi manducat & bibit, &c.* quod Apostoli testimonium non esse de sola probatione per interiorem

con-

contritionem intelligendum; sed de probatione per Sacramentalem Confessionem definiuit *Conc. Trid. sess.* 13. *cap.* 7. *& cap.* 11. Excipit hunc casum dicens (modò non desit illis copia confessarij, quod si necessitate vrgente Sacerdos absq; Confessione celebrauerit quamprimum confiteatur.)

Quoad *Simplicitatem Intentionis.* Sacerdos non debet celebrare aut propter lucrum temporale; aut tumorem, aut vanam gloriam; aut consuetudinem; aut aliquam mundanam complacentiam; aut humanum timorem; aut temporalem fauorem: sicut non pauci hisce nostris temporibus faciunt. [Væ, væ væ Domine Deus (*inquit S. Bonauentura de præpar. ad Miss. cap.* 8.) quanti hodie infelices ad Sacros ordines accedunt, & diuina mysteria accipiunt non cælestem panē, sed terrenum quærentes: non spiritum, sed lucrum: non Dei honorem, sed suam ambitionem: non salutem animarum, sed quæstum pecuniarum: non Christo seruire mundo corde, & corpore in sacris mysterijs, sed delitiari, ditari, superbire, & luxuriari de patrimonio Christi, & de eleemosinis pauperum; ac Ecclesiasticas dignitates ambiendo multis litigijs & simonijs potius rapiunt quàm assequantur, nō vocati à Deo tanquam Aaron; sed impulsi à Deo tanquam Datan & Abiron. Tu autem homo Dei dirige vota tua, & desideria ad Deum, & vide quibus affectionibus & desiderijs trahi debeas ad sacra mysteria celebranda. Primò te trahat consciētia & remorsus delictorum sperans per eum quasi per hostiā expiationis ab omni peccato purgari. Secundò tuæ infirmitatis intuitus & consideratio vt eum quasi medicinam ad te voces, per quam ab omni infirmitate tuearis Tertiò pressura alicuius tribulationis vt per eū qui omnia potest ab omni aduersitate citius libereris & protegaris. Quartò desiderium alicuius gratiæ vel spiritualis beneficij impetrandi, vt per eum, cui pater nihil negare potest, obtineas Quintò gratiarum actio pro omnibus beneficijs temporalibus & spiri-

tualibus tibi & alijs impensis cum nihil habeamus Deo retribuere pro omnibus quæ retribuit nobis, quàm calicem salutaris accipere & sacrificare hostiã laudis, id est Iesum Christum. Sextò Charitas & compassio proximorum, cum pro salute viuorum & requie defunctorum, nihil efficacius interpellet quàm Christi sanguis effusus in remissionem peccatorum. Septimò laus & Dei & Sanctorum cum nihil habeamus quo possimus Deum & sanctos pro sua dignitate laudare, quàm Christum Sacramentaliter Deo Patri offerre & immolare. Octauò Dei amor & dilectio vt eum inuites ad te, ac per inuisceratione m spiritualis refectionis inteipso eum delectabiliter amplexeris. Nonò sitis & desiderium augendæ gratiæ, quia hoc Sacramentum fontem continet gratiarum; & sanctificationem, & auctorem continet salutis Dominum Nostrum Iesum Christum. Decimò ardor & suspirium, quo totis visceribus virtute huius dulcissimæ refectionis cupias sanctificari ab omni inquinamento carnis & spiritus, & eripi ab omnibus periculis & tentationibus; ac inseparabiliter vniri Christo saluatori, & conseruari in suo amore.] *Hac vsq; Diuus Bonauentura.* Talia debent esse motiua, & fines, qui inducere debent ad celebrandum. Quid autem intendere debeat Sacerdos *dicit idem S. Bonauentura cap.* 11. scilicet vt ex frequentatione diuini cultus nomen Dei in nobis sanctificetur: vt à nobis per sanctitatem vitæ glorificetur in mundo: vt crescat in orbe cultus & honor Dei: vt recolatur memoria passionis Christi: vt iuuetur Ecclesia militans & omnia illius membra: vt detur refrigerium animabus quæ sunt in Purgatorio; vt afferatur honor & gaudium Ecclesiæ triumphanti & spiritibus cælestibus.

Quoad *Deuotionem actualem.* Hæc deuotio complectitur in se actus & affectus humilitatis & reuerentiæ: amoris & fiduciæ: desiderij & famis, vt ita dicam, illius panis cælestis. Ad excitandam in nobis humilitatem, timorem, & reuerentiæ-

ren-

rentiam considerare debemus infinitam Maiestatem illius quē tractare debemus; quia est Dominus Cęli & terrę, Iudex viuorum & mortuorum, & ante quem (*vt dicitur in libro Sapientia*) tanquam momentum staterae est orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani, quae descendit in terram: cuius iudicia sunt inscrutabilia, & nescit homo vtrum odio an amore illius dignus sit: Et aliae similes considerationes. Ad excitandum amorem & fiduciam considerare possumus illius immensam bonitatem, misericordiam, & pietatem erga genus humanum; quia propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Caelis, & sustinuit tot labores, sudores, & dolores: pro nobis passus, crucifixus, mortuus, & sepultus: deniq; consideratio omnium diuinorum beneficiorum Creationis, Conseruationis, sed praecipuè Redemptionis. Ad excitandum desiderium & famem huius diuini cibi considerentur effectus mirabiles, quos operatur in animabus deuotis hoc diuinum Sacramentum; & necessitas spiritualis, qua tenetur vnusquisq; nostrum huius cibi. Non possumus omnia referre. Studemus enim breuitati. Videri possunt Auctores vbi tractant de praeparatione ad Missam, & ad sacram Communionem; praesertim Granata.

EX PARTE CORPORIS requiritur. *Munditia ab inquinamento Corporis, Ieiunium, & Decens ornatus.*

Quoad *Munditiam à Carnis inquinamentis praesertim à Pollutione*. Sciendum Pollutionem dupliciter posse contingere. Vel voluntariè (siue directè intenta & volita; siue indirectè per non remotionem causarum per se influentium ad talem actum vt sunt visus, tactus, oscula, amplexus, delectationes morosae, & similia) & tunc est peccaminosa; & debet expiari confessione sicut caetera peccata mortalia. Vel inuoluntariè vt in somnis; siue in somno inchoetur, & in eodem consumetur, quo casu nullum omnino est peccatum sed purus effectus naturalis: siue in somno inchoetur, & in vigilia consumetur: siue

siue in semiuigilia & inchoetur & consumetur: & in his duobus casibus si adsit complacentia est peccaminosa; si non adsit complacentia non est peccaminosa; nihilominus quia vt plurimum huiusmodi immunditiæ mentem perturbãt & maculant propter importunas & vagas cogitationes quas relinquunt, & propter reuerentiam tanti sacrificij & sacramenti datur consilium abstinendi à celebratione pro illa die etiam si sit præmissa Sacramentalis Confessio, & est consilium Sancti Thomæ. Excipiuntur aliqui casus. 1. quando quis experimento probauit maiores tentationes pati, & in easdem peccata reincidere si abstineat à celebrando vel communicando. 2. quando vrget festus dies valdè solemnis, vel est tempus Iubilæi, ad cuius consecutionem prærequiritur sacra communio. 3. quando quis pareret admirationem in alijs, & subiret periculum infamiæ per abstinentiam à celebratione, vel Communione. Vt cautius quis agat quando casus consimiles contingunt optimum remedium est stare consilio probi & prudentis Confessarij.

Quoad *Ieiunium*. Debet celebraturus accedere ieiunus ieiunio naturali itaut nihil cibi aut potus illo die sumpserit; immo nihil actione propria vitali per modũ cibi, vel potus, vel per modum medicinæ deglutiuerit; secus si per modum saliuæ vel respirationis. Dies autem computatur & incipit à media nocte antecedenti. Vnde colligitur hoc ieiunium esse rigorosius & strictius ieiunio Ecclesiastico, quod non soluit medicina. Sunt tamen aliqui casus in quibus licitum est celebrare seu sumere Eucharistiam non ieiunum. 1. cum Sacerdos immemor cibi vel potus desumpti, recordatur post consecrationem. 2. quando sumpto calice deprehendit se non hausisse sanguinem Christi; sed aquam, vel acetum, vel aliud simile per errorem immissum in calicem. 3. si post ablutionem antequam discedat ab altari inuenit fragmenta Sacramenti in Corporali, quia debet illa sumere. 4. quando esset

ſet complendum Sacrificium Sacerdotis caſu in altari ante conſummationem decedentis; & non adeſſet alter Sacerdos ieiunus. 5. quando eſſet periculum combuſtionis templi, vel irruptionis infidelium, vel quid ſimile; tunc eſſet licitum Sacerdoti non ieiuno; immo etiam laico conſumere Euchariſtiam; quia alioquin reuerentia cederet in irreuerentiam Sacramenti ſi relictum vel combureretur, vel conculcaretur pedibus, vel proijceretur in loca fætida, vel alio modo irreuerenter tractaretur.

Quoad *decentem ornatum*. Requiritur omnis honeſtas & compoſitio in veſtibus, quam nos alibi tradidimus, & paſſim tradunt Doctores Theologi, Canoniſtæ, & Spirituales. Aduertendum pileolum non poſſe in Miſſa teneri abſq; Papæ diſpenſatione.

Ex parte Temporis. Requiritur Hora debita, & Dies non prohibitus.

Quoad *Horam*. Hæc licita & legitima habetur ab Aurora vſq; ad Meridiem. Aurora intelligitur initium Crepuſculi, ſeu prima ſolis irradiatio antequam ſolare Corpus in noſtro Horizonte appareat. Initium igitur auroræ (iuxtà tutiorē opinionem) debet eſſe initium Miſſæ; quamuis in ſpectando ipſo initio auroræ res nō mathematicè ſed moraliter ſit diſcucienda. Excipiuntur quidam caſus à d. Regula. Primus quando iam eſſet conſuetudo in aliquo loco celebrandi de nocte ante ſolis ortum præſertim in hyeme; qualis conſuetudo eſt in Gallia, Germania, & in Belgio. Secundus quando Parochus cogeretur celebrare ad conficiendū Sacramentum, & communicandum infirmum Tertius quādo Epiſcopus, & multò magis Cardinalis eſſet iter facturus. Quartus quando quis haberet ſpeciale priuilegium à ſede Apoſtolica. Exceptis prædictis caſibus non licet celebrare ante auroram; & hoc facere eſſet peccatum mortale. Ratio, quia hoc Sacramentum pertinet ad tempus gratiæ ſignifi-

catum per diem iuxtà illud Apostoli *Nox praecessit dies autem appropinquauit.*

Dubitari solet. An in nocte Natiuitatis Domini quemadmodum prima solemnis celebratur, ita etiam possint dici Missæ priuatæ absq; scrupulo ante Auroram? opinio affirmatiua est satis probabilis; tum quia in iure nullum adest præceptum id prohibens: tum quia multis in locis Sacerdotes etiã timoratæ conscientiæ absq; scrupulo frequenter absoluta prima Missa solemni mediæ noctis reliquas duas statim prosequuntur: & alij omnes tres.

Similiter non licet celebrare post meridiem, exceptis casibus prædictis. Et item in Sabbato Sancto. In Sabbatis ordinationum. In funere alicuius magni Principis. In festis solemnibus propter concursum populi. Post publicam concionem ne populi pars careat missa. In itinere quando vrget præceptum diei festi. Dummodo tamen in prædictis omnibus casibus non excedatur horæ spatium post meridiẽ.

Quoad *Diem.* Singulis anni diebus licitum est semel celebrare excepto die Natiuitatis Domini, quo tres Missæ dicuntur. Difficultas est de triduo Hebdomadæ maioris. Dico tamen secundùm magis communẽ licere cuilibet Sacerdoti fer. 5. in Cæna Domini recitare Missam priuatam non solùm occultè sed etiam publicè secluso scandalo, quod tamen scandalum si forsitan adesset, procederet ex ignorantia; & per instructionem posset facilè tolli. Ratio huius resolutionis est, quia non habemus legem id prohibentem, neq; consuetudinem in contrarium: immo non pauci viri docti & timorati solent illa die celebrare. Feria. 6. in Parasceue, in confesso est apud omnes nemini licere celebrare sacrum. Ratio. Quia tali die ipsemet Christus se ipsum obtulit sacrificium cruentum dum ab impijs fuit cruci affixus: Vnde vt ait Hugo de S. Victore. *Non sacrificant amici, dum trucidant inimici.* Igitur hac die Sacerdos non consecrat; sed ho-

hostiam die præcedenti consecratam consumit. De Sabbato Sancto non audeo quidquam resolutè dicere, consulerem consuetudinem locorum, quæ esset à multo tempore approbatam & receptam.

§. 2. *De requisitis in ipsa celebratione.*

REquisita in ipsa celebratione sunt *Locus, Vestimenta, Altare, Minister, Deuotio.*

Quoad *Locum.* Primò Vt sit locus vel consecratus vel saltem benedictus: nam alibi celebrare puta in priuatis domibus, vel Cappelis non licet absque debita facultate summi Pontificis, aut Episcopi qui haberet Indultum Pontificium, vt latrus de hac re Doctores. Secundò Vt locus non sit periculosus effusioni sanguinis. Tertiò vt non sit interdictus Quartò vt non sit pollutus publica effusione aut seminis aut sanguinis, aut sepulturæ infidelis.

Quoad *Vestimenta.* In quibus attendi debet & qualitas, & quantitas. Qualitas triplex; nempe Vt sint benedicta ab habente facultatem: Vt sint munda: Vt sint integra. Quantitas est vt sint numero sex, scilicet Amictus, Alba, Cingulus, Manipulus, Stola, Casula seu Planeta. De quibus abundè diximus supra tradendo illorum significationes.

Quoad *Altare.* Vt sit paratũ & instructũ omnibus quæ requiruntur. sunt autem hæc. *Ara, Mappa, Corporalia, Vasa, Liber, Crux, Candela.*

Ara. Vt sit consecrata, Vel ipsamet mensa & superficies Altaris stabilis, Vel altare portatile consecratum. De quo supra cap. 2. de altari.

Mappa. Vt sit triplex; vel vna duplicata, altera simplex.

Corporalia, idest Corporale & Anima, linea non serica, & benedicta.

Vasa, idest Calix & Patena vel aurea, vel argentea, vel

 stan-

ſtannea; & non & alia materia; in parte tamen interiori ſemper deaurata; & inſuper conſecrata.

Liber, ideſt Miſſale, in quo ſaltem ſit Canon.

Crux, ideſt Imago Crucifixi, quia in Miſſa recolitur memoria paſſionis Chriſti.

Candela, cereæ duæ ſaltem, accenſæ, & in caſu neceſſitatis ſaltem vna. Omnia tamen prædicta ſunt de Iure poſitiuo, in quo poteſt Papa diſpenſare.

Quoad *Miniſtrum*. Debet eſſe ſaltem, vnus, qui ſit maſculus; non fæmina: nam fæmina etiam ſi ſit Sanctimonialis non poteſt per Sacros Canones contingere vaſa ſacra nec pallas, nec incenſum circa altare deferre. Poſſet tamen Monialis reſpondere ad Miſſam ſtans in Choro poſito retrò altare.

Quoad *Deuotionem*. Hæc debet eſſe tum *Exterior*, tum *Interior*. Exterior reſpicit & verba & Actiones. Verba vt proferantur clarè & diſtinctè non tamen nimis tarde, aut nimis feſtinanter: & quæ debent legi ad effectum vt intelligantur ab auditoribus, ità proferantur, vt vox ſit intelligibilis, non tamen nimis alta, aut nimis ſubmiſſa: quæ autem ſecretò dicenda ſunt, ita dicantur vt Sacerdos audiat ſeipſum, ſed non audiatur à circumſtantibus. Actiones vt fiant iuxtà ritus Eccleſiaſticos & iuxtà rubricas Miſſalis: atq; ita decorè omnia ſeruet Sacerdos vt ad pietatem ſeipſum, & alios qui interſunt, promoueat.

Interior Deuotio attendi poteſt. In ingreſſu ad Altare. In offertorio. In canone. In conſecratione. In Communione.

In ingreſſu ad Altare. Cogitet Sacerdos ſe Chriſti patientis Perſonam ſuſtinere, quod habitu ipſo & Sacris veſtibus ſignificatur. Nam .1. Corona, indicat ſpineam coronam .2. Amictus, velamen oculis ipſius obtentum. 3. Alba, veſtem illam, quam illuſus eſt ab Herode. 4. Cingulum, funes quibus medius conſtrictus eſt in horto. 5. Manipulus, vincula, quibus ſacræ manus tanquam nefarij hominis obſtrictæ ſunt. 6.

Sto-

Stola, funes quibus vt tutius deducerent, diuinum collum implicuere. 7. Casula, vestem purpuream. 8. Crux erecta in pectore & humeris siue in dorso Sacerdotis, Crucem quam Dominus gessit, semper expetiuit, & ante oculos habuit. 9. Calix, acerbissimum cruciatum, quem nostra causa sustinuit. 10. sacri panniculi qui explicantur in altari, sindonē & lintea quibus obuolutum est sacrum Corpus. Ad altare progressus, è terra sublatum putet se in Cælo iam esse coràm Deo & Agno, vbi videat innumerabilem Angelorum, hominumq; beatorum multitudinem omnes summa cum veneratione coràm Diuina Maiestate prostratos, paratosq; ad hoc diuinum sacrificium adorandum.

In offertorio. Cōsideret Sacerdos se veluti legatum ab vniuerso populo Christiano missum ad Deum. Quæ legatio est maxima quę ab hominibus peragi possit vndequaq; considerata, nempe Ex parte illius qui mittitur. Ex parte eius, à quo mittitur, Ex parte eius ad quem mittitur. Ex parte modi, quo mittitur, Et ex parte rei, pro qua mittitur. Deniq; ex parte finis propter quē mittitur. Et. 1. quidē ex parte eius qui mittitur; nam hic est Sacerdos persona publica, & publicè deputatus, qui in hoc ministerio repræsentat Personam Christi; Christus enim per Sacerdotem est principalis offerens. Et quænam persona dignior ista? 2. ex parte eius à quo mittitur; nam mittitur ab vniuerso populo Christiano seu ab vniuersa Ecclesia Catholica; & quænam Respublica fuit vnquam, est, aut erit maior ista? 3. ex parte eius ad quem mittitur; nam est Deus trinus & vnus æternus, omnipotēs, Creator, Gubernator & Conseruator Vniuersi; Principium & finis omnium rerum; Et quænam Maiestas sublimior ista? Ex parte modi, quo mittitur; nam hæc missio exercetur per modum collocutionis præstantissimæ tanquam ad aurem, vt amicus ad amicum vel cum amico; & per verba Sacrosancta vel ab ipso Christo Domino tradita, vel à Spiritu Sancto in sacris

lit-

litteris, vel deniq; Conciliorum & Canonum authoritate comprobata: Vnde non est periculum ne quicquam dicatur, quod Deo non sit gratum: Et quænam collocutio præstatior ista? Ex parte rei, pro qua mittitur; nam mittitur ad sacrificandum, idest ad offerendum Deo omnipotēti illam hostiam puram, sanctam, & immaculatam pretiosi Corporis & Sanguinis Domini Nostri Iesu Christi Filij Dei viui in Cruce propter Hominum redemptionem mactati: Et quænam hostia acceptabilior, quodnam munus carius & pretiosius? Ex parte finis, propter quem mittitur; nam mittitur ad reddendum debitum cultum latriæ omnipotenti Deo tanquam Domino totius vniuersi, fonti totius bonitatis, auctori omnium bonorum, & vltimo fini rationalis Creaturæ: ad exhibēdum honorem, gaudium, & lætitiam vniuersæ Curiæ beatorum: ad impetrandam veniam peccatorum, & auxilia diuina tàm spiritualia, quàm temporalia omnibus viuentibus: ad gratias agendas Deo pro omnibus beneficijs humano generi exhibitis: Denique ad suffragandum animabus fidelium defunctorum, vt liberatæ quantocius à pænis ad gaudia peruenire mereantur æterna. Et quinam finis amplior, excelsior, & Vniuersalior isto?

In Canone. Cum perueneris ad Canonem, *inquit Diuus Bonauentura*, recollige mentem ne per diuersa vagetur. appone diligentiam magnam in signis & actibus, maiorem in verbis maximam in intentione propter continētiam diuinitatis immensæ. In Memento tàm pro viuis, quàm pro defunctis, non fiat cum voce, & verbis commendatio, sed tantum mente discurre per quasdam personas magis intimas, cæterasq; recollige sub compendio referens intentionem ad omnes pro quibus antea orasti, siue orare promisisti. Ad, *qui pridie*, dirige mentem & intentionem tuam ad faciendum id, quod intellexit Christus in sua Cæna, & quod intendit Sancta Mater Ecclesia.

In Consecratione iam non se amplius eum esse cogitet, qui erat paulo ante, sed Christum quodammodo in Sacerdotem esse immutatũ, vt rursus gratissimum sui corporis & sanguinis Sacrificiũ offerat Deo Patri. Quare Sacerdos cum ipso Christo Domino se intimè coniungat in eo amore, quo se ille in hoc Sacramento reliquit; atq; æternum Patrem precetur vt ad nostrorum peccatorum expiationem, & omnium mortalium adiumentum Sacrosanctum illud sacrificium excipiat.

In Communione. Pausa paulisper, *inquit D. Bonauentura*, & dic non lingua sed corde. Domine quis es tu? & quis sum ego? vt præsumam te mittere in latrinam fætidam corporis mei & animæ meæ? Millæ .n. lachrymarum anni non sufficerent ad tàm nobile sacramentum semel dignè percipiendum, quantò minus ego miser dignus sum, qui quotidie pecco; sed in infinitum maior est misericordia tua quàm miseria mea. Vnde confisus de tua pietate præsumo te sumere. *Hæc Bonauentura*; excitet igitur Sacerdos in se affectus venerationis, humilitatis, & amoris, quo cupiat totum conuerti in Christum, eique per virtutum imitationem quàm simillimum fieri.

§. 3. *De Gratiarum Actione post Celebrationem.*

PEracto Sacro si Sacerdos non sentit aliquam spiritualem refectionem, signum est, *inquit Sanctus Bonauentura*, spiritualis infirmitatis, vel mortis. Ignem posuisti in sinum & non sentis calorem? mel in ore, & non sentis dulcorem? Si verò consolationem sentis aliquam, non tibi tribuas sed suæ bonitati immensæ, qui etiã & malos & indignos consolatur, & dicas in corde tuo. Ad meam miseriam detestãdam me cõiunxit beneficijs suis. Si mihi peccatori talia fecit, quid faceret si vitam meam correxero? Ideo totis viribus volo me imitare & sibi semper adhærere. *Hæc Bonauentura*. Itaq; po-

te-

terit Sacerdos à sacro hos actus & affectus elicere .1. veniam petere negligentiæ, & erratorum, quæ in sacro faciendo cōmisit. 2. In eo amore, quo meruit Christo coniungi, colligere se magno cum desiderio gratias pro tanto beneficio tantas agendo quantas deberi intelligit. Itaq; offerat omnium rerum Creatarum & sensu carentium, & præditarum opera præcipuè studia iustorum hominum & Angelorum, Deiparæ, & Sanctissimæ Humanitatis Christi .3. offerat pro se & Ecclesia Vniuersa Diuinæ Maiestati quicquid Christus triginta trium annorum spatio egit, & pertulit, ac simul seipsum offerens, oblationem sui cū hac oblatione coniungat. 4. sibi atq; alijs precabitur ea, quę optat præsertim vt eueniant ea, quæ maximè diuinæ voluntati placent, & Deus ipse inde vsque ab æternitate constituit. 5. Cogitans se veluti sepulchrum Domini effectum, proponet sensus ac motus interiori cura custodire, vt omnibus sit bonus odor Christi Iesu, qui est Deus super omnia benedictus in sæcula.

CAPVT X.

De Disciplina circa Recitationem Diuini Officij.

DE hac materia latè tractauimus *in prima parte huius operis dist. 3. cap. 4. de Officio Diuino*. Vnde non est opus hic eadem repetere. Ne tamen omnino ieiunè hoc caput prætereamus recolligendo quasi in summa quæ ibi diximus, breuiter quæcunq; ad rectam officij Diuini recitationem pertinent, ad sex capita reuocantur, nimirum ad Quantitatem, Qualitatem, Ordinem, Tempus, Locum, Modum.

Quantitas, vt singulis diebus Beneficiati, & qui sunt in sacris recitent septem Horas Canonicas nisi legitimè fuerint im-

impediti. Omissio igitur totius officij; immo vnius Horæ si fiat vel ex contemptu, vel ex tædio, vel ex ebrietate, vel ex negligentia est peccatum mortale iuxtà communem opinionem, non autem si omissio sequatur ex obliuione.

Qualitas, vt quilibet recitet officium tàm in Choro, quàm extrà iuxtà consuetudinem & ritum præscriptum in propria Ecclesia, vel Religione (sit recitans sit Regularis) Absque causa rationabili immutare ritum, præsertim in fraudem per recitationem officij breuioris, committitur peccatum, & quidem mortale iuxtà nonnullos Doctores, & non satisfit obligationi officij.

Ordo, vt recitentur Horæ Canonicæ ordinatim, videlicet primò Matutinum, deinde Prima, Tertia & sic deinceps. Hic tamen ordo non est in præcepto extrà Chorum. Verum quidem est quòd si quis absq; vlla rationabili causa dictum ordinem peruerteret, committeret saltē veniale peccatum.

Tempus, vt totum officium recitetur spatio 24. horarum incipiēdo à media nocte ad mediam noctem. Per quamdam inueteratam & toleratam consuetudinem, aut per priuilegia Ecclesiarum, vel Religionum potest matutinum recitari post occasum solis diei præcedentis; immo ante occasum, & aliquando immediatè post Vesperas diei antecedentis iuxtà consuetudinem locorum & priuilegia.

Locus, vt officium publicum recitetur in Ecclesia nisi aliud suadeat vel necessitas, vel consuetudo, vel fundatoris institutio. Officium verò priuatum recitetur in loco, quantum fieri potest, honesto ac decenti, & seorsum à strepitu, tumultu, & frequenti hominum conuentu.

Modus, vt recitetur distinctè, non omittendo, non mutilando, non absorbendo verba, non syncopando .i. tollendo syllabas de medio. Continuatè, non interrumpendo notabiliter recitationem alicuius Horæ iàm inceptæ, nisi fortè quis iterum eamdem Horam ab initio recitare decernat. At-

tentè, cum attentione ſcilicet ſaltem virtuali ad verba; quæ tunc cenſetur adeſſe, quando quis incipit recitare animo & propoſito attendendi, ſed poſtea inuoluntariè mente vagatur. Reuerenter, ſeruando decentem corporis ſitum & habitum: non peccat tamen, per ſe loquendo, qui talem corporis decentiam non ſeruat, puta ſi recitet ſedendo, cum ſtandum eſt, vel ſtando, cum ſedendo, aut flexis genibus orandum eſt. Deniq; Deuotè, vt ſcilicet animus noſter inflammetur amore Dei quē laudamus; & ardeat deſiderio videndi eum, quem nunc ſola fide cernentes præconijs extollimus.

CAPVT XI.

De Diſciplina circa Sacramentorum adminiſtrationem.

SAcramenta omnia tripliciter adminiſtrari contingit ſcilicet Vel inualidè, & illicitè: Vel validè, ſed non licitè: Vel tum validè, tum licitè (Intelligo adminiſtrationem validam quando concurrunt omnia ſubſtantialia ad Sacramentum; itaut ſi aliquod ex illis deſit, nullum ſequatur Sacramentum. Intelligo licitam quando concurrunt non ſolum ſubſtantialia, ſeu quæ ſunt neceſſaria neceſſitate Sacramenti; ſed etiam ea quæ ſunt neceſſaria neceſſitate præcepti, cuiuſmodi ſunt ritus, & cæremoniæ. Vnde fit vt omnis licita adminiſtratio ſit etiam valida; non autem viceuerſa, benè autem omnis inualida eſt etiam illicita.) Videndum igitur .1. quando Sacramentorum adminiſtratio eſt inualida & illicita .2. quando valida ſed non licita. 3. quando eſt valida & licita.



§. I. *Quando Sacramenta administrantur inualidè & illicitè.*

TVnc Sacramẽtorũ administratio est inualida & illicita, quando deest aliquod substantiale. Sunt autem quatuor substantialia in omnibus Sacramentis, nempe *Efficiens, Materia, Forma, Finis*. Per efficientem intelligitur Minister legitimè deputatus & habens potestatem ad Sacramenta administranda. Per finem intelligitur Intentio tàm in Ministro conferente Sacramentum, quàm in suscipiente, si sit rationis capax.

Quantum *ad Efficientem*. Requiritur in Ministro potestas legitima, quam habent à Deo Soli Sacerdotes (excipe baptismum, qui cum sit Sacramentũ summæ necessitatis, quando non adest copia Sacerdotis, potest conferri à quolibet, cum hoc tamen ordine vt semper dignior præferatur) Soli igitur Sacerdotes possunt cum Apostolo dicere. *Sic nos existimet homo vt ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei*. In istos insufflauit Christus & dixit. *Accipite Spiritum Sanctum quorum remiseritis peccata remittuntur eis*. Quæ verba in Sacerdotum consecratione proferuntur. Soli Sacerdotes Spiritum Sanctum alijs infundunt, & peccata remittunt, atq; animas illuminant per gratiam, quæ in Sacramentis confertur. Sic & olim Deus in veteri testamento habuit speciales ministros, qui tabernaculo deseruirent, sacris functionibus præessent, & portarent vasa Domini: hi erant typus & figura Sacerdotum noui testamenti, quibus Sacramentorum vasa Sanguinem Domini continentia commissa sunt. Et quemadmodum olim nemini, exceptis ministris deputatis, fas erat sacris se ingerere functionibus absq; graui piaculo: Vnde Oza qui extendit manum ad Arcam Dei mortuus est: Et Ozias Rex qui ausus est adolere incensum coràm Domino percussus est lepra. Ita in lege noua nemini absq; graui sacri-

crilegio fas est Sacramenta administrare nisi legitimus sit Sacerdos.

Quærit Diuus Thomas. An Angeli possint Sacramenta ministrare? Et respondet non posse secundum legem Dei ordinariam; & debere esse hominem eum qui ministrare debet Sacramenta. Ratio est; quia Sacramentorum minister, est minister Christi quatenus Homo est; Christo autem vt Homini conformantur in natura Homines non verò Angeli. Hinc est quod Apostolus ait. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus vt offerat dona & sacrificia &c.* non dicit ex Angelis assumptus. Addit tamen Diuus Thomas quòd, si cōstaret per Angelos confectum esse aliquod Sacramentale, id ratum habendum esset: eo quod id factum esset ex dispensatione Dei, qui sicut non alligauit virtutem Sacramentis taliter vt sine illis non possit eumdem effectum producere ita pari modo nec ordinarijs Ministris taliter, vt non possit Angelis eamdem virtutem communicare. Et de facto non rarò legimus Angelos aliquod Sacramentum ministrasse. De sancto Onuphrio legitur quòd per multos annos singulis Dominicis diebus fuerit sacra Eucharistia refectus Angelorum ministerio. De Sancto Bonauentura, quòd aliquando, dum ipse præ humilitate & reuerentia abstineret à sacra mensa, Angelus Domini particulam hostiæ consecratæ ori eius immiserit. De Sancto Amphilochio Iconij Episcopo, quòd Deus Angelos ad eum transmiserit vt illum mystica, & arcana consecratione ad Episcopale fastigium promouerent. Quod factum ab alijs Episcopis, qui eum venerant cōsecraturi, ratum est habitum. De quodam puero refert Cæsarius, quòd anima iam iam è corpore egressura Angelus Domini ipsum sacro inunxerit oleo eòquod ei Sacramentum extremæ vnctionis collatum non fuisset. Omitto alia consimilia exempla. Sed hæc planè extrà legem ordinariam esse nouimus. Illud quidem frequentius esse nouimus, nimirum

quòd

quòd Deus curet quidem per Angelos vt sui electi Sacramēta suscipiant;per ministerium tamen & opus Hominum, qui sunt ad hoc legitimè deputati. Sic Angelus rapuit Philippum, vt Reginæ Candacis Eunuchum baptizaret. Sic alter item Angelus Cornelium Centurionem misit ad Petrum, vt ab eo mysterijs fidei imbueretur. Sic etiam post martyrium Beati Lamberti Episcopi Angelus Domini baculum illius pastoralem & Stolam detulit ad Sergium Romanum Pontificem, vt eiusdem insignibus Beatus Hubertus eius successor ad limina Apostolorum clàm profecturus inaugurare-tur. Sanctus Honoratus quoq; Vercellensis Episcopus Angelica voce ter fuit admonitus vt ad Beatum Ambrosium cum morte iam conflictantem accurreret, eiq; sacrum præberet viaticum, quod & fecit; Vnde Sanctus Mediolanensis Antistes diuino refectus cibo complicatis in Crucis similitudinem manibus orans ad Dominum expirauit.

Quærit iterum Sanctus Thomas. An Animæ beatæ possint Sacramenta ministrare? Et respondet etiam negatiuè;quãuis enim animæ separatæ retineant adhuc Sacramentalem characterem & potestatem ordinis semel acceptam; tamen verè non sunt Homines; & insuper ille Sacramentalis character non sufficit sine organo corporeo, per quod & vox,& quælibet alia actio vitalis ad Sacramentum necessaria exerceatur. Si tamen dictæ Animæ Corpus resumerent non videtur negandum quin possent. Prædicta intelligenda sunt secundum legem Dei ordinariam, & attenta institutione Sacramentorum; Cæterum cum virtus diuina non sit ligata medijs ordinarijs, poterit Deus per Animas beatas Sacramenta & suam gratiam conferre, & quicquid aliud efficere, sicut de Angelis dictum est.

Quantum *ad Materiam & Formam*. Sacramenta perficiuntur Rebus vt Materia, Verbis vt Forma. Est enim Sacramentum Compositum quoddam artificiale: Omne autem Compo-

positum, siue Naturæ, siue Artis, constat duabus partibus componentibus, quarum altera se habet per modum determinabilis, & hæc dicitur Materia; altera per modum determinantis; & hæc dicitur Forma. In Sacramentis igitur Res sensibiles ver. gr. aqua, oleum, panis, vinum &c. Et Actiones item sensibiles ver. gr. ablutio, vnctio, &c. se habent per modum determinabilis quia ex se sunt indifferẽtes ad hanc vel illam significationem: Verba verò Sacramentalia se habent per modum determinantis & complent Sacramentum. Ergo Res sunt Materia, Verba sunt forma. Declaremus rem exemplo. Aqua ex. gr. in baptismo indifferens est ad multa significanda; tàm enim potest refrigerationem, quàm ablutionem significare: vt igitur determinetur ad significandam ablutionem debent accedere Verba. Hinc benè Diuus August. tract. 80. in Ioannem. *Detrahe*, inquit, *Verbum, ecquid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum. Vnde ista tanta virtus aquæ vt corpus tangat & cor abluat nisi faciente verbo &c.*

Materia & Forma Sacramentorum à Christo sunt determinata, nec illa possunt ab Ecclesia immutari. Hoc agnouit *Conc. Trid. sess. 21. cap. 2.* Quando dixit, semper in Ecclesia potestatem fuisse vt in Sacramentorum dispensatione, salua illorum substantia, illa posset statuere, vel mutare, quæ suscipientium vtilitati seu ipsorum Sacramentorum venerationi pro rerum locorumq; & temporum varietate magis expedire iudicaret: Dum ergo dicit, *Salua substantia*, manifestè ostendit Ecclesiam non habere potestatem ad mutandam substãtiam, hoc est Materiam & Formam. Et ratio est quia hæc sunt determinata à Christo per potestatem excellentiæ, quã Ecclesiæ non communicauit: fuit autem necesse à Christo tanquam capite corporis mystici Ecclesiæ determinari ad vnitatem ipsius Ecclesiæ, suorumq; membrorum ne schismata orirentur circa substantiam Sacramentorum.

Hinc

Hinc fit vt si alia res assumatur pro Materia, quàm illa quæ fuit à Christo instituta & determinata, nullum efficiatur Sacramentum. Et quia quandoq; res determinata est in specie; ideò tunc oportet assumi rem eiusdem speciei v. g. aqua in baptismo, oleum in extrema vnctione: vnde si in baptismo non assumatur aqua, nullus sequetur baptismus &c. Quandoq; autem determinatio est solum rei in suo genere; ideò tunc sufficit assumi rem eiusdem generis v. g. Confessio dolorosa in Sacramento penitentiæ siue sit dolorosa per attritionem siue per contritionem quæ specie differunt & siue sit de peccatis venialibus siue de mortalibus: & siue sit facta verbis, siue nutibus.

Forma quoque debet esse talis vt non immutetur sensus principalis verborum; si enim ità immutetur vt non remaneat ille sensus, tunc nullum sequitur Sacramentum: si autem manet sensus, tunc addendo, detrahendo, vel mutando aliquod verbum, conficitur quidem validè Sacramentum; sed qui scienter hoc faceret, peccaret.

Quantum *ad finem scilicet Intentionem*. Hæc requiritur tàm in Ministro quàm in suscipiente.

Circa intentionem Ministri definitum est in Tridentino his verbis. *Si quis dixerit in Ministris dum Sacramenta conficiunt non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia Anathema sit.* Ratio est quia Sacramentorum Ministri nō sunt quasi nudi internuntij litteras deferentes; sed sunt tanquam dispensatores, vicem Christi, & Ecclesiæ gerentes ex potestate sibi commissa, & arbitrio suo concredita. Ideò debent habere voluntatem & intentionem exequendi potestatem sibi commissam hoc est Sacramentum administrandi; seu (quod idem est) faciendi quod Christus instituit, & quod Ecclesia intendit: Vel sub simili aliqua, & æquiualenti ratione. Vnde Sacerdos, qui nonnisi ioco, & simulatè faceret sine præfata intentione non validè administraret. Sicut nec Sacer-

dos

dos qui in ebrietate iudicio rationis totaliter absorpto, aliquem absolueret; aut baptizaret; aut verba consecrationis suprà panem proferret &c. Cæterum Intentio triplex assignatur à Theologis, nempe Actualis, Virtualis, Habitualis. Actualis est quæ actu elicitur quando Sacramentum conficitur, aut confertur. Virtualis est quæ sequitur præcedentem actualem, & virtute manet in actione inchoata. Habitualis est quæ solùm in habitu acquisito ex præcedentibus actibus perseuerat; & potest esse in ebriosis, amentibus, dormientibus &c. Ad validitatem igitur Sacramentorum non sufficit Habitualis, quia talis intentio non fert secum actionem humanam, qualis debet esse administratio Sacramentorum. Non est necessaria Actualis (quamuis optima & quoad fieri potest curanda) alioquin aperiretur via scrupulis, & obligaremur quasi ad impossibile, cum mens humana sit labilis, & in vna cogitatione difficile continere se valeat. Sufficit Virtualis. Itaq; si Sacerdos ex. gr. semel elicuit actualem intentionem vel baptizandi, vel absoluendi, vel consecrandi &c. & ex vi huius intẽtionis nõ retractatæ, nec interruptæ per noctem intermediam, humano more se applicet ad agendum & & incipiat facere aliquid ordinatum ad finem intentum, validè facit quod facit, id est validè baptizat, absoluit, cõsecrat &c. quamuis in ipsa actione primariò intenta sit ex fragilitate naturæ distractus, nec recogitet quid agat.

Circa Intentionem suscipientis. Requiritur in adultis & capacibus rationis Intentio aliqua siue actualis, siue virtualis, siue saltem habitualis, seu interpretatiua recipiendi Sacramentum. Hæc est doctrina Communis Theologorum. Estq; definitum *ab Innocentio Papa in cap. Maiores de Baptismo.* Quod is, qui nunquam consensit sed penitus contradicit nec rem, nec caracterem suscipit Sacramenti. Requiritur igitur aliquis consensus, vel intentio saltem habitualis & interpretatiua; quæ tunc censetur adesse quando quis petijt aliquan-

do

do Sacramentum, nec retractauit seu reuocauit voluntatem. Similiter quando quis Catholicè vixit; huic enim existenti in articulo mortis possunt dari Sacramenta; nam dum ita vixit censetur implicitè petijsse Sacraměta quæ conferri solent existentibus in periculo mortis. De Pænitentia est specialis difficultas de qua suo loco *in 3. parte Deo dante.* Colligitur ex his strictius loqui Theologos circa intentionem Ministrantis; quàm circa intentionem suscipientis Sacramenta. Et meritò quidem; quia sicut in naturalibus maior perfectio requiritur in agente, quàm in patiente, agens enim cum sit principium actionis & debeat cōmunicare formam alteri, vtiq; debet illam præhabere in se, & tali modo possidere vt possit etiam alteri communicare; patiens autem sat est quod non repugnet, habeatq; aliquam capacitatem: Ita se res habet in moralibus & in casu nostro, loco agentis stat minister Sacramenti, loco patientis stat suscipiens: in ministro igitur requiritur talis intentio quę sit principium & forma exterioris actionis, quæ rationali voluntate fieri debet, & talis intētio est actualis aut saltem virtualis; in suscipiente autem sufficit intentio, quæ reddat subiectum capax & non repugnans Sacramento, & talis est intentio habitualis.

§. 2. *Quando Sacramenta administrantur validè, sed non licitè.*

TVnc Minister validè quidem administrat Sacramenta sed non licitè, quando concurrentibus quatuor substantialibus prædictis in §. antecedenti, videlicet *Potestate legitima in Ministro, debita Materia, debita Forma, ac debita Intentione*: deest tamen Vel *Bonitas Ministri*: Vel *Fides illius*: Vel *debita obseruantia Rituum*, qui præscribuntur à Sancta Romana Ecclesia in administratione cuiuslibet Sacramenti; de quibus *in Rituali Romano.*

Quantum igitur *ad Bonitatem.* Dico Primò. *Bonitas Ministri*

non est necessaria ad validitatem Sacramenti. Ratio est; quia Sacramenta conferuntur ob merita Christi; & operantur virtute diuina; non autem ob bonam dispositionem Ministri (alij dicunt ex opere operato; non autem ex opere operantis) alioquin sequeretur suscipientem Sacramenta aliquando frustrari illorum effectibus ob improbitatem Ministri, quem constat aliquando carere fide, aliquando grauissimis detineri sceleribus: hoc autem non est admittendum *Ita S. Thomas 3.p.q.64.art.5* cum cõmuni Theologorum. Colligitur hoc. Primò ex illo loco Apostoli.1. ad Cor.3. *Quid est Apollo? quid verò Paulus? Ministri eius, cui credidistis, & vnicuiq; sicut Deus dedit; Ego plantaui, Apollo rigauit; Deus autem incrementum dedit; sed neq; qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Ita Apostolus. Sicut ergo plantæ nihil obest plantantis aut rigãtis improbitas; & semini bono nihil nocet quod sordidis manibus seminetur, modò terra sit disposita, rosq; Cæli, & Solis calor accedãt: ita nihil nocet culpa ministri ei, qui Christo inseritur, quia semen gratiæ in corde illius seritur non à ministro, licet per eius ministeriũ, sed à Christo, à quo tale semen vim habet germinandi, crescendi, fructificandi. Secundò Colligitur ex illis verbis Ioannis. 1. *Super quem videris Columbam, hic est qui baptizat.* Quæ verba explanans *Diuus Augustinus tract.6. in Ioan. sic dicit.* [Hic est qui baptizat, Paulus baptizet, hic est qui baptizat; Petrus baptizet, hic est qui baptizat &c. Nouit Dominus qui sunt eius, diuersarum gratiarũ sunt; non omnes paria merita habent; sunt alij alijs sanctiores. Cur igitur si vnus à sancto baptizetur, alius ab altero inferioris meriti, inferioris gradus, inferioris vitæ, vnũ tamen & par & æquale est quod acceperunt; nisi quia hic est qui baptizat.] Cui conforme est quod dicit *S. Ambrosius.* [Non mandauit Damasus, non mandauit Petrus, non mandauit Ambrosius; nostra enim sunt seruitia, sed tua Domine sunt Sacramenta. Neq; enim

hu-

humanæ opis est diuina conferre, sed tuum Domine munus est & Patris.] Itaq; improbitas Ministri non derogat validitati Sacramenti. Non negamus tamen bonitatem Ministri multum etiam conferre; nam potest Minister mereri de congruo & vltrà effectum Sacramenti qui venit ex opere operato, potest impetrare aliquid per orationem quam specialiter fundit pro suscipiente itaut aliquando maiorem ei impetret dispositionem; Vnde non est vanum optare & quærere meliores Sacerdotes pro administratione Sacramentorum & pro celebratione Missarum.

Dico Secundò. *Bonitas in Ministro deputato, & consecrato ad munus administrandi Sacramenta est necessaria ad licitam administrationem: quapropter administraturus Sacramenta tenetur quantum in se est disponere se ad gratiam.* Ita S. Thomas, Caietanus, & alij apud Bonacinam de Sacram. q. 3. pun. 2. §. 1. Ratio. Tum quia Ministri Sacramentorum debent se conformare illi, cuius sunt ministri, iuxtà illud Gen. 19. *Sancti eritis quoniam ego Sanctus sum.* Tum etiam quia si in administratione Sacramentorum veteris legis exigebatur Sanctitas iuxtà illud. *Mundi estote qui fertis vasa Domini.* Et in Leuitico. *Omnis qui accesserit ad ea, quæ consecrata sunt in quo est immunditia, peribit coràm Domino.* Ergo multò magis sanctitas requiritur in administratione Sacramentorum nouę legis, quę perfectiora sunt: Hinc sequitur Sacerdotem habentem conscientiam peccati mortalis debere conari & curare vt in gratia se cõstituat, antequam administret Sacramenta, vel per Confessionem vel saltem per actum contritionis. Quòd si administret cum conscientia peccati mortalis, & absq; debito dolore, peccat mortaliter. Ita Sanctus Thomas loco citato cum communi Scholasticorum. Dixi (*in Ministro deputato & consecrato*) quia si alius, puta laicus, vel Clericus inferior Sacerdote in casu necessitatis ex. gr. baptizet in peccato mortali, non videtur grauius peccare quàm venialiter. Ita sentire vi-

non est necessaria ad validitatem Sacramenti. Ratio est; quia Sacramenta conferuntur ob merita Christi; & operantur virtute diuina; non autem ob bonam dispositionem Ministri (alij dicunt ex opere operato; non autem ex opere operantis) alioquin sequeretur suscipientem Sacramenta aliquando frustrari illorum effectibus ob improbitatem Ministri, quem constat aliquando carere fide, aliquando grauissimis detineri sceleribus: hoc autem non est admittendum *Ita S. Thomas 3.p.q.64.art.5* cum cõmuni Theologorum. Colligitur hoc. Primò ex illo loco Apostoli. 1. ad Cor. 3. *Quid est Apollo? quid verò Paulus? Ministri eius, cui credidistis, & vnicuiq; sicut Deus dedit; Ego plantaui, Apollo rigauit; Deus autem incrementum dedit; sed neq; qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Ita Apostolus. Sicut ergo plantæ nihil obest plantantis aut rigãtis improbitas; & semini bono nihil nocet quod sordidis manibus seminetur, modò terra sit disposita, rosq; Cæli, & Solis calor accedãt: ita nihil nocet culpa ministri ei, qui Christo inseritur, quia semen gratiæ in corde illius seritur non à ministro, licet per eius ministeriũ, sed à Christo, à quo tale semen vim habet germinandi, crescendi, fructificandi. Secundò Colligitur ex illis verbis Ioannis. 1. *Super quem videris Columbam, hic est qui baptizat.* Quæ verba explanans *Diuus Augustinus tract. 6. in Ioan. sic dicit.* [Hic est qui baptizat, Paulus baptizet, hic est qui baptizat; Petrus baptizet, hic est qui baptizat &c. Nouit Dominus qui sunt eius, diuersarum gratiarũ sunt; non omnes paria merita habent; sunt alij alijs sanctiores. Cur igitur si vnus à sancto baptizetur, alius ab altero inferioris meriti, inferioris gradus, inferioris vitæ, vnũ tamen & par & æquale est quod acceperunt; nisi quia hic est qui baptizat.] Cui conforme est quod dicit *S. Ambrosius.* [Non mandauit Damasus, non mandauit Petrus, non mandauit Ambrosius; nostra enim sunt seruitia, sed tua Domine sunt Sacramenta. Neq; enim hu-

humanæ opis est diuina conferre, sed tuum Domine munus est & Patris.] Itaq; improbitas Ministri non derogat validitati Sacramenti. Non negamus tamen bonitatem Ministri multum etiam conferre; nam potest Minister mereri de congruo & vltrà effectum Sacramenti qui venit ex opere operato, potest impetrare aliquid per orationem quam specialiter fundit pro suscipiente itaut aliquando maiorem ei impetret dispositionem; Vnde non est vanum optare & quærere meliores Sacerdotes pro administratione Sacramentorum & pro celebratione Missarum.

Dico Secundò. *Bonitas in Ministro deputato, & consecrato ad munus administrandi Sacramenta est necessaria ad licitam administrationem: quapropter administraturus Sacramenta tenetur quantum in se est disponere se ad gratiam.* Ita S. Thomas, Caietanus, & alij apud Bonacinam de Sacram. q. 3. pun. 2. §. 1. Ratio. Tum quia Ministri Sacramentorum debent se conformare illi, cuius sunt ministri, iuxtà illud Gen. 19. *Sancti eritis quoniam ego Sanctus sum*. Tum etiam quia si in administratione Sacramentorum veteris legis exigebatur Sanctitas iuxtà illud. *Mundi estote qui fertis vasa Domini.* Et in Leuitico. *Omnis qui accesserit ad ea, quæ consecrata sunt in quo est immunditia, peribit coràm Domino.* Ergo multò magis sanctitas requiritur in administratione Sacramentorum nouę legis, quę perfectiora sunt: Hinc sequitur Sacerdotem habentem conscientiam peccati mortalis debere conari & curare vt in gratia se cõstituat, antequam administret Sacramenta, vel per Confessionem vel saltem per actum contritionis. Quòd si administret cum conscientia peccati mortalis, & absq; debito dolore, peccat mortaliter. Ita Sanctus Thomas loco citato cum communi Scholasticorum. Dixi (*in Ministro deputato & consecrato*) quia si alius, puta laicus, vel Clericus inferior Sacerdote in casu necessitatis ex. gr. baptizet in peccato mortali, non videtur grauius peccare quàm venialiter. Ita sentire . . i

videtur *Sanctus Thomas loc. cit. art. 6. ad* 3. Et docet Caietanus ibidem. Ratio. Quia hoc non faciunt ex vi ſtatus & ordinationis: Sed ſolum per accidens propter emergentem neceſſitatem; vnde non incumbit illis tanta obligatio in ſtatu gratiæ miniſtrandi.

Occaſionaliter poſſet hic aliquis quærere. An is, qui exercet functiones ordinum Eccleſiaſticorum in ſtatu peccati mortalis peccet mortaliter? Cui quæſito breuiter modò reſpondeo cum diſtinctione (alibi forſitan Deo dante plenius dicturus) Aut ſunt functiones ordinum Minorum, aut ordinum Maiorum. Si primum, communior opinio eſt peccare tantùm venialiter ratione paruitatis materiæ. Si ſecundum, eſt controuerſia apud Doctores. Hoc tamen certum videtur, ſi aliquis ita ſit affectus vt frequenter velit tales functiones obire in ſtatu peccati mortalis, tunc frequens exercitium poſſe ſufficere ad peccatum mortale.

Quantum *ad Fidem*. Dico primò. *Fides non eſt neceſſaria ad validam Sacramentorum adminiſtrationem.* Ratio quia, vt ſæpe dictum eſt, Sacramenta validè adminiſtrantur quotieſcunq; concurrunt illa quatuor ſubſtantialia, de quibus §. anteced. Sed illa poſſunt concurrere etiamſi Miniſter careat Fide; ergo &c. Intellige de Miniſtro Fidem non habente, qui tamen ſit baptizatus: nam ſi loquamur de Infideli nondum baptizato dicendum eſt hunc nullo modo poſſe Sacramenta adminiſtrare validè excepto Baptiſmo; quia Miniſter aliorum Sacramentorum præter Matrimonium, eſt Sacerdos: At Infidelis cum non habeat Caracterem Baptiſmi, qui eſt ianua omnium Sacramentorum, non habet Sacramentum Ordinis, conſequenter nec Sacerdos eſſe poteſt.

Dico Secundò. *Fides neceſſaria eſt ad licitam Sacramentorum adminiſtrationem, conſequenter Miniſter grauiter peccat adminiſtrando Sacramenta ſine fide.* Ratio. Quia qui caret fide exiſtit in graui peccato cum impoſſibile ſit placere Deo ſine fide:

Qui

Qui autem administrat Sacramenta in peccato mortali grauiter peccat vt supradictum est.

Quantum, *ad obseruantiam Rituum*. Dico Sacramenta validè administrari; sed non licitè absque ritibus & cæremonijs præscriptis. Est autem Ritus actio externa religiosa,qua decorè & ornatè Sacramenta ministrantur iuxtà Ecclesiæ præscriptum. Igitur quòd Sacramenta sine Ritibus validè administrentur, patet per rationem sæpius adductam de concurrentia illorum quatuor substantialium. Quòd autem non licitè, probatur; quia tenemur nos accommodare ritibus Ecclesiæ vt constat apud omnes, & patet *ex Rituali Romano,& ex Conc.Trid.sess. 7. can. vlt. de Sacramentis.* Vnde qui scienter & volens variat Ritus committit peccatum mortale ex suo genere, quia facit contrà virtutem Religionis. Posset tamen quis excusari à mortali,ratione paruitatis materię,qualis videtur,si quis baptizaret lingua vernacula omissa latina extrà casum necessitatis. Sunt autem Ritus & Cæremoniæ sapientissimè institutæ ab Ecclesia Dei ad multiplices fines. 1. Ad ornatum & decorem vt constat in indumentis Sacerdotalibus, quibus celebratur Missa, cæterisq, vestibus Ecclesiasticis; nec non in veste candida, qua induitur baptizatus ad significandam ipsius regenerationem. 2. Ad excitãdam & augendam deuotionem fidelium. 3. Ad vniformitatem in modò colendi Deum; & in omnibus ijs, quæ maximè spectant ad ipsius Cultum.

§. 3. *Quando Sacramenta administrantur validè & licitè.*

EX dictis satis liquet quando Sacramenta validè & licitè administrentur. Cum enim concurrũt illa quatuor substantialia tunc validè. Cum verò etiam concurrunt supradicta tria nempe Bonitas, Fides, & Ritus;tunc etiam licitè.

Sed heu quàm multi sæpe deficiunt in aliquo prædictorũ, & quàm pauci exactè omnia seruant requisita. Meminerimus

Ec-

Ecclesiastici omnes præsertim Sacerdotes, & Animarum Pastores illius, quod Exodi 19. dicitur. *Sacerdotes accedentes ad Dominum sanctificentur ne percutiat eos.*

CAPVT XII.
De Benedictionibus.

VNa ex præcipuis actionibus Ecclesiasticis est benedicere. Igitur videndum. 1. quid sit benedicere, & quid Benedictio. 2. quotuplex sit Benedictio. 3. quæ sint Benedictiones pertinentes ad Episcopum. 4. quæ Benedictiones pertinentes ad simplicem Sacerdotem.

§. 1. *Quid sit Benedicere, & quid Benedictio.*

BEnedicere est bonum dicere. Iuxtà S. Thom. sup. Epist. ad Rom. cap. 12. lect. 3. Contingit autem bonum dicere tripliciter. Vno modo enuntiatiuè, puta cum quis bonum alterius laudat. Sic in Ecclesiastico 31. *Splendidum in panibus benedicent labia multorum, & testimonium veritatis illius fidele.* Alio modo imperando, & sic benedicere per authoritatē est proprium Dei, cuius imperio bonum ad Creaturas deriuatur: ministerium autem pertinet ad ministros Dei, qui nomen Domini super populum inuocant. Sic in Numeris 6. *Sic benedicetis filijs Israel, & dicetis eis. Benedicat tibi Dominus, & custodiat te. Ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui. Conuertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem.* Et post. *Inuocabunt nomen meum super filios Israel, & ego benedicam eis.* Tertio modo benedicit aliquis optando, iuxtà illud Psalmi 128. *Et non dixerunt qui præteribant, benedictio Domini super vos.* Et secundum hoc, benedicere est bonum alicui optare, & bonum pro alio precari à Deo omnium bonorum largitore; quemadmodum maledicere est alicui malum optare, velle, & im-

& imprecari. Sicut igitur triplex est benedicere, ita triplex benedictio; nempe Benedictio enuntiatiua; Benedictio imperatiua; & Benedictio optatiua, & deprecatiua.

Rursus Nos benedicimus Deum, & Deus benedicit nobis; sed aliter, & aliter, inquit *S. Thomas sup. epist. 2. ad Cor. cap. 1. lect. 2.* nam dicere Dei est facere iux. illud Psalmi 150. *Dixit & facta sunt.* Vnde benedicere Dei est bonum facere, & bonum infundere; & sic habet rationem causalitatis; & Genes. 1. & 22. *Benedicens benedicam tibi &c.* Dicere autem nostrum non est causale sed recognoscitiuum, seu expressiuum; Vnde benedicere nostrum, idem est quod bonum recognoscere. Cum ergo gratias agimus Deo, benedicimus ipsi, id est recognoscimus eum bonum & datorem omnium bonorum. Benedictio Dei erga nos est Imperatiua; Benedictio nostra erga Deum est Enunciatiua.

§. 2. *Quotuplex est Benedictio.*

Benedictio Hominis siue Enunciatiua; siue Optatiua seu deprecatiua; siue Imperatiua ex ministerio (nam Imperatiua ex authoritate est solius Dei vt constat ex dictis) est Duplex Alia Priuata, Alia Publica. *Ita Layman. lib. 5. tract. 9. cap. 13. Theolog. Mor.* Priuata dicitur, quæ à quolibet fideli vtriusq; sexus erga alterũ fieri potest. Nam & sanctas mulieres salubri benedictione ægris sanitatẽ restituisse, exẽplis nõ paucis constat. Decet tamen etiam in priuata benedictione obseruari quod ait Sanctus Paulus ad Hebræos. 7. *Sine vlla contradictione quod minus est à meliore benedicitur:* Vt personæ illæ, quæ vel ratione status, vel ratione Sanctimoniæ in Ecclesia excellentiores sunt alijs, benedicere debeant: immo in priuata benedictione maior etiam ratio sanctitatis propriæ haberi debet, cum Deus deprecationem peccatoris pro alio fusam non ita exaudiat sicuti deprecationem iusti. Vnde

S. Ba-

S. Basilius can. 27. ad Amphilochiū ait. [Benedictio est sanctificationis communicatio: qui autem eam non habet propter ignorantiæ lapsum quomodo alijs communicabit?]

Erat autem olim frequentissimum, vt à viris sanctitate conspicuis benedictio daretur; vel super personas abeuntes, vel redeuntes, vel super alias res puta panem, vinum, aquā, oleum, habitationem, vt videre est apud Authores citatos à Layman. Præsertim oleo benedicto multas infirmitates viri sancti curarunt. Item per aquam crucis signaculo benedictā magias, & incantationes mali Dæmonis depulsas fuisse testatur *Epiphanius hæresi 30. & alij Doctores apud Layman.*

Publicæ benedictiones sunt Ritus quidam, formulæ seu orationum à Ministris Ecclesiæ ex eiusdem institutione super Personis aut alijs rebus sensibilibus pronunciari solitæ ad impetrandum hominibus diuinæ gratiæ auxilium, à malo Dæmone liberationem, peccatorum remissionem, & alia Dei dona. Tametsi verò eiusmodi effectus non consequantur ex opere operato infallibiliter; cum nullam specialem Dei promissionem habeamus; tamen quia eiusmodi orationes nomine Ecclesiæ fiunt, quæ semper Deo grata & accepta est; piè credēdum immo pro certo habendum eiusmodi Ecclesiæ benedictionibus, atq; rebus benedictis puta aquæ, agno cereo, ipsiq; Ecclesiæ magnam vim inesse ad impetrādum hominibus per misericordiam Dei bonos motus diuinæ gratiæ, quibus à peccatis mundentur, virtutibus crescant, Dæmonum infestatione liberentur, à corporalibus quoq; periculis custodiantur, vel eripiantur. Non quod eiusmodi effectus semper sint certi, & infallibiles; sed sicuti Deo Optimo Max. loco, & tempore expedire visum fuerit. Qua de re legi potest *Suarez part. 3. tom. 3. disp. 15. sect. 4.*

Prædictæ publicæ benedictiones Aliæ pertinent ad solos Episcopos. Aliæ pertinent etiam ad simplices Sacerdotes. Et vtræque Vel sunt Personarum, Vel sunt rerum inanimatarum.

tarum. Inter quas duplex intercedit differentia. Prima quod res inanimatæ vt Ecclesia, Altare, Calix &c. post benedictionẽ & consecrationẽ in certis casibus execrari possunt; non ita personæ consecratæ; quare fortior est consecratio rei animatæ, quàm inanimatæ. Secunda quòd res inanimatæ omnibus diebus etiam non festis benedici, & consecrari possunt: non item consecratio Personarum, quæ nonnisi in Festis aut Dominicis fieri potest.

§. 3. *De Benedictionibus pertinentibus ad Episcopos.*

INter benedictiones pertinentes ad Episcopos primum locum tenet benedictio Agnorum cereorum, quę nonnisi à Summo Põtifice, qui est Episcopus Episcoporum fieri potest; & fieri consueuit singulis septennijs, incipiendo à primo anno Pontificatus cuiuslibet Pontificis, fitq; in Sabbato in Albis.

Prædicta excepta reliquæ omnes fiunt ab Episcopis, quarum nonnullæ ad solos Episcopos spectant: sunt autem istæ Benedictio & Consecratio ipsius Episcopi, Abbatum, Virginum, Clericorum tàm in minoribus, quam in sacris, Regum, Ecclesiæ, Altaris, Calicis, Patenæ, Altaris portatilis, vestium Sacerdotalium, Campanarum, aliæq; prout in Pontificali Romano. Ex dictis quædam perficiuntur per inunctionem Sacri Chrismatis; & hæ regulariter nonnisi ab Episcopo consecrato perfici possunt. Verum tamen cum ista ex iure Ecclesiastico proueniant nihil obstat, quominus Papa ex plenitudine potestatis suæ dispensare possit, & talem consecrandi potestatem simplici Sacerdoti committere vti ex communi notauit *Suarez tom. 3. cit. disp. 15. sect. 3. in fine.* Multò verò magis ac facilius à Summo Pontifice Sacerdotibus committi potest facultas benedicẽdi vestes Sacerdotales, & pallas altaris, etiam ipsum corporale; nam in istis non

interuenit sacra vnctio: quare Regularium quibusdam Superioribus eiusmodi priuilegium concessum aliquando fuit vt possint benedicere ea omnia, in quibus Chrismatis vnctio non interuenit.

§. 4. *De Benedictionibus pertinentibus etiam ad Presbyteros.*

EXceptis benedictionibus, de quibus in paragrapho antecedenti, reliquæ omnes quæ solemni ritu ex institutione Ecclesiæ fiunt, & Episcopo neq; iure, neq; consuetudine reseruatę sunt, à Presbyteris, nō tamen à Diaconis, fieri possunt, vt constat ex praxi Ecclesiæ, & sumitur *ex cap. perlectis dist.* 25. vbi dicitur ad Presbyterum pertinere benedicere dona Dei, & ex communi docet *Syluester Verb. Aqua benedicta.* Quare si Diaconus quamuis iubente etiam Sacerdote aquam v.g. benedicat, irrita est benedictio; quia non facta ab habente potestatem. Benedictiones pertinentes ad Presbyteros extant in Rituali Romano; vnde non est opus illas hic transcribere.

Notandum quod ex benedictionibus siue Episcopalibus, siue Sacerdotalibus Aliæ sunt constitutiuæ, quibus res sacrę constituuntur, ita vt ad vsum prophanū sine irreuerentia applicari non possint: cuiusmodi est benedictio aquæ, olei, vestiū, Ecclesiæ, altaris, & vasorum consecratio. Aliæ sunt inuocatiuæ tantum, quibus res sacræ non constituuntur, neq; ab vsibus prophanis secernuntur; sed adhibentur tantum ad inuocandum speciale Dei auxiliū circa præsentiam, vel vsum talium rerum. Quomodo benedici solent cibi, domus, nauis, & fortasse etiam candelæ, quas fideles ad altare afferunt, & postea recipiunt vt ad vsus etiam prophanos adhibere possint. Res per benedictionem constitutiuam effecta sacra dum in sua forma permanet & existente sacra in sensu composito non potest vllo Prælato, immo nec ipso Pontifice

per-

permittente ad vsus prophanos adhiberi v.g. sacer calix ad potationem. Ratio afferri solet *ex S. Thoma 2 2.q. 88. art. 11.* quia ius naturale, ac diuinum postulat vt sancta sanctè, seu reuerenter tractentur; sed calix v. g. consecratus dum formam integram retinet, sanctificationem suam non amittit; ergo contrà ius naturale erit si prophanetur. Si igitur aliqua necessitas postulat vt res sacra ad prophanos vsus adhibeatur prius execranda est per aliquam actionem. Dubium, quid sentiendũ sit de partibus auulsis à re consecrata destructa eius forma, an desinant esse sacræ v.g. Vtrum lapides, & ligna Ecclesiæ dirutæ, vel altaris destructi, ad vsus prophanos applicare aut diuẽdere liceat? Respondeo id fieri posse cum summi Pontificis licentia; quia enim talis materia desijt esse sacra non prohibet ius naturale, vel diuinum, quominus prophanis vsibus applicetur: Immo quidam sentiunt, existente rationabili & vrgẽte causa, sufficere Episcopi licẽtiã, vt Ecclesiæ dirutæ materia ad vsus prophanos conuertatur, ita *Layman in sua Theologia Morali lib. 5 tract. 9. cap. 11 nu. 6.*

Et hæc satis sint dicta de benedictionibus; ac de tota hac secunda parte præsentis operis Speculi Ecclesiastici pro ingenioli mei modulo, quo exiguo polleo; pro mearum imbecillitate virium, quæ tenues suppetunt; pro temporis angustijs, quibus ferè semper arctatus; pro varietate locorum, quibus distractus; pro munerum multiplicate, quibus distẽtus; &(quod caput est) pro aduersæ fortunæ fluctibus, quibus Deo Opt. Max. sic ineffabiliter prouidẽte per aliquot annos fui non mediocriter exagitatus. Faxit ipsemet Clementissimus Deus, vt post exactam laboriosæ huius vitæ nauigationem, portum æternæ quietis aliquando teneamus: interim autem det nobis, id amare quod præcipit, id desiderare quod promittit, vt inter mundanas varietates ibi nostra fixa sint corda, vbi vera sunt gaudia. Amen.

Laus Deo, eiusq; Immaculatæ Genitrici, & omnibus Sanctis.

INDEX
Distinctionum, Capitum, & Paragraphorum.
Secundæ Partis Speculi Ecclesiastici.

§.1.

§.2.

§. 4.

FINIS.

REGESTVM.

ab ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ. Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Ss Tt Vu Xx Yy Zz. Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sss Ttt Vuu Xxx. Omnes sunt duerniones præter Xxx quæ est ternio.

Pag.	linea	Errata	Corrige
15	4	videnda	videbimus
ibid	26	dulcis	dulci
24	7	corrigendo	confrigẽdo
26	15	corpore,	dele
31	32	verite	veriti
114	24	exterius	externis
121	19	erat	esset
122	10	assequens	assequeris
129	5	qu	quod
ibid	11	hortæ	horæ
ibid	12	canonici.	canonicis
137	12	S. Nilus	S. Nilus.
163	7	opera	operi
183	32	effectu	affectu
ibid	33	affectu	effectu
193	1	ita roboratur & obducescũt.	ita roborantur, & obdurescũt.
203	4	Vi-	Vitæ
207	14	adeo	odio
213	14	ludictas	ludicras
225	23	grauantur	grauentur
259	5	alieni	alterius
269	12	miserere	misereri
270	25	serue	serò
ibid	26	viribus	vicibus
279	32	addendum	alendum
288	21	Debent	Debet
289	17	Adde	Quis
296	21	Dæmonibus	Dæmonis
307	31	concepuit	concepit
323	vlt.	sano	sono
342	31	forthiter	firmiter
343	5	aut	autem
352	vlt.	&	ex
367	5	Pemplum	Tēplū Dei
368	20	omnia de	omnia Deo
403	13	quēdnam	quemdam
427	17	S. Io. Saptistę.	S. Io. Baptistæ Modœnæ.
438	22	factu	facta
466	24	vpia	vita
467	17	erunt	erant
474	22	qui	quia
477	8	præter	propter
ibid	24	expressè	expressæ
478	6	perpendit	pependit
479	27	affingẽdas.	affingẽdus
ibid	29	suam	suam
492	13	sonus	soni



6-3-2